IVLII CAESARIS SCALIGERI VIRI CLARISSIMI,

De Causis linguæ Latinæ libri tredecim.



Apud Petrum Santandreanum.

M. D. X C V I I.

IVLIVS CAESAR
SCALIGER

SEBASTIANO GRYPHIO typographo S. D.

CVm plerique librorũ meorum, qui ſanè quaſi futuræ famæ tentantibus vadũ nobis præmiſſi erant, tuis opibus, atque apparatibus ea gratia affecti ſint, vt nõ minus tuum ob beneficium, quàm propter ſuum meritum eos doctiſſimus quiſque & exceperit, & probarit: non fuit mihi committendum, vt quæ attentiore opera cumulatiora commoda pollicerentur, non & impenſiore tibi cura commendata eſſe vellẽ. in omnibus enim ſcriptorum meorum rationibus cùm iudicij noſtri neſcio quas affectiones à vulgaribus ſordibus, vti mihi videbatur, longè alienas ſemper ſecutus ſum: tum iis in libris, quibus Latinæ linguæ cauſæ continentur, animo noſtro obſequuti ſumus: vbi oble-

ctaremur & rei ipsius non vulgato argumento,& iis scribendi legibus, quas in nullo vnquam Latinorum hoc in genere literarum compertas habebamus. Etenim linguæ nostræ tum ad ipsum (vt ita dicam) habitum nitidiorem, tum ad ornamenta non ignobilia respiciens, & admirabar maiorum nostrorum fortunam, qui eam nobis condidissent: & ætatis nostræ sapientiam laudabam, quæ longinquo squallentem exilio pristinæ dignitati restituisset: & dolebam vtrorunque vicem, qui in paucis caussas quæsissent, atque in illis ipsis, multis erroribus sese implicuissent. At cætera sanè animantium genera fortasse cognorint ipsas res, quædam etiam percipiant acutius: vni Homini rerum caussę ad cognoscendum sunt datæ: quas qui animo concipit, illum demum esse Hominem dicas. Ergo inter alia miseriarum nostrarum oblectamēta, cùm sapientiæ genus hoc, quo rerum caussæ inuestigantur, maximè carum haberem: indignum profectò mihi visum fuit, si per nos staret, quo minùs primæ ipsæ literæ suam quoque in his haberent partem. Nam quæ studia essent & mitissima, & humanitatis nomine constituta, atque iccirco ad vitæ meæ rationem ac consuetudinem vehementer accommodata, non tam me ab seuerioribus abstrahebant, quàm & sesę cum illis in me coniungebant, & ad ea meipsum alacriorem remittebant. Quo factum est, vt aggressus sim opus immensum, ac penè desperatum: vbi, vt festiuè simul atque ingenuè fatear, aliquando quærendum esse intelligerem, quod extaret fortasse nusquam. Verùm quid erat aliud,

oper-

opertis oculis Veterum in ſententias ſemper duci, quàm illos pluſquàm viros obſeruare, nos minus quàm homines deſperare? Equidem ita cenſeo: optimos illos priſcos, tum recentiores, non voluntate ſolùm, ſed quibus etiam poſſent, officiis bene de nobis meritos fuiſſe. Verùm ita euenit Gryphi, vt qui ſublimioribus ſtudiis occupati eſſent, eos pigeret harum quotidianarum diſputationum: quos verò ingenium temperatius ab altiori contemplatione abduxiſſet, eos melioribus opibus deſtitutos nimis leniter in ea incubuiſſe. Quamobrem ſi nouis libris, noua cura noſtra, earum rerum optima quæque pars & excipienda, & expolienda erat: non aliis profectò legibus id mihi faciundum fuit, quàm quæ in philoſophiæ receſſu ab ipſa natura & latæ & fixæ eſſent. Hoc enim maximè modo ſpero, iam meliuſculè eſſe literis Latinis: quarum equidem vſum multorum doctiſſimorum virorum opera propemodum perfectum arbitror: rei ipſius Originem, atque Radices, hactenus aut ignotas, aut nondum proditas ſaltem: vt languenti huic philoſophiæ parti, ac penè brutæ, iam nunc demum mens aliqua data eſſe videatur. Tuam verò mi Gryphi veram pietatem, excellentem eruditionem, inſignem humanitatem his noſtris lucubratiunculis & præeſſe volui, & moderari: ſi id tibi ita collibuiſſet: vt poſteri intelligerent, eius frugis prouentum, ſi qua ad eorum commoda per nos exculta eſſet, à nobis tantũ commẽdari, quantum ex diligentia tua, atq; autoritate gratiæ conſequi potuiſſet. Vale, pridie Nonas Februarias. 1540.

IVLII CAESARIS SCALIGERI IN TREDECIM LIBROS DE CAVSIS LINGVAE Latinæ Præfatio,

AD SYLVIVM CÆSAREM FILIVM.

EGressum te ex angustiis tenuioris literaturæ, Sylui Cæsar fili, non antè decet inire rationem grauiorum studiorum, quàm istarum præceptionum caussas notas habeas, per quas excellentissimæ cuiusque scientiæ cursus aperiri debuit. Quanquam enim hæc ipsa tenes, quæ certis obseruationibus recepta sunt: tamen qui sæpius dubitare an ita sit, semper quærere quare sint talia, cogi possis: nisi te exemptum ex his difficultatibus in tuto collocatum videam, vitam mihi acerbam putem. Quibus igitur legibus Latina lingua sese astrinxisset, cùm ante nos multi scitè admodum, ac sapien-

pien-

pienter memoriæ prodidissent, neque earum constitutionum rationem vllam reddidissent: sanè vel hoc ipso animum meum vehementer excitarunt: quòd arbitrabar, id quoque ab illis præstari potuisse. Nam enimuero ad simplicitatem meam imprimis pertinere existimabam, si hoc vel sola spe essem aliquando assequutus, quod esset præteritum, vel à bonis viris, qui veterum sanctionibus vellent acquiescere: vel à Barbaris, qui politiorem operam contemnerent: vel à delicatis, qui operosiorem diligentiam negligerent: vel ab inuidis, qui quod ipsi dare non possent, ab aliis accipere detrectarent. Quanquam minimè latuit ab initio nos quantum turbæ cieremus. Neque enim defuturi sunt, qui negent prudenter à nobis factum, vt his vilioribus operis sapientiæ studium interciperemus: quippe nullo vsu euenire posse, vt bonus medicus is, cui hæc curæ fuerint, aut sit, aut censeatur: auerti nanque non diligentiam solùm, sed animum ipsum amitti quoque, si quid de illarum literarum contentione remittatur Quibus equidem tam humanè monentibus nos, ad hunc potissimum modum responsum velim: Me ingenij mei magnitudinem, quæ nusquam vlla extitisset, admiratum esse nunquam: neque nostram hanc mediocritatem rei vlli aptam, nedum vt Medicæ exercitationi parem considerem existimasse. Verùm tam grandem istam, quantam de me, studio-

ſa plebs, optimi ciues, illuſtriſsimi viri opinionem accepiſſent, non renuiſſe: ſed quaſi reliquias veterum fortunarum noſtrarum fato quodam oblatas recepiſſe, atque ad melioris vitæ frugem, cultúmque contuliſſe. Quod verò temporis à publicis muneribus, à priuatis amicorum officiis ſupereſſet, aliâs aliis ſtudiis impendiſſe: vt, quem neque luxus ſtupidum feciſſet, neque parſimonia vacordem, neque alea egenũ, neque lucri ſpes cupidum, neque potentia elatum, neque diuitiæ inſolentem, neque improborum odia deſperatum, liceret mihi eas horas, quas alij ſalutandis dominis ſuis, alij mercaturis, alij hilaritatibus, nequid præterea dicam, collocare ſoliti ſunt, referre ad ſapientiæ nutrices haſce literulas, in quarum ſinu philoſophiæ robur olim creuerit. Præterea in memoria habebã, quot, quantáque Galenus hoc in genere literarum ab ſeſe ſummo ſtudio diceret elaborata, vt in ſuis maximè reponere & vellet, & deberet. At qui vir? quantus medicus? qui non ex aliis potius diſcere (id quod facile factu ſic ſatis ſit) quàm ex ſeipſo, quod eſſet valde arduum, conſtituere aliis medicinæ ſcientiam conaretur. Atque ille tamen cum illis grauioribus operis, humanioris ſapientiæ ſtudia coniungere dignum duxit. Quid? nónne diuinus ille Plato curat hoc, cùm multis aliis in locis, tum ipſo in Cratylo toto, vt orationis vel totius, vel partis reddat rationem? Nónne Ariſtote-

les

les adeo ad ſeſe pertinere arbitratus eſt, vt ſæpenumero ipſa emēdet vocabula, alia explicet, quædam vel inueſtiget, vel etiam pariat? Scripſit ille de Poetica: de Rhetorica ſcripſit. Amatoria verò atque alia eiuſmodi vt omittam, perpetuo cōmentario id egit, vt ſciremus, quot modis quippiam ſignificare poſsit. Cuius profectò iudicio Grammaticam non ſolùm eſſe Philoſophiæ partem, id quod nemo ſanus negat: ſed ne ab eius quidem cognitione diſſolui poſſe intelligeremus. Itaque nemo bonus vitio vertat mihi, quaſi priſcarum nitori, atque lenitati literarum ſeuerioribus additis artibus triſtem quandam attulerim aſperitatem. Neque enim ſcientiæ minores à ſuperioribus ſuapte natura diſiungi poſſunt, ſed ingeniorum tantùm imbecillitate diſſociari ſolent. Quamobrem remiſsius contemplantibus honos ſuus relinqui debet: acutioribus etiā diuinioris operæ gratia habenda eſt. Atque ætati quidem tuæ, fili mi, quanquam primo in congreſſu videbūtur hæc aſperiuſcula: ita tamen velim cum animo tuo ſtatuas, Nihil vnquā vulgare pretium vllum operæ feciſſe. At quanti tandē ſit, excellentiſsimis quibuſque rebus à vitæ ipſius primordiis aſſueſcere? Itaque tetrica hæc non niſi Barbaris atque incultis animis terrorem, ac deſperationis facere opinionem: pro nobis verò, appetentibus veritatis, tanquam armatas ſtare putes legiones. Ne ſanè ſis eo hominum in genere, qui

aut abiecta, quam nossent, aut ignorata quam haberent, spiritus libertate, etiam illud, si diis placet, conqueruntur, Mathematicarum interuentu disciplinarum philosophiam à Platone obscuratam. O Dij immortales: obscurabitur philosophia earum appulsu scientiarum, quarum splendor menti nostræ verissimis simplicissimísque demonstrationibus lumen affert? Sed isti delicatiores, qui sese in mollissimi otij nexum dedidere, frustra simul, ac turpiter existimarunt, Sapientiæ cumulum sedentibus, atque oscitantibus sibi deos ipsos suos confecturos: quomodo aut ingẽs patrimonium boni nominis contemptor pater, aut prouentum aliusmodi, quem dicere nolo, Sors. At hercule liberales animos ab hoc falso quietis portu, non tam æstu gloriæ, quàm veritatis aura retractos in Philosophiæ cursum, non prius decet deponere studia contentionis, quàm ex tam nobili, támque opulenta prouincia pretiosas istas, ac potius diuinas, merces reportarint. Neque enim petimus laudem, non gloriam, non præmium: laborum nostrorum veniam petimus. Inuidiam verò neque placare cedendo, neque instando superare volumus: sed contemnere potiùs, quàm deprecari. Quis enim damnabit audaciã, qui idem ille nõ & inuitus admiretur conatum? Fortasse etiam laudet, vt quantùm demat prudentiæ, tantùm addat animi generoso. Siquis enim attentius operam nostram hanc intueatur, is

agno-

agnoſcet, non tam aliena occupata, quàm externa reiecta, propria vindicata. Neque enim, vt argumentum ſit par, etiam iudicium idem eſſe videat: ſiue amiſſa quæ erant neceſſaria, ſiue ſublata ſuperflua, ſiue praua correcta contempletur, ſupra quingentos errores, ſatis illos quidem nobiles, tum veterum, tum recentiorum deprehẽdet. Quos quidem nequaquam tetigiſſem (profectò non id ſtudebamus, ſed vt Latinæ linguæ cauſſas in lucem erutas proderemus.) niſi ſeſe nolenti, atque etiam ſæpius inuito ingeſſiſſent mihi. Neque enim ex alienis ſpoliis nominis noſtri munimenta exædificare in animo vnquam habuimus: ſed aliorum bonam famam laborum potius noſtrorum acceſſione capere incrementum. Atque iccirco nullius penè attigimus nomen: nullis partium ſtudiis addicti, quod è re eſſet, breuiſſima ac ſimpliciſſima diuini Ariſtotelis ſcribendi lege, explicandum curauimus. Quem virum tibi, Sylui, ſi propoſueris imitandum, & intelliges à nobis ordinem mirificum his tuis in libris inſtitutum, ſine quo ne ipſa quidem rerum natura conſiſtere queat: & tu te ad eiuſcemodi artium diuinitatem comparabis talem, vt etiam nos, id quod equidem vel opto, vel ſpero, ſuperare valeas.

INDEX ERRORVM QVIVE, QVOTVE, QVOTO CAPITE CONTINEANTVR.

S C ma-

Malè

Iones

Auun.

¶¶. ii.

Infi-

Præposi-

FINIS.

IVLII CAESARIS SCALIGERI DE CAVSIS LINGVÆ LATINÆ.

LIBER PRIMVS.

Artifex & Natura versantur circa certam subiectam materiam. Duplex artificium: circa materialia, & circa immaterialia. Multiplex modus circa eandem materiam. Notiones quid. Vocum affectiones tres. Finis Dialectici. Finis Grammatici. Excluduntur à Grammatico officia aliquot falsò attributa. Relinquit aliis inflexiones, significationes, compositiones: ipse causas perscrutandas profitetur.

CAPVT PRIMVM.

QVEMADMODVM Natura non vno modo circa vnam versatur rem: ita nec Ars. Nam sicuti Solis vis quercũ educit, atque firmat, aqua putrefacit, ignis absumit: sic faber eidẽ quercui formam abaci imponit, statuarius, Iouis: architectus, tigni: Par item ratio in scientiis est. Hominem cõtemplatur Philosophus naturalis, vt mouetur: Geometra, quatenus eum metiri debet: Medicus, quẽ à morbis aut vindicet, aut tueatur. Natura enim

vt eſt artifex quaſi quidam eorum, quæ molitur: ita artifex tanquam natura quædam eorum, quæ figurat. Hoc igitur quod eſt materia prima naturæ, vt ei formam imponat, id eſt artifici naturalis res, cui figuram indat. Res autem quum duplices ſint: aut materiales, aut immateriales: & immateriales aut extra intellectum, vt Deus, aut in intellectu, vt notiones (notiones appello rerũ ſpecies mente comprehenſas) quod vtique manus agit in materiam, hoc intellectus in notiones. Ergo vt manibus ſubiectam materiam habet aurum faber: ita intellectu notiones philoſophus moderatur. Etenim quo pacto manus inſtrumentorũ inſtrumentum eſt: ſic ratio ſcientiarum. Eſt autem ratio vis animæ, qua id, quod ea præditum eſt, comprehendit vniuerſalia. Cõprehendimus autem vel per inuentionem, vel per diſciplinam. Ac per inuentionem quidem paucis datũ eſt, vt diuinitus fierent ſapientes: per diſciplinã autem pluribus. Sanè diſciplina eſt ſcientia acquiſita in diſcẽte. Diſcimus verò ab alio per auditũ, tãquã per inſtrumẽtum, & per voces tanquam per notas: eſt enim vox nota earũ notionũ, quæ in anima ſunt. Vocis affectiones tres: Formatio, Cõpoſitio, Veritas. Veritas eſt orationis æquatio cum re, cuius eſt nota. Compoſitio eſt vnio partium pro earum proportione. Formatio eſt creatio, & figuratio. Itaque orationem eiúſque partes duo artifices diuerſis modis contẽplãtur. Dialecticus ſub ratione veritatis, tãquam ſub fine: grammaticus ſub figurationis & cõpoſitionis modo, quã vocarunt conſtructionem, tanquam materiam.

Nam

Nam tametsi grammaticus etiam considerat significatum, qui quasi forma quædam est, non tamen propter se id agit, sed vt veritatis indagatori subministret. Accidit autem ei postea ornatus ab Oratore, & numerus à Poëta. Nã historia parũ ab vtroq; differt: sed ex vtroque potius mista est. Grammatici igitur vnus finis est, rectè loqui. Quare in duo intendit: in partes, vt partes sunt, & in easdem, vt inter se respondent ad compositionem. Nã quod addunt, rectè scribẽdi artẽ esse: bis peccãt. Neque enim ars est, sed sciẽtia, neque necesse habet scribere. accidit .n. scriptura voci. neq; aliter scribere debemus, quàm loquamur. Illã quoq; tertiã partẽ, quã ascribunt, iudicandi, nõ rectè attribuêre. neque .n actio distinguitur à potestate per differentias forma cõstitutas. Etenim eodẽ modo, quo scio, iudico. Postremò quòd officium interpretandorum autorũ annumerarunt, id sanè grammatici non est, sed sapiẽtis pro cuiusque rei captu. Est .n. Oratorũ Poëtarúmque, atque Historicorũ lectio differta variis artibus, atq; scientiis: quæ nõ ad ipsos literatores potius, quã ad veros artifices pertinẽt. Nam quod ad interpretationẽ ipsam attinet: eadẽ ratio est, & cõponendi, & composita cognoscendi. Quippe orationem qui interpretatur, eodem modo eam resoluit in partes, quomodo eam qui construxit, ex iisdem partibus cõparauit. Tres igitur cùm sint rationes literaturæ, prima figurandi, secunda significandi, tertia componẽdi: primã quidẽm diligentissimi viri recẽtiores exactissimè tractarũt: secundam non ita planè: tertiam ex autorum ob-

ſeruationibus ſatis admodum ſunt aſſecuti. Verùm quum non ſolum vſu, atque autoritate partes hæ cōſtent, ſed etiam ratio ipſa naturalis magna multáque loca ſibi vendicet: Quæ illi ipſi diligenter ſunt executi, nullius noſtrum opera indigere arbitrabamur. Quæ verò rationes ab his ſunt omiſſæ, vel quaſi ignoratæ, vel quaſi relictæ nobis, neceſſariò, hoc opere erunt perſcrutandæ.

CAPVT II.

Non ſolùm materia opus eſt, certiſque limitibus, ſed etiam ordine atque inſtrumentis. Ordinem duplicem eſſe: vnum ab elementis ad compoſita, alterum huic contrarium. Inſtrumenta item duplicia: altera naturæ notiora, nobis verò minus nota: altera his contraria.

SVmptam materiam, certíſque limitibus circunſcriptam, videamus quemadmodum perfectè noſſe poſſimus. Duo ſunt docēdi, totidémque iidem diſcendi modi. Alter, quo quid ſuas in partes reſoluimus: vt ſi nauim ignorāti cuipiam, primùm nomē edam: deinde quid ſit ediſſeram: poſtremò cuius rei cauſſa ſtructa ſit, oſtendā, partibus enumeratis. Hęc via, reſolutoria ab Ariſtotele dicta eſt. Is modus nobis notior eſt. quippe totum ipſum repræſentatum ſpecie primùm innoteſcit, à quo ad partes indagandas ipſas poſtea ducimur. Alter modus huic cōtrarius eſt, naturæ ille quidem notus atque certus, quē componentem dicimus: propterea quòd acceptis partibus totum ipſum exædificamus. Galenus fruſtra addidit tertium quem definitiuum vocat: cùm tamen à reſolutorio nihil differat. reſoluimus enim to-

totum:at totum res eſt ipſa definita,definitio autem notio ſpeciei. Præſtantior autem via vtique ea eſt, quæ componere docet: tum quia naturam imitatur, tum quòd excellentiam tradẽtis oſtendit ingenii,quod neceſſe eſt omnia habeat in numerato atque ordine diſpoſita antè, quàm animum ad dicendũ appellat. Ad hoc,niſi à primoribus elementis ordiare, neceſſariò cogêris idem ſæpius repetere. Vniuerſus igitur docendi ordo is quũ ſit,ſingulæ partes quo conſilio quàm perfectiſſimè recenſeri tractaríque poſſint, videamus. Diſcere dicimur, cùm ignotum per indicia quædam percipimus animo.Hoc bifariã eſſe poteſt.Nanque indicium illud interdum eſt poſterius eo, quod diſcimus, veluti cùm ſignificatio vocis huius, *Glorioſus*, intelligitur poſſe accipi in bonam partem per exẽpla ſumpta de Cicerone.At ſanè id prius ſignificauit, quàm ſic Cicero vtendum ſumeret: & tamen per Ciceronem ita mihi notum ſit. Eſt alterum indiciorum genus natura prius, & cauſſa quaſi quædam eiuſce rei, quam diſcimus. vt cùm per Gloriæ ſignificatum ac per flexum illius vocis deſcendo ab origine ad vſum eum,quem in Ciceronis libris deprehendi. ac prior quidem notior ac facilior eſt: alter vt paulò obſcurior, ac minus ſæpe notus nobis, ita excellentior tanto, quanto certius ſcimus, quum per cauſſam,quàm per accidentia cognoſcimus. Hoc igitur duce ab ipſa philoſophia, in Latinarum vocum naturam, ad rationes inueſtigandas deducamur.

CAPVT III.

Duplices partes: aliæ ex quibus vox constituitur, vt ex materia: aliæ tanquam species sub genere perfectam scientiam, non ex sola definitione acquiri, sed etiam ex affectuum cognitione.

SI igitur est à partibus incipiendum, propterea quòd caussæ sint ipsius totius, quod nunc tractamus: nosse interest, earum rationem duplicem esse. Etenim cùm dicimus, in, *Dictione*, partes esse alias simplices, cuiusmodi literæ sunt, alias compositas, quales videmus syllabas: ex his iudico elementis integram vocem fieri, atque coalescere. Cùm verò dicimus: Dictiones aliæ sunt nomina, aliæ verba: non has ostendo partes eius esse modi, vt per eas concrescat nomen: sed quæ ipso genere tanquam re vniuersali quadam comprehendantur. vnde rectè pronunciamus, tã nomen, quàm verbum dictionem esse. Cùm autẽ possim genus ipsum intelligere etiam seclusis partib⁹ his, quas species appellauimus: necessariò fatebimur, suapte natura species esse illas post genus. Siquidem genus materia quasi quędam specierum est. Contrà, quoniam genus ipsum animo perfectè capere nequeamus, nisi partes, quibus constat, perspexerimus: necesse erit, vt primùm de his partibus, deinde de genere, hoc est de dictione, quæ est materia nostræ operæ subiecta, tum de speciebus sermo noster instituatur. Videndum igitur, quid litera: mox quid syllaba: tertiò quid dictio: postremò quæ species dictionis. Quoniam verò perfecta scientia non ex sola habetur definitione, sed omnes quoque rei affectus cognoscere oportet: de ipsis affectibus cuiusque

partis

partis quid veteres prodiderint,quid nos sentiamus,perspiciendum erit.

CAPVT IIII.

Definituro literam,nominis prius originem quaerendam. More Peripatetico inde errores multos & colligit, & corrigit.

ANte verò quàm literam definimus, sicuti fit in omni definitione, nomen ipsum est explicandũ. Quippe ex cuius interpretatione facilius rei ratio nota fit. Togã enim definiturus, eã si norim à tegendo dictã,sanè vestigando eius genus sic inueniemus:esse lanã textã ad tegendũ. Ita de litera acturi,verã eiúsce nominis rationem ex figura emergere cõperiemus,quũ eas certis lineis contineri videbimus.exẽptis nanq;ex prisca nominis origine aliquot elementis,quũ primùm dictæ essent lineaturæ, literæ posteà factæ sunt: sicut apud Græcos γράμματα παρὰ τὴν γραμμήν. Euenit deinde, vt quoniam album nigredine aspergeretur, atque ei quasi officeretur, vt ea significatio latius fusa sit, & litura inde etiã macula diceretur. Obliterare autẽ verbum nõ à literis,vt dixere,sed à lituris deductũ est,versa scilicet vocali. Quẽadmodum à fœnus fœneror,& à pignus pigneror,& à tẽpus tẽpero:sic à lineando,linere, vnde lineaturæ ,& literæ, & lituræ,ex eodẽ fonte æquè omnia. Neque .n. à lituris literæ, quia delerentur:prius enim factæ, quàm deletæ sunt. At formæ potius atque οὐσίας rationem, quàm interitus habeamus. Ex his constat eosdem veteres nõ rectè quasi legiteram commentos esse: vt extrema pars vocis ab itinere fingatur. Atque id

quoque non geminata consonante, vt consueuere, scribendum esse: sub suæ nanque originis forma produxit primam natura. Si igitur à lineis dicta est, & linea minima corporis dimensio est: erit profectò litera minima pars dictionis. accidit enim dictioni cuipiam, vnica vt litera contineatur. ibi enim est & pars & totum idem. Sed sicuti ex elementis constant mista naturalia, sic ex literis dictiones: vnde Elementorum quoque nomen sortitæ merito sint. Simul vt hinc refellatur veterum sententia: qui falsò literas notas dixere, elementa autem pronunciationes. Nam vt litera sola nota sit, satis habemus: at elementum, & ipsum hoc sit quod pronunciatur, non autem ipsa pronunciatio: & ipsa nota ęquè, siquidem est pars dictionis ipsam constituens, sicuti ignis, aër, aqua, terra, corpora naturalia hęc nostratia. Sed & par eorundem error in literæ definitione: primò nanque partem vocis dixere. quare aut non erunt literæ, quæ scriptæ nondũ pronunciãtur, aut falsò definierint vocem, esse aërem percussum. Sed neque rectè, neque necessariò adducũt vocis definitionem. Neque enim ad literatorem, sed ad philosophum spectat hoc, à quo id quod ipse statuat accipere debemus. Quin ipse quoque vocem in libro de interpretatione non definiuit: quũ alioqui & coniunctior esset pars illa cùm cætera philosophia, & interpretatio vocem habeat pro instrumento. Itaque Diuinus ille vir per vocem definitiones attulit, vocis contemplationem ad philosophum naturalem retulit. Quòd si quis pertinacius contendat, necessariò definiendam

vocem

vocem esse in literæ definitione, quasi genus quoddam: cogetur idem sanè, quid aër sit, quid percussio, definire. atque porrò, quemadmodum fiat auditus, ostendere. Verùm ij ignorarunt, non omnia principia discutienda esse, sed quibusdam eorum certis in sciētiis simplici intellectione acquiescendum, ipsámque principiorum rationem ad solum metaphysicū pertinere. Quamobrem grammaticus hic satis habet vocis tantum nosse significatum: non est igitur necessaria. Non est item vera, quum dicit, Aërem tenuissimum: tenue enim & crassum significant partiū positionē. tenue enim quū opponitur crasso significat rarū: sic dicimus crassum aërem, rarum aërem & tenuem. In aëre igitur Bœotio non pronunciabitur litera, quem aërem crassum fuisse, prouerbio quoque circunfertur. Sed illi vt minimam partem literam esse ostenderent, eius materiam, scilicet aërem, tenuissimum esse voluere: vt minimū significarent. Sed tenue non excludit longitudinem: itaque non erit aër minimus. Præterea in eodem genere nullum minimum minus alio minimo est: at litera alia aliis minor: quædam enim vnico tempore fluit, alia pluribus cōstat: & quædam dimidium alterius est: nam Ω, est duplex ad O, & ipsa interdū suiipsius: cuiusmodi sunt communes vocales apud Græcos. Ad hæc, aiunt definitionem esse à substantia: at Aër vocis substantia non est, sed materia subiecta: accidit enim vox aëri: hic enim substantiam pro essentia capiunt. at essentia vocis non est aër: neque enim genus eius est, aut differētia: sed percussio, aut elisio ge-

nus est summum, proximum autem genus, est sonus. is enim ordo est: Sonus è percussione corporũ, Vox, Sermo. Est enim Sermo dispositio vocũ articulatarum ad interpretandum animũ. Vox, sonus ex ore animalis. Sonus, qualitas obiecta auditui ex occursu corporũ. Itaque ne id quidẽ rectè, strepitũ vocem esse inarticulatã: strepitus enim est soni species, sicut & vox. Neque diuisio proba est, cùm dicũt inarticulatas voces eas, quæ nullo proferũtur affectu: nã omnis vox est ab animi affectu, est .n. data animalibus ad expressionẽ volũtatis, vt in quinto historiarũ latius disputauimus. & multæ voces ab affectu proficiscuntur, quæ sunt inarticulatæ: vt gemitus, & sibilus venatorũ. Sed neque rectè à brutis excludũt articulatas: ouiũ enim voces adeò clarè scribi possunt, vt ab ipsis verbum apud nos formatũ sit, balare. Literatas autẽ voces aut illiteratas, perinde atque scribi possent, vel nõ possent, etiã doctiores dixere: vt est apud Gell. lib. XI. Non decreto, inquit, iussóque, sed tacito, illiteratóque Atheniensium consensu. Quare articulata sit, quæ scripto excipi atque exprimi valeat: inarticulata, quę non. Possit autem quis dubitare, an necessaria sit definitio dictionis, syllabæ, literæ per vocem: prętertim cùm Philosophus in lib. περὶ ἑρμηνείας, sic egerit. Quibus respõdemus, id eũ fecisse, quoniã de Elocutione scribebat, quã vocat interpretationem. Sic nos vocẽ in his libris pro dictione scripta accipimus, quoniã vox esse posit: idq; ex vsu veterũ Latinorum. At isti vocis partem cùm dicant literã, vocémq. aërem percussum, literam tantum in aëre

re ponunt. ergo cùm ſcripta erit, nõ ei competet definitio: neque cùm in intellectũ recipietur: po teſt enim nunquam fuiſſe in pronunciatione.

CAPVT V.

Literæ definitio. Differentiæ genericæ, quibus ſpecies literarum conſtituuntur. Affectus generici proprij & communes. Quid primum horum natura ſit, quid primo loco tradendum.

LItera igitur eſt pars dictionis indiuiſibilis. Nam quanquã ſunt literæ quędam duplices, vna tamen tantum litera eſt, ſibi quæque certum ſonum vnum ſeruans. Ita Ω magnum dictum eſt, non autem compoſitum. neque enim duo parua cõtinet tanquã partes, ſed duobus temporibus vnus tractus indiuiſibilis. Litera ergo genus quoddã eſt. cuius ſpecies primariæ duæ, vocalis & cõſonans, quarum natura & conſtitutio non poteſt percipi, niſi prius cognoſcãtur differẽtiæ formales, quibus factum eſt, vt inter ſe nõ conuenirẽt. Quare de ipſis differentiis in cõmuni, déque effectibus prius dicẽdum eſt. Litera differẽtia generica eſt, poteſtas, quam nimis rudi conſilio veteres accidens appellarunt. eſt enim forma quædam ipſe flexus in voce quaſi in materia, propter quem flexum fit, vt vocalis per ſe poſſit pronunciari, muta nõ poſſit. Ex hac poteſtate ortum nomẽ eſt, qui eſt affectus proprius, cuiuſque literæ, conſequens eam vim quæ in pronuntiatione ſita eſt. Figura autẽ eſt accidens ab arte inſtitutum: poteſt enim eſſe litera ſine figura: potéſtq; attributa mutari. neque ſolùm per nationes, ſed etiã

eidem generi aliam atque aliam diuersis seculis in vsu fuisse. Neque verò, quod veteres fecere, hę solæ affectiones assignandæ sunt literis, sed & ordo. Quædam enim natura sua aliis priores sunt: neque hac serie, qua eas accepimus ab antiquis aut ortæ, aut disponēdæ. De potestate igitur primùm, deinde de aliis scribendũ esset. Verũ quia à facilioribus semper est incipiendum: à figuris, notulísque ipsis pingendis auspicabimur: quarũ caussas postea explicare instituemus, simul & numerum, & ordinē ex priscis historiis narrabimus, quem suo loco tandem corrigemus.

CAPVT VI.

Historia literarum, Figura, Numero, Ordine.

LIteræ primũ fuere sexdecim numero, à Phœnicia (vt aiunt) Cadmi opera, atque auspiciis receptæ: his notulis, Α, Β, Γ, Δ, Ε, Ι, Κ, Λ, Μ, Ν, Ο, Π, Ρ, Σ, Τ, Υ. Palamedem autem duas adiecisse bello Troiano: Ξ, Φ. Duabus ab Epicharmo auctũ numerum: Θ, Χ. Duæ ad Simonidem, tanquam ad autorem, referuntur: Η, Ω. Alij autem aliter sensere, duásque eiusdem inuento appositas: Ζ, Ψ.

Latinæ haud magnopere ab his abhorrent, his notis, A, B, C, D, E, F, G, I, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, V, X, Y, Z.

CAPVT VII.

Summaria diuisio literarum. Nomina singularum.

HArum quæ per seipsas possent pronunciari, Vocales appellarunt: quæ non, nisi cũ aliis, Consonãtes. Itaque etiam vocaliũ nomina, simplici sono, nec differente à potestate, statuerũt: at conso-

consonantibus, quæ egerent adminiculo, appellationes mistas ex ipsarũ sono, & ex certo adminiculo indidere. Itaque vocales sic nominarunt, vt scribebant A, E, I, O, V. At consonantes additis vocalibus: ídque non vno modo: quibusdã enim proposuere, aliis postposuere. Sunt autem hæc: BE, CE, DE, EF, GE, EL, EM, EN, PE, QV, ER, ES, TE, IX. Duas autem reliquas Y, & Z, propterea quòd non, nisi in Græcis vocibus, scriberent, non mutarunt earum figuram, neque aliud nomen imposuerunt. Item duabus vocalibus I, & V, cùm fiunt consonantes, nullũ est nomen factum à Latinis: sed à Græcis V, Æolicum elementum appellatum est: & vau: habuítque figuram hanc, Ⅎ, à Claudio inuentam, inuersa, L, atque duplicata. Verùm nominis rationem (digamma enim inde nominarunt) cum ipsa nominis potestate non conuenire, suo locò dictum est. Ex his constat, quare in verbo *Des*, necessariò inter priorem & posteriorem consonantem interponi debeat, E, vocalis: cùm tamen nomen & mutæ in fine, & sibili in principio eam habeant vocalem: neque enim nomina ingrediuntur compositionem, sed potestas tantùm. Sola Q. eadem & potestate & nomine semper est: semper enim & pronunciatur, & nominatur sociata obscuræ vocali: sic, QV. Est igitur proprium tam figuræ, quàm nominis, nunquam mutari: potestatis autem mutari, vt mox videbimus. Hoc autem dico apud veteres tum Latinos, tum Græcos: nam nostra tempestate certis notulis malunt inchoare & ducere dictionem, aliis autem terminare. Hebræi

autem, Chaldęíque, & Armenij, & Arabes ſemper aliquot literarum figuras mutarunt, quibus clauderẽt voces ſuas. A' nominum ratione porrò diuiſerunt Cõſonantes in Mutas, atque Semiuocales: vt quarum nomen inciperet à Conſonante: eæ Mutæ eſſent: quarum à vocali, eſſent Semiuocales. Quam ſententiam, qui eſſent autores ipſi, nihilo prudentius corrupere: ita vt mutis aſcriberent EF, quum tamen inciperet à vocali. Verùm & hanc ſuo loco explodimus, & hic illam emendamus. Principio, non à nominibus ſpecies factæ ſunt, ſed à poteſtate, à qua etiam nomina fluxerę. Igitur iam fundamentum deſtructum eſt. Pręterea quo modo fregere ſeipſos quum F, in mutas abiecerunt, ita etiã ſibi ſunt aduerſati, quum hac eadem ſua regula coguntur, eandem literam quæ apud Græcos ſit Muta, apud ſe facere Semiuocalem. Nam ſi verum eſt, Mutas eſſe, quarum nomina incipiant à conſonante Ξ I, Græca muta erit ea ratione, quæ tamen apud nos ſit ſemiuocalis: ſiquidem huius figuræ, qua vtimur, X, pro, CH, nomen Latinis eſt, IX. Immò verò ſi à nomine petas argumentum, multò ſint Mutæ clariores, quàm Semiuocales. Quis enim neſciat clarius pronunciari poſſe, BE, quàm EN, aut EL? Verùm ita factum eſt, vt Mutæ dicerentur, quarum poteſtas ſine vocali ſocia, nulla eſſet. Neque enim quiſquam aut B, aut, C, aut alias mutas, nulla vocali addita, clarè poſſit pronunciare. Contrà ſemiuocales, propterea quòd aliquam haberent pronunciationem: vocalium enim ſecutæ integritatem nominis dimidium

dium obtinuere:nemo enim interposito inter labia spiritu ipsum F,nequeat efflare:item sibilum in S, & mistum in X: linguæ autem vibrationem in R: leniorem autem atque hærentem in N:longè leniorem,& sibilo affinem,in L:mugitum verò vel facilimum, atque crassissimum in ipso M. Ex his patet error alius eorundem qui scripsere X, ab I, vocali nomen suum apud nos inchoare propterea, quòd apud Græcos eadem vocali Ξ, illorum proferatur. Etenim si ea ratio satis esset,etiam IM,& IN,& IF,dixissemus,qua has vocali Græci nominant. Sed idcirco factum est, vt à præpositione EX, differret. K, autem literam quare in præsentia omiserimus,suo loco disputamus.

Ex his satis constat, prudentius, quàm aut Græci, aut Syri fecerint, fecisse nos, quum vocalium nomina simplicissimo sono eduxerimus, quasi suo sibi satu ortæ essent: neque consonantium subsidiis indigere, ad suas opes declarandas, quas consonantes ipsæ sanè sua fouerent autoritate.

CAPVT VIII.

Singularum literarum potestates.

POstquam literæ substantiam,differētias quibus suas species constituebat,affectiones genericas,rationem specierum conditarū diximus: superest, vt vniuscuiusque literæ vim deinceps ex vsu, atque ratione, eiúsque caussas statuamus: quod negotiū non sine magno labore, variáque

controuersia expediri potest. Adeò enim degenerauimus à prisca pronunciãdi ratione, vt & vix extent ipso in vsu vestigia: & siquid afferas, quod emendet vulgus, tantò verò ipsi pertinacius obsistant. Ac fuit quidem tempus quum vsui dabatur aliquid: erat enim inter Latinos. Nunc verò cùm etiam Itali ipsi in patria sua peregrini sint adeò, vt etiam studiosè inuẽta noua à prisca detorqueant Latinitate: nihil aut Barbaris dãdum, aut nobis indulgendum esse censeo. A vocalibus autem incipiamus.

Singularum literarum potestates labiorũ maximè conformatione dignoscuntur: quemadmodum non solùm ex Martiani, ac Prisciani, Victorini, Gellij, Quintiliani, Varronis, Nigidij, Ciceronis præceptionibus, verùm etiam variarũ vsu nationũ aliqua ex parte percipi potest. Duobus autem modis potestas variatur, vel sonus ipse, vt quum I, vocalis aliter in voce *Ira*, aliter in voce *Optimus*, pronunciatur: vel soni modus, veluti quæ exempla à veteribus adducuntur, quibus deni modi eidem vocalis sono attribuũtur: quini aspiratæ, & totidem tenui. Breui sub acuto, & graui: longæ sub iisdem, & sub circũflexo: exempla sunt hæc: *Hâmus, Hâmôrum, Hâmi: A'raè, ârârum, ârâ, Hâbêò, Hâbêmùs: âbêò, Abîmùs.* Sed est tertius quoque modus, quum in fine clausulæ aut versus longam breuémque indifferenti sono accipitur ita, vt etiam pro longis breues habeantur: etsi auribus suis aliter respondere, dixit Quintilianus. Ac de secundo modo in historia syllabarum scriptum satis est. de primo

mo autem sic agendum est.

A, non eodem semper apud Græcos fuisse videtur sono: siquidem Æolenses ipsum pro, H, posuere, νίκα. contrà, Iones pro eo, H, πρῆσμα. Verùm mihi videtur apud Latinos eius literæ semper idem sonus extitisse, qui etiam nunc auditur vulgò Romæ. At non sic cæteræ. Nanque E, latius sonat in aduerbio, *bene*, quàm in aduerbio, *Here*: huius enim posteriorem vocalem exilius pronũtiabant, ita vt etiam in maximè exilem transierit sonum, *Heri*. Id quod latius in multis quoque patet: vt cùm ab *Eo*, verbo, deducis *Ire*. Et in eodem casu. dicimus enim, & *Iis*, & *Eis*, sicut & *Diis*, & *Deis*: *Turrim*, & *Turrem*: *Priore*, & *Priori*. Sicuti igitur hæc inter se commutabant, sic & V, cum eorum altero habuit affinitatem: quod est animaduersum in illis vocibus, *Optimus*, *Maximus*, *Monimentum*. Quæ nihilominus etiam per V, scriberentur. Igitur habuit I, vocalis sonos tres, suum exilem, alterum latiorem, propiorémque ipsi E, & tertium obscuriorem ipsius V. inter quæ duo Y, Græcæ vocalis sonus continetur: vt non inconsulto Victorinus ambiguam illam, quam adduximus vocem, per Y, scribendam esse putarit *Optimus*. Quem sonum etiam agnouere veteres Græcæ prolationis, post I, vel V, consonantes, & ante D, M, R, T, X. cuius rei exempla sint *Video*, *Vim*, *Virtus*, *Vitium*, *Vix*. Cæterùm neque id nunc deprehendimus ex vsu nostro, neque illi afferre exemplum possunt, in quo I, vocalis sequatur I, consonantem, ante eas literas quas in proposito apote-

lesmate constituebant: sed de v, accipiendum est: cuius erunt exempla, *Iudex*, *Iumentum*, *Iuro*, *Iuturna*. Verùm ante x, non habeas: neque enim præpositio *Iusta*, per hanc duplicem scribenda est: & puto, si *Iuro* certum sibi sonum habuit, *Ius*, quoque eundem habiturum. Neque tamen semper eodem sono profertur v, sed aliquãdo pleniore obscuritate, quo modo vulgus Italicum dicit *Dux*. Interdum hiatu rotundiore, vt in verbo *Columna*, & *Alumnus*. quidam sunt ex Vmbria & Ethruria qui propius ad ipsius o, accedunt mollitiem. Omnino autem Latini cùm Græcos casus verterent, confiteri coëgere nos, sonos illos esse cognatos Πρίαμος, Priamus. Quo etiam modo nunc pronunciant Romani. Quare, quod illi ἰόβας, nos Iuba, Æoles secuti, qui ὄνομα, ὤνυμα dicebant. Itaque o, duplicem quoque sonum habuit: latiorem, & exiliorem, vt cum ipo Y, conueniret. Productis enim labiis & cohærentibus Y, est pronuntianda, quomodo Gallorum quidam proferunt aduerbium, *Nunc*. Græca enim vox est νυῶγε. Sic etiam in multis aliis, quorum v, breue est, ea prolatio seruari debet, vt Numa, νυμᾶς: Romulus, ῥώμυλος. Habet igitur v, tot sonos, exilem ipsius I, latiorem ipsius o, obscuriorem suum & medium quendam ipsius Y, Græcæ. Quamobrem cùm suum sonum seruare illi volebant veteres, addebant o, ne in exilitatem illam Græcæ vocalis degeneraret: sic enim scribebant, *Ousentina*, autor Festus est. Restat etiam sonus alius, post C, & Q, & S, à superioribus

bus valde diuersus, implens scilicet consonantium illarum vim, *Lingua. Aqua, Suadeo.* quanquam post sibilum hoc tertio exemplo etiam à prioribus distet sanè: auditur enim aliquantum, ac propius accedit ad consonantis lineamenta. In prioribus autem exemplis, aut nihil, aut vix auditur: sed crassitudinem quandam apponit duntaxat: aliter enim dicas *Tingo.*, aliter *Tinguo.* Germani nostrates penè per digamma Æolicum proferunt, suspenso ipso G, parumper: Rhenani, & qui in Belgio sunt, longè mollius, & satis Romanè. At Erasmus in libro de pronunciatione falsò putauit V, eodem modo subiici ipsi G, sicut & ipsi G, in exemplo pronominis *Cui.* est enim ibi V, vera vocalis: I, autem consonans, vt suo loco dictum est. Illud quoque igitur falsum erit, quod veteres prodidere V, cùm post G, vel Q, præcedit, aut E, aut I, aut AE, Græcæ vocalis Y, vim obtinere: neque enim vllum sonum similem gerit. Si enim ita esset, Græci ipsi non tam laborarent: haberent enim ad manus suam literam, & scribebant ΚΥΙΝΤΟΣ, quod apud nos est, *Quintus.* Sed ipsi & scribunt, ΚΟΙΝΤΟΣ, & pronunciationem illam nullo modo queũt assequi. Quemadmodum autem I, & V, fiant consonantes, suo loco dictum est.

Diphthongorũ quoque ratio non constat hodie nullam enim ex pronũciatu nostro percipias: neque tamen frustra inuectæ sunt. verùm non est nunc laborandum, vt ora distorqueantur, ad

eiusmodi explendam ambitionem. Satis tamen constat, AE, proximam fuisse Græcæ AI, & OE, vocali V. Nam & *Moeros*, & *Muros*, legimus, AV, autem non vt nunc pronuntiant Itali, à quibus audias sonos duarum explicatum, sed declinauit olim ad O, quomodo Franci nunc rectissimè vtuntur. Quorum si quis dicat *Caurum* etiam *Corum* audias. Græci nescio an benè pronuncient: à quibus intelligas priorem vocalem: alterã autem sono similiorẹ consonantis Æolicæ. Sic & EY, iidem. Nos æquè malè, atque ipsam AV. Græcam verò OY, ridiculè Galli penè per O, proferunt, & ineptius adhuc magis cùm diphthongos diuidũt ac dissoluunt, earum vt sonus audiatur. Nec defuere qui Grẹcam inueherent in Latinos, quoniam veteres sic enunciabant, *Terrai, Frugiferai*, Item alteram EI, iis in vocibus quæ vtriusuis sono tum E, tum I, ederentur, vt *Treis, Parteis*. Verùm priscos vnica ad id litera contentos fuisse idem Nigidius autor est.

CAPVT IX.

Origo & caussa, quare I, & V, è vocalibus factæ sint consonantes.

QVanquam igitur mutantur soni, manet illis tamen pristinæ genus potestatis: at tam I, quàm V, penitus amissa priori vi, in aliam sunt transmutata. Nam cum sequente vocali vellent eas pronuntiare disiunctim, sic, *Victor*, *Iustus*, subiit sanè vocalis illa, ac præcedentis mutauit vim. Quorum altero vt Græci carent,

rent, ſcilicet I, ita ipſum multæ nationes retinuere. Hebræa, Arabica, Germanica, Scythica, Armenica, Illyrica. Quod iccirco à Græcis factũ non eſt, quia longiore ſemper tractu vterentur in pronunciando, ipſóque in hiatu conſiſterent: quod vel ex eo declaratur, ſiquis animaduertat eam literam etiam ante vocales frequentiſſimè contra communem cæterarum naturam produci: quare non potuit in alium ſonum ſpurium degenerare. At Latini paruo poſito momento ob ſoni gracilitatem facilimè in ſubeüntem proximam tranſiliere, vt non penitus abeſſet abſono ipſius G, à qua tamen quantum diſtet, ſuo loco videbimus. Quemadmodum illud quoque, An Græci alteram habeant: V, ſcilicet. neque enim hîc de his cognoſcere poſſumus antè, quàm & ipſius G, cui eſt I, proxima: & ipſarum Φ, ac PH, atque Ϡ naturam perſpexerimus. Hoc igitur iam agamus.

CAPVT X.

Conſonantium poteſtates.

A & B, quidẽ Græci hodie aliter, aliter pronunciant Latini. Nam preſſis labiis Latini, at Græci laxiore labro ſuperiore, & inferiore applicato dentibus ſuperioribus: quãquam veteres Græcos non aliter, quàm nos vtimur, vſos eſſe palàm eſt. Varro nanque cùm noſtrum balare, verbum magis commendat, quàm Græcorum μηλα, ſanè vtrunque factitium à ſono pecudum contendit: oſtendítque eos debuiſſe imitari

vocem ouis Balantis, vt βῆλον, non μῆλον nomen imponerent. Quòd si vt ipsi loquuntur nũc, non vt nos proferimus, olim pronuntiassent. sic quasi propemodum per Æolicum digamma, non rectè corrigeret eos Varro: neque enim valant pecudes, sed balant. Vasconibus quoque hoc est vitium peculiare, vt eo modo pronuncient B, quo & Græcos dicimus. Itaque lusimus in eos epigrammate, vt eorum Viuere, Bibere, sit. Contrà quædam nationes nimis crassé pronunciant per P, vt *Pullam*; pro eo quod esse deberet, *Bullam*, dicant.

Multò diuersior vsus est ipsius C, ídque non solùm in diuersis nationibus, sed etiam ipsa in Italia Ac sanè idem esse nostrum C, quod Græcorum sit K, iam receptum est: explosáq; eorũ sententia, qui aliter autumarent. Tantóque magis Scauri Grãmatici, qui putarit nomina, in quibus A, secunda esset statim sede, per K, scribenda esse: sic: *Kalendæ*, *Karus*. Etenim si propterea fiat quod Kappa, nomen includit vocalem illam, sanè nulla eiusmodi vocalis addatur in cõtextu dictionis: aut ea consonans nulli præterea voci ab aliis vocalibus incipienti apponetur. Hoc autem falsum esse vel ipsi ostendunt Græci. præterea ipsum C, eadem ratione non apponeretur nisi sequenti E, vt *Cepe*, cæterorúmque elementorum par item esset ratio. Quin Kappa nomen maius est, quàm quanta sit hæc potestas, ad quam arctare conatur ipsum. Alii ita censuere, Græcis tantùm vocibus attribuendam, qui æquè falsi sunt. Etenim id si verum esset, etiam

Chre-

Chremetem, per x, Græcum ſcriberent. Quod ſola aſpiratione ab ipſo K, diſtat. Nulla igitur ratio eſt. Ipſius ergo ſonus c, cùm ſit idem cum ſono ipſius K, cauendum nobis maximè eſt, ne addatur aſpiratio (id quod Thuſcorum non pauci faciunt: ſed ij frequentius, qui Arnum flumen accolunt) ſed ſicciſſimè eſt pronunciandum, non mucrone, ſed latiore parte linguæ interioris adducta ad palatum, atque aſtricta, vt quàm tenuiſſimus quámque expeditiſſimus ſonus tranſabeat. Galli turpiſſimè per ſibilum edunt: vt non diſcernas, *Cellámne*, an *Sellam*, audias. Germani noſtrates non tam craſſo ſibilo: at Germani Belgæ, & Hiſpani, non aliter, quàm Galli Circumpadani, & Veneti, & Flaminij, & Ligures, ſibilo tenuiſſimo, & balbo. Qui omnes redarguuntur eò, quòd in fine dictionum Græcum ſeruari ſonum ſatis patet: vt in *Hic*, *Nec*, *Ac*, *Alec*: neque enim ſibilo terminantur, ſed in ſicciorem ſonum, qui appoſita vocali debuit perpetuari. Acquirit tamen craſſiorem ſonum pro vocalium ratione: craſſius enim dicas, *Carus*, *Collum*, *Cuma*, propter latiorum vocalium hiatum, quàm *Cera*, *Cippus*, propter exilitatem. Eandem inibimus rationem addita aſpiratione, vt craſſius aliquanto pronuncies χάεις, χορός, quàm χέω, χῖος. Item diphthongos prout ad vocalium certarum ſonum propius accedent. Si autem s, præcedat ipſum c, vulgò non audias: at qui volunt eos emendare, etiam ineptis conatibus vaſtant pronunciationem, quam tu è Thuſcorum conſuetudine commodius temperabis.

Similima huic eſt Q, atque adeò, vt ineptiuſculè quidam eandem eſſe contenderent. Galli nihilo ſecius eam proferunt, atque ipſum K, atque etiam craſſius, horúmque imitatores Ligures Taurini. Qui verò caſtè atque integrè in prouincia verſantur pronunciationis, includunt aliquantum poteſtatis ipſius V, ſine quo ea de cauſſa Q, nunquam ſcribitur. Non minor aliorum error, qui cùm huius vim ſimilem eſſe proderent poteſtati ipſius C, malè cauſſam aſſignarunt, propterea quòd mutuò inter ſe conuerterentur: quoniam diceremus, *Coquus*, *Coci*, & *Arcus*, *Arquites*, & *Cum*, *Quum*, & *Sequor*, *Secutus*. Etenim mutationis ratio fallaciſſima eſt. Omitto flexionum terminationes, quibus in M, S, mutari videas, *Titus*, *Titum*, & in D, *Paris*, *Paridis*, hoc enim factum ſit diſcriminis gratia in caſibus. At pro R, S: pro S, T, inuenias: ἄῤῥεν, ἄρσεν, θεσσαλὸς, θετταλός. Non igitur à mutatione, ſed à ſono ducendum eſt argumentum. Sed neque, vt ex Varronis authoritate contendunt, Q, erit à literis potius excludenda, quàm aliæ literæ quærendæ: Nam in elementis ita euenit, quemadmodum in rebus: vt plures eſſent ſoni, quàm eorum notæ. Quæ fuit cauſſa, vt etiam diphthongos comminiſcerentur. Itaque fruſtra litigant, ſic: ſi alia eſt Q, ab ipſo C, propterea quòd V, ſequente alium percipimus ſonum: ergo erit G, quoque alia à ſeipſa, vel cùm neceſſariò ſequatur V, vel ſi fortuitò. Intelligo neceſſariò propter ipſam, vt *Lingua*: fortuitò, propter vocem, vt *Ligus*.

Hic

Hic enim dicimus nos,consultius quęrendam aliam figuram,ipsi G,qua hanc capiamus potestatem, quàm prudentissimè inuentum Q, excludendum.Fatemur enim G,aliud,atque aliud esse, non minus, quàm ipsum V,cùm sequitur vel Q, vel G,aut alias consonãtes. Non erit igitur idem cum C.Nam si sit:ergo alterum pro altero ponatur.idem igitur erit & *Qui*,& *Cui*.cùm tamen vtrunque sit monosyllabum : & alterum claudatur vocali,posterius autem cõsonante.in priore non audiatur secundi sonus elementi,in altero autem audiatur. Neque verò politissimus autor Catullus initio statim pulcherrimi, ac diuini poëmatis,sic scripsisset,

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus.

neque enim idem sonat ac si dicas,

Peliaco collis surgit de vertice.

Est autem sonus is & Græcis,& Gallis inimicus. Hispani non semper,Vascones semper,Itali facilimè obseruant.

Proximum ipsi C, est G. Itaque *Cneum* & *Gneum*, dicebant : sic *Curgulionem* & *Gurgulionem*,appulsa enim ad palatum lingua, modicello relicto interuallo, spiritu tota pronunciatur. At Calabri, & Campani, Vmbríque, atque alij eius tractus, etiam sibilo eius sonum faciunt crassiorem.Contra Flaminij,& extrema Picenorũ pars, ac togata Gallia versus Z,vt quantum distat Lõbardorum C,ab ipso C, Thuscorum,tantum Flaminiorum G,ab ipso G, aliorum : medio inter vtrosque nos proferimus rectissimè.

D, tam Græci, quàm Vascones, atque etiam

Arabes aſpiratius pronũciant, ſubdita ſcilicet dẽtibus lingua. Nos ſiccius, vix appoſita ac celeriter abducta. Huic affinis eſt T, pertinacius appulſa lingua. at Græca cũ his coniuncta Θ, nõ vt Galli proferunt, excito de gutture ſpiritu craſſiore, ſed vt Græci ipſi interpoſito ſuauiore flatu ſubiecta lingua laxiore ſpatio dentibus, quàm in D.

F, P, H, V, quum eſt conſonans, tres ſonos, ſuum quæque edunt: ſed ita, vt & cõgeneres intelligas, & non vnũ. Ac digãma quidem Æolicum, quod noſtrum eſt V, ab ipſo Φ differre palàm eſt. Æoles enim, qui haberent Φ, etiam digamma quæſiuere. Ita F, ab ipſo Φ, diſtare videamus, cùm antè F, ponamus N, at ante Φ & PH, noſtrum ponamus M. & M. Tullius irriſit Græcum teſtem, qui primam literam *Fundanij*, neſciret exprimere. Itaq; non defuere, qui Phamam quàm Famam ſcribere mallent, propterea quòd Græca eſſet vox. Puto autem fuiſſe F, validiſſimum aſtricto ſuperioribus dentibus labio inferiore. Mox ſequi Φ, dilutiore vi. Quo more etiam in præſentia vtuntur Græci ipſi. Tertio loco molliſſimum V, quomodo nunc quoque dicimus, aut non multò attentius. Par enim eſt: vt retineat etiamnum quippiam veteris vocalis, vnde ortum habuit. Quare notat Victorinus ſic ſcriptum inueniſſe, SERꟻS: quaſi duplicis VV, nota eſſet, vt SERVVS, diceretur. Sed multa marmora barbariſſima fuere innouantibus poſteris in veterum contemptum. Quod autem aiunt V, ſemper eſſe ſimplicem, nunquam duplicem conſonantem, ſiue in principio, ſiue in medio ſit: & ipſis habere

debe-

debemus fidẽ, qui tunc incorruptas pronunciãdi tenebant leges: & facit ad id, quod ſtatuebamus molliſſimo ſono eſſe. Quòd ſi quis obiiciat, præteritum *Audiui*, dicamus mediam ſyllabam illam ſua, non conſonantis natura produci: ſic enim *Audire*, ſic *Ouum* quoniam ᾠόν. Itaque non produxit primam in *Oue*, quoniã non potuit: fuerat enim ὄϊος. quare ſonus nõ fuit multus interpoſitę.

L, geminant atque aſpirant etiam cùm ſolum eſt, Gabali, Aruerni, & Ligures Taurini locis aliquot. cõtrà noſtrum vulgus vix adduci poteſt, vt geminent: Græci nunc ſic pronunciãt, vt aliquid aliud intelligas, quaſi ſuccedat I, conſonans ipſi L, & ſequentẽ præeat vocalem, quã pronũciationem audias hodie apud Thuſcos, quum dicunt, *Gli*: & apud Vaſcones, quum poſtponunt aſpirationem: apud Hiſpanos, quũ geminãt. Sic igitur Gręcus, ἀλιάδα: Thuſcus, *Agliada*: Vaſco, *Alhada*: Hiſpanus, *Allada*: omnes æquè malè, ſi ad Latinitatẽ ſeſe conferant. Sed Græcis hoc corruptè dici puto. Quin veteres obſeruabant exilius eſſe quum geminaretur, *Mella*: plenius quum finit ſyllabã, aut ante ſe in eadem ſyllaba habet conſonantem, vt *Sol*, *Flauius*: medio ſono eſſe, quum inchoat, vt *Lux*, *Cælius*.

Huic aliquo modo ſimilis eſt R, ſed longinqua tamen: eodẽ enim oris modo editur. Sed vda eſt L, at R, ſpirituoſa: illa ſimplici fertur tractu, hæc vibratur. Itaq; ob eã vibrationẽ aſpirationẽ accepit à Græcis, exit enim quaſi bulliẽte voce. Apud noſtrate vulgus vix duplicatã vſquã audias. Quidam diſtẽta ac rigida lingua ignauius efferũt.

In M,nullam vocem Græcia terminauit: Barbaris,nobisque modus nullus. Tres sonos habere animaduerterunt:crassissimum in principio,minimum in medio,mediocrem in fine. Sit omniũ vnicum exemplum,*Mimum:* & si geminata mutatur,*Mammam.* Initio enim collecta vox ad interiora narium, mugit: in medio penitus fallit, obsessa scilicet ac stipata vocalibus: in fine auditur mediocriter, abeunte iam voce: & quum geminatur, prior implet aures etiamnum magis, quàm quũ est in fine dictionis. Est & alius sonus quum terminat dictionẽ,& altera dictio sequens incipit à vocali:vt,*Equidem ego:* neque enim aut Galli,aut Lombardi rectè tũm proferunt: ita enim proferunt, vt finem alterius cum initio sequentis coniungant. Nos mediocri sono, & sanè dimidiato,vt intelligas, si voles, posse elidi:percipiásque differentiam si dicas, *Multum ille:* &, *Multa ille.* neque enim totum sonum abolebãt: neque enim intelligeres,sítne,*Multum*,an *Multa*,an *Multi*,an *Multæ*,an *Multo*, an *Multam*, Itaque libato tantùm sono, statim transabit vox, & in subeuntem sese dat.

N,ab M,differt gracilitate:clauso enim ore, & effuso sono in nares M,conformatur: at N, aperto ore, & lingua in palatum repercutiente vocem. Splendidissimo sono est in fine, & subtremulo, pleniore in prĩcipiis,mediocri in medio,*Ninon.* precedẽs aũt seipsum penè dimidio minor est:vt *Brẽnus*,& sequente G,vel C,siue exili,siue aspirato,longè adhuc mutilatior,*Ancile*,*Angustũ*,*Anchora.* ita verò, vt etiam diuersam literam putarent:

rent:

rent: nec dignarentur vulgari figura, ſed aliam quęrerent, exemplo Græcorum: qui vt aliam oſtenderent, ineptè alieniſſimi ſoni figuram ſubſtituêre, ipſius ſcilicet Γ. Hæc igitur cùm G, aut C, præceditur: at quum præcedunt ipſum N, optimè à Gręcis pronunciatur. Rectè à Germanis, à Gallis malè: ſic enim proferunt, vt nihil interſit, vtrũ dicas, *Magnus*, an *Mannus*. Itali hoc cõmittunt in N, quod Græci in Λ, ſuo: vt neſcio quid ſpurij inuexerint, quod literis exprimi non poſſit. Videntur enim omittere ipſum G, & aſpirare ipſum N, ſicuti Inſulani Græci faciunt vulgò, ſequente I, aut ΕΙ, aut ΟΙ, aut Υ. Nam Byſantios ego ita loquentes audiui, vt nos pronuntiamus.

S, facilima omnium literarum, neq; enim ſine ipſa efflare poſſimus. Quare non eſt merita vt à Pindaro diceretur Σανκίϐδηλον. Dionyſius quoq; cũ R, generoſiſſimam vocat, at ipſum s, expellit, reiicitque ad ſerpentes, maluit canem irritatam imitari, quàm arborum naturales ſuſurros ſequi. Pronuncianda verò eſt maſculo ac cõſtanti tenore, non dimidiato, vt Itali, & Galli, qui per z, proferunt. Idem. n. ſonus eſt in *Miſi* qui in *Miſſus*: ſed duplo maior: non eſt igitur alia vis, ſed duplicata: diſtat enim non ſubſtantia, ſed quantitate. Itaque ipſum x. Latinum malè pronuntiant, præſertim Itali in Flaminia, vt parũ diſtet à z. Quin iidem peſſimo conſilio atque vſu addunt in pronunciatione, E, poſt s, in quod deſinat dictio, & poſt x.

CAPVT XI.

An T, ſemper ſit eodem ſono.

AC de literarum quidem poteſtatibus hæc. Quoniã autẽ quędam ſunt controuerſę, eas ſeorſum tractare cõmodius viſum eſt nobis. Ac primùm quidem de T, Eius, vt diximus, ſonus fit appulſa lingua ad radices dentium ſuperiorum: quem ſonum apud Græcos receptum eſt variarę cũ ſequitur N, vt ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ. emollitur enim atque accedit ad D, noſtrum. Eius rei cauſſa eſt, quia ſuſpenditur pronunciatio in ipſo N, ad palatum, vt lingua non ita citò demittatur ad dẽtes: ita potius D, quam T, exprimitur. Sic etiam non tam plenè efferatur, quum ſequitur ipſum L, *Altus*. Ergo quum non ſemper eodem ſono vſui ſit, quæſitum eſt, quum præcedit vocalem I, atque hanc alia ſequitur vocalis, an rectè cõſuetudo teneat, vt aut Galli per integrum ſibilum, aut Itali per dimidiatũ edant: vt in exemplis, *Iuſtitia*, *Amicitia*. Igitur qui mutari contendunt, nituntur conſuetudinę, ac præterea Grammaticorum quorundam autoritate, qui *Litium*, & *vitium*, obliquos à *Lite*, & *vite*, ſine ſibilo iubent pronunciari, vt à rectis duobus *Vitium*, & *Licium* differant. Vtuntur præterea argumento de Græcis ſumpto: Nam ſi illi Π, ſuum in B, ſoni flectunt poſt M: ſi apud eoſdem Γ, eſt aliud quid ante Γ, K, X: ſi apud nos V, poſt G. & Q, transformatur: ſi denique T, ipſum apud Græcos poſt N, ſonum mutat: poterit & hic mutare. Poterant etiam ſubtilius addere: ſi C, & G, craſſius ante A, O, V: exilius ante E, & I, editur: eodem modo etiam T. Contrà alioqui ita ſentiunt, vſum nunc minimi eſſe & precij, & autoritatis, multáque mini-

minimè integra haberi. M. quoque Tullium, cùm vſui quiddam dedit, iccirco feciſſe quoniã apud populum dicebat quem ſibi attentum, non reclamantem volebat: atque nihilominus ſibi ſcientiã reſeruaſſe. Neque enim, quæ barbaries admiſit, fouenda: ſed quæ omiſit vindicanda. Neque nunc extare vſum quempiã nobis: Barbaros enim omnes eſſe nos: atque, vt minimũ dicant, peregrinos. Conſuetudinem, quæ legẽ habeat reclamantem corruptelam eſſe non conſuetudinem. Non negare ſeſe tenuiorem eſſe ſonum ipſius T, ante I, quàm ante A, aut O: ſed eundẽ tamen ſonum eſſe. Nunc verò nullã eſſe rationem, quare in ſibilium tranſeat: neque proba eſſe argumenta ſuperiora. Conſonantes enim à ſequenti vocali nullas mutari, ſed à præcedentibus cõſonantibus aut à ſequentibus ob ſonorũ diſſimilitudinem. ſicuti ſoni craſſitie quæ in B, & P, ſit, effici vt N, in M, mutetur. Græcos quoque habuiſſe autores linguæ noſtræ nos, qui nihil eiuſmodi commenti ſint: ſed à Gotthis, Vandalis, Langobardis. inuectum ſibilum illum. Præterea pudere vehementer debere illos, qui quum alios veniunt oppugnatum, ipſi vitioſa arma afferunt, quorum culpa conuincantur. *Licium* enim à ligando dictum ſicut & *Lictorem*, non iiſdem literis, quibus obliqui huius vocis, *Lis*, ſcribuntur, ſcribi. Rationem autem huius prauitatis eſſe, propterea quòd Barbari omni in ponunciatione multùm ponunt ſpiritus, ita vt pleraque in ſibilum degenerent neceſſariò. Quo errore etiam ipſum C, diximus ab ipſis pronunciari.

CAPVT XII.

De I, consonante.

COnsonantem I, semper in principio simplicem esse obseruarunt: in medio autem non semper duplicem: nam in *Periurus*, simplex est, in aliis autem multis pro duplici accipitur: *Maius, Pompeius.* Adducunt argumentum ab antiqua scriptura, per geminum enim iI, scribebantur, *MaiIus, PompeiIus*, quorum prius priorem claudat syllabam: quomodo etiam nunc quidam pronunciant Lombardi: sic etiam, vt suprà dictum est, claudit tertium casum relatiui *Cui*: alterum autem sequens sequentem inchoabat. Igitur non solùm quum incipit ab eo syllaba, vt dixere, consonans erit: sed etiam, quod omisere, quum terminabit, esse possit. Quin etiam sequente consonante vt in pronomine *Huic.* neque enim v. hic est consonãs, aspiratur enim: neq; est diphthongus, & est monosyllabum, atque idem I, est, quod prius fuit in secundo casu, *Huius.* sicut in *Cui* est, quod erat in *Cuius.* Ad hanc aũt naturam nõ potuit v, aspirare, sed transiit in pleniorem, scilicet in B, *cælebs.* neq; enim temerè à cœlo & vita deduxit Caius minimè meritus hoc, qui à Quintiliano notaretur: sed sibilus sequens in caussa fuit: quemadmodum è contrario in eius sonum aliquem mutatum est ipsum B, *Aufero, Abstuli.* Proprium autem est ipsius I, consonantis, in pristinam vocalis formã redigi: & augere numerum syllabarum. Hócq; commune habet cum v, consonante, vt diximus. Martialis versus est:

Sed

Sed norunt cui seruiant Leones. Et in obscœno carmine ita positū est:sed detestādum nō meruit recitari. In Virgiliano aūt versu etiā omissū est,

Tityre pascentes à flumine reice capellas.

Fecit enim verbum illud Tribrachum extrita A, quæ fuerat in origine simplici, *Iacio.* qua sublata, necessariò in veterem vocalis naturam restitutū fuit I. quo exemplo etiam in *BiIugo*,& *QuadriIugo*, idem euenit. Non rectè igitur antiqui, cùm *ReiIce*, ita legunt, vt primā corripiant, statuúntque I, simplicem ibi consonantē esse: redarguuntur enim quum aliorum, tum eiusdem poëtæ autoritate è tertio Georgicôn, vbi producitur illa syllaba: consonantis igitur ratione duplicis, nam suapte natura breuis est:

Reiice: ne maculis infuscet vellera pullis.

Inuenias etiam, quum natura media quasi quadam sit inter consonantem, & vocalem: legimus enim *Stellio* apud poëtā bisyllabum, & apud Terentium *Iniuria*, trisyllabum: item *Oppreßio*, & *Beneficio*, quadrisyllabum, aliáque talia pleraque, oppresso sono ipsius I, sicut etiā in voce illa *Dies*, facta monosyllaba. Accidit autem hoc aliis quoque vocalibus, *Ea*, *Mea*, *Tua*, *Sua*, monosyllaba apud eosdem comicos facere cogimur: & apud alios poëtas:

Vno eodémque tulit partu. Et Propertium:

Eosdem habuit secum, quibus est elata capillos.

I, indifferens est nunc consonans, nunc vocalis apud Comicos, In aduerbio, *Iam.*

CAPVT XIII.

Affectus finalis à potestate.

QVoniam verò literarũ finis eſt, conſtituere dictiones, iccirco ſecũdùm earum poteſtatem factum eſt, vt certis ſignificationibus aliæ aliis potius ſeruirent: in metu enim, ac dolore efflamus: itaque A, A, dictum eſt, multum enim hiatum præſtat: eadem de cauſſa, etiam aſpirationes interiectionibus aſcitæ ſunt, affectum enim notãt, confertus enim ſpiritus editur. Ita conſonantibus fictitia nomina ſuis quęq; farcta ſunt. Quid enim mollius, quàm vox ipſa hoc ſignificãs: quid impeditius, quã *Bambalio*, habes, *Baubare*? quod paſſiua voce quum protulit Lucretius, etiam plus tumultus excitauit, *Baubantur*. S, valde ſeruit ad ſpiritus eliſionem:

--*ſale ſaxa ſonabant*. R, autem rudiorem atque aſperiorem, vt *Murmur*. vtrunque coniunctum implent valde, *Stridere*. & magis cùm terminant dictionem, *Stridor*. Aſpiratæ conſonantes multò acrius vrgent his adiunctæ, *Fragor*. quippe etiam molliſſimã omnium literarum etiam exaſperant, φλοῖσβος, φλάω, παφλάζω. C. ſeruit hæſitantiæ. T, timori, A T, A T. M, vaſtitati, *Malum*, *Mons*, *Mirum*. etiã ſonum ipſum audias, quaſi præſentem, in quibuſdam vocibus λίγξε. & apud Virgilium cuius diligentiam nõ affectatam, ac diuinum iudicium nemo eſt. aſſequutus omnium vnquam poëtarum: percipies enim lignatorum operam illis vocibus:

--*ſonat icta ſecuribus ilex*. & illud quantum eſt?

--*tremit ictibus ærea puppis*.

Illa autem etiam cum naui dilabuntur.

Labitur vncta vadis abies.--

Tinni-

Tinnitui ſeſe dat N, *Canere*, *Hinnire*. Sed omnia exequi non eſt præſentis operæ, neque in omnibus hoc inuenias: fortuitæ enim multæ ſunt voces, vt in vltimo libro eſt diſputatum.

CAPVT XIIII.

Vitia poteſtatum allata vocalibus, aut conſonantibus.

NOn ſolùm id, quod rectè atque ex officio faciundum eſt, cognoſcere oportet, ſed etiã quod prauum eſt cauere: ita in ſcientiis quoque perfectè proficimus. Ergo poſtquã meras poteſtates perſcrutati ſumus, ipſa quoque vitia, quæ vitemus ex antiquorum obſeruatione, ſed more noſtro, hoc eſt, Peripatetico, ſunt declaranda. Deprauantur aut vocales, aut cõſonantes ſingulæ, aut cõiunctæ. Omne autem vitium fit aut Defectu, aut Exceſſu, aut Mutatione. Mutatio duplex, aut literarum, aut locorum. Ita fit peccatũ, aut in ſubſtantia, cùm altera pro altera ponitur: aut in quantitate, cùm maior, minórve efficitur: aut in qualitate, cũ ſono ſuo defraudatur, detorquetúrque in degenerem, aut peregrinum: aut in loco, cùm transfertur, vt σφάγανον φάσγανον. Igitur cũ alia pro alia ſubditur, quod faciũt Pariſiẽſes, cõmuni nomine, nõ proprio, Ruſticitatẽ veteres Latini, Barbariẽ Græci appellarũt. In quantitate autẽ error per exceſſum, Labdaciſmus: cùm craſſius ponitur, vt diximus, L *Locus*, pro *Locus:* ſic Metaciſmus, cùm M, mugiunt: ſic in vocalibus Platyaſmus, cùm hiatu vaſto putant grauitatem afferri actioni. Huius eſt generis etiam, Iotaciſmus, cùm ipſum I, exiliter maximè proferũt, atq;

ita vt etiã ſupercilia tollant: eſt enim exceſſus in ſono: ac quanquã exilitas ſit defectus, tamen etiã defectus capit incremẽtũ. Sic cũ alias cõſonantes aſpirant, aut craſſius edunt, dicitur *δασύτης*. *Crates*, pro *Grates*: *Bibo*, pro *Viuo*, aut etiã *Fifo*, ſic & pro illo, *Pipo*. Contraria huic *ἰσχνότης*, cũ defectu peccamus: ſic E, & O, exiliter nimis pronunciant quidam Germani, quũ tamen I, verſus E, deuoluant. Eſt autem exceſſus & ille, quum addunt literam, quemadmodum E, addunt Hiſpani & Vaſcones ipſi s, ſi coniunctum ſit, *Eſcribere*, *Eſperare*, *Eſtare*: vt vitarent *συρισμὸν*, quod vitiũ eſt cùm ipſum s, craſſiſſimum ac penè ſibilantes edimus. Eſt etiam in defectu, *κολόβωσις*, id eſt, mutilatio, quum aliquid omittimus: quod Galli faciunt, qui multas literas inculcant, vt originem, vnde deprauatum eſt verbum, repræſentent: paucas autem exprimunt. Contrà eſt Battologia, qui & Battariſmus, à Batto, qui Cyrenas condidit, homine linguæ impeditioris. Geminãt enim aut initia, ſic, *Popons*, pro *Po.is.* aut fines, *Paulala*, pro *Paula*. hoc etiam dicitur *ἤχησις* & *ἠχισμὸς*, ab Echo. Vitiũ autem initiorum vocatur ab Eraſmo Titubantia: commodius Hæſitantiam dicas tu: hærent enim primæ ſtatim conſonanti: falſò ab eodem *τραυλισμός*. qualitatis enim vitium eſt *τραυλότης*, ſiue *τραυλισμὸς*, cùm C, aut S, non quimus rectè efferre: ſicut nobis ſemper defuit lingua ad ipſius R, aſperitatem. hi Latinè Balbi dicti ſunt: quo vitio laborauit Ariſtoteles. Et Alcibiades qui R, in L, detorquebat quanquam in ſubſtãtia poſſis etiam peccatum dicere.

Sed

Sed hi Balbi ab Erasmo malè appellantur Blæsi. Est.n. Blæsitas vitium oris, sicut & κοιλοστομία: sed blęsi distorquēt literas, ex oris tortura: κοιλόστομοι autem è palato loquuntur, aut è naribus. βλαισὸς autem & ῥαιβὸς, sunt vitia crurū distortorū, valgiorū & vacciorum, vt apud Galenū videre est.

CAPVT XV.

Vtrum F, sit muta, an semiuocalis.

POstquam vidimus potestatem, quę est forma elementorum, qua species constituuntur, iudicare iam poterimus F, mutáne sit, an semiuocalis: sic enim Galenus quoque τὴν χρεῖαν priorem τῇ ἐνεργείᾳ dicit. Ac mutam quidem esse, veteres sic pote contendunt: Principiò, inquiunt, nomen habet tantùm semiuocalis, at nomen non mutat substantiam: Item si esset semiuocalis, dictionem quampiam clauderet, at nullam claudit: Præterea nulla semiuocalis ante L, aut R, in eadē syllaba poni potest, sed F, ponitur. Quartò, nulla semiuocalis ante L, aut R, posita communem facit syllabam, at F, facit. Ad hæc, Græcis idem est Φ, quod nobis F: sed Φ apud illos muta est: igitur & apud nos F. Sextum argumentū, præteritorum initia finésque non geminari nisi à muta incipiant: quare cum *Fallo* geminet sic, *Fefelli*, non erit semiuocalis. Postremò, F, pro, P, & aspiratione accipitur, vt olim *Phuga*, *Phama*: at P, muta est, igitur & F.

Hæc argumenta septem numero, vt qualia sint videamus, memoria est repetendum, quod suprà dictum est: Mutas non inde appellatas, quòd parum sonarent, sed quòd nihil: nullo enim conatu

adduci queas, vt B, nulla addita vocali proferas. Neque quod pro ratione adducũt, ratio eſt: Mulierẽ informẽ dictã, pro deformi: eſt.n. in eo vocabulo, *Forma*, æquiuoca vox: Nam & pro ſpecie accipitur, & pro certa partiũ proportione, quibus figura conſtituitur perfectior. Hanc igitur negat præpoſitio, nõ illam. Sic formoſum à formato aliud eſt: ſic locutus eſt Euripides: Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος. At mutæ nomen penitus vocem tollit, Græcorum ſanè imitatione, qui ἄφωνα, non δύσφωνα dixere: non κακόφωνα, nõ μικρόφωνα, quoniam nullam ſibi retinerẽt vocem. Ea enim ſunt natura, vt magna pars, niſi clauſis labiis, aut dentibus, aut vtrinq; cõformentur, vox edi nequeat: Idque declarat Plato quoque in Theæteto: τὸ δ' αὖ βῆτα, inquit, οὔτε φωνὴ, οὔτε ψόφος: οὔτε τῶν πλείστων στοιχείων. Semiuocales autem ſolo eduntur ſpiritu: adducta nanque ad palatum, vti diximus, lingua ſolo ſpiritu pronunciatur L: tremula, atq; vibrata paulò inferius, R: ſi ſpiritus ad nares aſcendat introrſum, vt idem vult Plato in Cratylo, N, pronunciatur: ſimplici mugitu editur M: ipſum verò ſibilum ſatis conſtat, nullius ope vocalis indigere: quare factum eſt, vt etiam aſpirationis loco poneretur ἕδος, ſedes. Ex quibus in ſumma illud conſtat, ſpiritu penè ſolo enunciari ſemiuocales, ſicut vocales ſanè ſolo, à quibus hoc illæ differant: quoniam vocales hiatu ſimplici, ſemiuocales operoſiuſcula efflatione pronuncientur, mutæ nulla. Hãc autem horum nominum aptiſſimam cauſſam, noſtræ ſcientiæ magiſtra autoritas Græcorum oſtendit. Nam ſi propterea eſſent

ſemi-

ſemiuocales,quòd incipiãt à vocalibus: profectò cùm à vocalibus non incipiant apud Græcos earũ nomina,nõ erunt ſemiuocales. Igitur Latini priſci cùm animaduerterent P, quidem nullum penitus habere ſonũ,niſi vocalis addatur:addita verò aſpiratione,habere vel maximum,intellexere: quippe inferioribus dentibus ad labia leniter applicatis exiens ſpiritus,ſibilum imitatus,ipſius F, imaginẽ reddidit:quo factum eſt,vt propter ſoni ſui facilitatem, obiret plerunq; munera, quæ ipſi s,debebãtur. Id quod itẽ agnoſcimus in ſemiuocalibus:Siquidem pro aſpiratione quoq; poſitum fuit,vt *Felena*,pro *Helena*. Atque iccirco etiã Θ, & X,à Græcis ſemiuocalium in numerum ſunt relatæ:quarum tamen tenues eſſent mutæ. Aſpiratio enim tenuium literarum naturam animarat ita,vt nullius indigens adiumenti ſonus appoſitus in aliam ſpeciem ad ſeſe traheret. Eſt enim aſpiratio quaſi vocalis quædam,aut etiã vocalium anima ipſa : quare mutæ appoſita ſemiſſem conſonantis illi reliquit , alterum ſemiſſem ſibi vindicauit, vnde & ſemiuocalium nomen ſit ſecutũ.

Soluuntur ex his argumenta:Ac primum quod afferunt,non debere vim à nomine mutari:tantũ abeſt,vt negemus, vt aſſeuerẽ antiquos perpenſa huius literæ poteſtate,ſummo ſtudio nomẽ,quod à Græcis acceperant,inuertiſſe: ídq; indidiſſe ſecundùm vim,quam compertam habuere. Neque talem putaſſe , quia ſic appellaretur : ſed nomen impoſitum propterea,quòd talis eſſet.

Aduerſus ſecũdũ argumẽtũ : negamus neceſſe eſſe,omnia nomina omnib⁹claudi ſemiuocalibus

Neque verò rectè ſic eos argumẽtari: Cæteræ ſemiuocales claudunt nomina: igitur ſi F, eſt ſemiuocalis, claudere itẽ debet. Neq; enim dictiones efficiunt, vt literæ ſemiuocaliũ, aut mutarũ naturã ſortiantur: ſed literæ faciunt vt dictiones ſint: partes enim totius cauſſę ſunt. Neque ſi qua litera non claudat cõtinuò nõ ſit ſemiuocalis. Sed ea regula conſtituta eſt ab iis, qui hanc mutam putabãt eſſe. Præterea hoc eodem argumento à mutis excludã: ſic Cæterarum pleræque mutæ claudunt, *Lac*, *Adad*, *Volup*, *Caput*: at F non claudit: non eſt igitur muta. Quid, quòd priſcorum teſtimonia aduerſantur negantibus nomina claudi ipſo F. nã vt omittã eos vſos eſſe AF, pro AB præpoſitione: ipſius ſanè literæ nomen ſuo ſibi ſono F, clauſere, etiã cõtrà quam à Gręcis accepiſſent.

Tertia ratio negabat vllam ſemiuocalem ante L, aut R, in eadem ſyllaba poni poſſe. At hoc tibi negamus nos: quis enim hoc ſibi perſuaſit, niſi qui mutam putaret F, petit igitur, quod probare debet. Sed & hoc falſum eſt: ſemiuocales enim Græci antepoſuere ϑλάω, χρῶμα.

Quartũ argumentũ quo aiũt, Nullã ſemiuocalem ante L, & R, poſitam efficere ſyllabam communẽ, ridiculũ eſt. Si nanque ſuperius argumentũ verũ eſt, hoc erit falſum: hoc enim ab illo tollitur. nã quod ibi negabãt, nunc hic ponunt. Quo enim modo communem ſyllabã efficiet, quæ ne ſyllabam quidem facit? Quid? ſi ſemiuocalis facilitas in cauſſa eſt, vt mutæ poſtpoſita, mora tam puſilla trahatur in ſyllaba, vt etiam corripi poſſit, in qua tamen muta ſit: quanto aptius atque commo-

commodius id inter duas ſemiuocales fiat? Mutarum enim ratione minimè fieri conſtat: ſiquidem vbi duæ ſunt mutę, non id euenit, vt in verbo, Tracto, quod natura ſua dibrachum eſt. Sed vbi muta cum ſemiuocali, vt in verbo, *Agrum*. aut duæ ſemiuocales, vt in verbo ὄμνυμι.

Quintã rationem, ex iis, quæ diximus ſolutam videmus: Φ, nanque ſemiuocalis eſt, immutata ipſius Π, per ſpiritum poteſtate. Sicut etiam Θ, & Χ, cùm tamen Τ, & Κ, mutæ ſint, vt dicebamus. Quo inſtituto in alias quoque ſpecies eædẽ mutãtur mutæ. Addito enim ſibilo ipſis Γ, Δ, Π, fiũt ſemiuocales, præſertim cùm fateantur ipſius Ψ, quàm ipſorum Π Σ, eſſe ſonum faciliorem.

Sexta obiectio ſeipſam damnat: nam ſumpta regula hac, Non geminari præterita, niſi id per mutas fiat: concludit per, *Fefello*, mutã eſſe F, cum tamen inueniamus, *Steti*, *Spopondi*, *Scicidi*, quæ incipiunt à ſemiuocali. Neque verò ad id confugiendum eſt, vt S, nullam ibi vim habere dicamus: ſiquidem eius ſibili tanta eſt vis, etiam ipſis in præteritis Græcis, à quibus hic fluxit mos, atque adeo in verborum initiis ita viget, vt ipſam impediat geminationẽ ςάζω, ἔςαχα. At ſi S, nullum erat, vtique eo abiecto geminatio admiſſa fuiſſet. Sed quid agunt hi? nonne *Momordi*, geminauit? quid enim aliud eſt M, hic dicere, mutæ vice fungi, vt aiunt ipſi: quàm dicere M, mutam non eſſe ſed ſemiuocalem? Quæ quia diruebat iſtum canonem, ad mutæ functiones, atque vices eos miſerrimè compulit. Quare ſi eis neges verũ eſſe illud apoteleſma, probandum erit ea ratione:

quia non admittit semiuocales. At ego contrà, non solùm *Momordi*, hoc obiiciam: sed illud ipsum etiam, *Fefelli*. Igitur id, per quod probant, maior est in controuersia, quàm hoc, quod quærimus: vt omittamus Græcorum & prudentiam, & institutum, à quibus morem nostrum induximus, qui σέσηπε, dicunt & λέλειπε, & μέμλυε, & γέγυφε, atque alia eiusmodi. puerile enim est abducere à geminandi potestate semiuocales, mutísque asperioribus attribuere: cùm asperiores literæ prohibeant in quibusdam geminationem.

Postrema pertinacia, vt cùm quinta cohæret, ita cum illa quoque soluitur spiritu mutatum P, in F, & mutatam speciem, argumento etiam ipse ordo est coniunctarum in dictionibus: quippe ipsum P, ante se non patitur N: at F, patitur, ita vt etiam ipsum M, in se mutet, *Anfractus*, erat enim AM, ab ἀμφί.

Ludicrum quidam additum, ne res quidem meretur, vt diluamus: Audent enim fingere modum nescio quem, vnde F geminetur: scilicet per mutationem: vt *Offendo*. at semiuocales non per mutationem, sed suapte natura geminari, *Olla*, *Flamma*, *Ennius*, & alia. Quasi verò intersit potestatis per mutationémne, an per naturã geminetur: geminatur enim, quia eius natura ita fert. Quasi verò nõ ceteræ quoque mutæ geminẽtur: *Obba*, *Acca*, *Reddo*, *Iuppiter*, *Rettulit*: quasi verò ipsum quoque F, non idem patiatur, *Offa*. Quasi verò omnibus semiuocalibus idem eueniat vsu: Non enim duplicibus. Quasi verò vete-

veteres vllam consonantem geminarint. Hoc enim negat cùm Festus, tum Varro: & tamen eo quoque tempore & mutæ erant, & semiuocales.

CAPVT XVI.

Vtrum, Ω, an H, sit longior.

QVanquam Ω, & H, Græcæ sunt: tamen quia nostratium dictionum aliquæ ab illis profectæ, harum vocalium semina retinent: festiua nobis quæstio tractanda est, vtra scilicet longior sit. Duas sententias constituamus: alteram ab origine, philosophicè: alteram ab societate, mathematicè. Ab origine, sic: Quæ proportio materiæ ad alterius proportionem, eadem & compositi ad compositum: sed E, est materia ipsius H: & O, ipsius Ω: ergo si O, est longius quàm E, ita Ω, quàm H. Quòd autem O, sit longius, quàm E, probant per regulam: Quinti casus syllabam vltimam aut eandem esse cum postrema Recti syllaba, aut minorem. Igitur ὦ λόγε, cùm non sit eadem cum λόγος, minor erit. Ratio autem Mathematica est contra hanc, à proportione societatis: Quæ est proportio totius ad totum, eadem est partium ad partes: si æqualia inæqualibus demas, quæ remanent, sunt inæqualia. Ergo cùm EI, diphthongus sit longior quàm OI: exempta vtrobique I, communi vocali, erit quod remanet E, longius quàm O. Quod autem EI, sit longior quàm OI, patet ex accentu. Nã in fine posita EI, nũquam aut antepenultima

acuetur, aut penultima circunflectetur: at si οι, sit in fine, vtrunque fiet. οἶκοι, φιλόλογοι. Afferre etiam illud possumus ε, ante λ, apud Homerum productum aliquando, μέλως ἐλώεια. ο, autem nunquam: repugnat enim naturæ eius productio.

Hæc argumenta etsi sunt magis exercitatoria, quàm necessaria: tamen etiam pertinent ad veritatem: neque enim illud Quintiliani recipiendum est: Grammatico expedire, etiam si quædam nesciat. Nam quem tandem ille fingit è quadriuio extra encyclopædian? Dicamus igitur, ε, esse breuius, quàm ο, plus enim temporis in hac ponitur proferenda. Diphthongorum autem obiectio illa nulla est. Nemo enim ignorat α, esse longius quàm ο. & tamen idem euenit ipsi αι, quod ipsi οι, euenire dicebant: posita enim in fine acuitur antepenultima. Præterea eidem οι, non id contingit semper: non enim Aduerbiis, non Optatiuis, οἴκοι, ἀκούοι. Et in secundo libro vsus is reprobatus est: nam si iccirco non acuitur antepenultima, cùm postrema est longa, quia resolui potest: igitur accentus acutus in quartam à fine reciperetur: quod est absurdum: sic, τύπτουσας participio fœminino in quarto casu: idē mōstrū sequetur etiam si penultima longa resoluatur, sic τύπτουσα. nec tamen ad id respexere. Vsus tamen Atticorum, si accentu rem metiare, huic sententiæ aduersatur, & fauet priori: dicunt enim, μηνέλεως.

CAP.

CAPVT XVII.

Locorum affectus à potestatibus inuestigantur.

HÆ ferè sunt potestates cuiusque soni singulares: ex quibus si quid præterea in medium afferatur, possit tolli controuersia. Neque enim optimi artificis est (vt ait Galenus) omnia persequi. Nunc secundùm loca sedes cuique debitas videamus. est enim potestatis pars, comitē aut vicinam literam aut pati, aut non pati. Igitur literæ aut sunt in dictionibus, aut nō sunt. si sunt, patiuntur mutationem aut in substantia, aut in loco, In substantia bifariam: nanque aut abolentur à principio, à medio, à fine. Sic nomina tria inuēta sunt, Aphæresis, Latinè ablatio: Syncope, Latinè concisio: Apocope, Latinè abcissio. Aut transmutatur in aliam, Græcè, μεταβολή. Patiuntur in loco, Latinè translatio, Græcè μετάθεσις, transpositio. Si non sunt, addunt, aut principiis, πρόθεσις, Latinè appositio: aut mediis, ἐπένθεσις, Latinè interpositio, aut fini, Græci dixerunt hāc παραγωγὴν, productionem. Hæc sunt genera. Species autem, sic: Nanque aut sunt eiusdem notæ, & potestatis aut diuersæ. Item à numero: vna, aut plures. Affectus autem non omnibus iidem, aut ęquales: neque enim eiusdem generis consonans aut principiis, aut finibus additur: neq; duplices geminantur, vt nunc vsurpant Itali, vt exprimant vitia linguæ degeneris à Latina: ponunt enim duplex z z. Accidunt autem hæc, aut ex vsu: vt quase, quasi: aut ex arte, & hoc aut ex inflexione: vt, ago, egi: aut ex deductione, & hic bifariam: nā aut à peregrino, vt Patroclus, πάτροκλος

Auo, Punicum, vnde noſtrum, *Aue: Marath*, Hebræum, vnde *Mare*, noſtrum: aut à Latino,& hinc dupliciter: aut enim ſimplex fluxit, vt à *Titulo*, *Tutus*: non, vt ait Varro, è contrario: nam *Titulus* παρὰ τὴν τιμήν: vnde & τίειν. aut compoſitum, à ſuis partibus, vt abigo. De quibus ſuo quoque ordine, agendum eſt. Sed quia tranſpoſitio facilior eſt, ab ipſa, cum venia, incipiamus: nihil enim nocet.

CAPVT XVIII.

Tranſpoſitio.

TRanſpoſitione ſanè intereſt vtrum intelligas, relatas in priores ſedes literas, an dilatas in poſteriores. Nam ſi dicas *Fretum*, quaſi *Fertum*, à *Feruendo*: vtrum intelligas R, antelatum ipſi E, an E, poſtpoſitum ipſi R? Sed omittamus exemplum: fortaſſe enim fuit *Feruetum*, atque inde nulla tranſpoſitione, ſed extritione, factum *Fretum*. In rem ipſam intendamus: vocaliſne, an conſonans tranſponatur. Rectius ſanè iudicemus, conſonantem, non vocalem transferri. Differuntur enim difficilia: difficultas autem in conſonantibus: quare qui ſtatim non poſſent, mox in proximam ſedem tranſtulere. Eſt etiam à Græcis exemplum, σφαγεῖν dicimus, vnde σφάγανον. quare cùm φάσγανον dicatur, conſonans, non vocalis tranſlata videatur.

CAP.

CAPVT XIX.

Abolitio, Ablatio, Concisio, Abscissio, Præpositio, Interpositio, Appositio.

ABolitio est, cùm tollitur litera. genus hoc est, ablationis, cōcisionis, abscissionis. Quæ prius tractanda sunt, quàm Præpositio. Interpositio, Appositio: propterea quòd tollimus quod est: at quod est, prius est, quàm quod non est: est enim habitus priùs, priuatione. Si autem ita consideres, iam ablatas esse: tunc è contrario & Sycopam, & alias primo tractes loco. Ne sit igitur fraudi, siue quasi ablatas, siue quasi auferendas contemplemur. Additur ergo diuersa in principio: *Edurus*, apud poëtam, pro *Durus*. In medio, *Mederga*. quæ euitandi hiatus caussa inuenta est. maximéque pertinet ad v, vocalem: *Alcumena*, *Æsculapius*, *Hercules*. I, quoque eius vsus sit particeps: *Nauita*, Ναύτης, *Nauta* enim primum fuit. &, c, consonans, *Sicubi*, *Comburo*. & aspiratio vehemens: *Mihi*, *Prehendo*. & ante medium, post principium: *Loumen*, pro *Lumen*. & in fine: vt, *Comperior*, pro *Comperio*. Additur autem similis, A H À H, in principio: in medio, *Reddo*: in fine *Nausicaa*. Quod autem veteres adducunt pro exemplo ex Horatio:

Reducet in sedem vice.

item ex Terent. Phormione,

Sectari in ludum: ducere, ac reducere.

hoc est, librariorum manum, non autoris fidem implorare. neque enim in his iambicis vel in illo dimetro, vel in hoc tetrametro, necessaria spōdeo

ſedes eſt. Sed è Lucretij libro primo poterant aſferre:

Redducit Venus: aut redductum Dædala tellus.

Quemadmodum autem ss, & rr, & ll, geminata debeantur ſuperlatiuis, ſuo loco dictum eſt: contrà quam recentiores deprauarunt. Contrà autem tollitur ab initiis: vt *Natus*. fuit enim *Gnatus* à *Generor*. De medio: vt, *Periculum*. de loco ante medium qui eſt: *Pratum*, quod fuit *Paratum*. Hæc à Nigidio Figulo Interciſio dicta fuit: poteſt etiam Conciſio dici. vt, ſermo breuis, qui vocabitur conciſus. Ratione carminis interdum factum eſt, vt apud Homerum, αἴγυπος, pro αἰγυπτίος. & ἀδροτῆτα, pro ἀνδρότητα. & apud Oppianũ, μόλυβος, pro μόλυβδος. Interdum ob tædium prolixæ dictionis: *Periclum*. Aliquando ob difficultatem: vt, ἐσλός, quod aliis eſt ἐσθλός. Aliàs ob vtrunque: *Bruma*, βραχὺ ἦμαρ. Aufertur à fine: vt in plerïſque verbis, & luſit Auſonius:

Qui reminiſco putat ſe dicere poſſe Latinè:
Hic, vbi Co, ſcriptũ eſt, faceret Cor, ſi cor haberet.

Sed & in vſu communi abiiciebant m, & appellabant ἔκθλιψιν, extritionem. Item s, Multi' modis. Sed & in ſcribendo. nanque aiunt M. Catonẽ ſic ſcripſiſſe: *Die' hanc*; pro *Diem*. Pindarus poëta non ſolùm eliſit, s, ſed etiam eiecit exulem: cùm poëmatium condidit, in quo nullus penitus ſibilus reperiebatur.

CAPVT XX.

Mutatio in communi.

Mutatio eſt parte incolumi vel manifeſta, vel occulta, partis alterius abolitio, aſſũptióque

ptióque extranei:neq; enim mutaretur ſine ſymbolo. Appello nũc ſymbolum,quod philoſophi, communem quandam rem à natura collatam. Quanquam enim elementum indiuiſibile eſt:tamen quia ſonos quoſdam latẽtes inter ſe affines habent,iccirco ea ſoni parte incolumi, altera inducta eſt. Ac manifeſta quidem eſt in duplicibus. Etenim, Z, cùm ſit ex S,& D, in *Medentio*, D, remanſit: ſibilus abiit. hæc mutatio per ablationẽ, non per tranſmutationem facta eſt. At verior in verbo Plautino, *Siciliſſo*, S, remanet: D, in alterum S, abiit. σικελίσδω. Occulta autem in *Caſſantra*, ex *Caſſandra*. communis nanque ſonus eſt quidam D,& T. neque differunt, niſi mollitie quadã,aut exilitate. Alia mutatio, ex inflectẽdi modo, haud ita vera eſt. Cùm mutantur ea, quæ habent inter ſe cognationem, aut genericam: vt, vocalis in vocalem, conſonantis in conſonantem: aut quæ ſecundum ſpeciem fit: vt, certa vocalis in certam. At participium actiuum præſentis temporis à præterito perfecto cùm deducimus: duas diuerſas conſonantes recipi, vocalémque tranſmutari conſtat.

CAPVT XXI.

Mutatio, quæ fit ex conſuetudine. Vocales.

GEnerica mutatio hæc, atque huiuſmodi eſt: cæteras nunc ſecundùm ſpecies exequamur: ac primùm eam, quæ ex vſu facta eſt: certiſſimis enim ſonis cognationem oſtenderunt: nam quod veteribus fuit, *Mageſter, Amecus, Menerua, Quaſe, Niſe, Sibe, Here:* nunc per I, *Magi-*

ſter,& reliqua. Sic olim *Leparenſes*, poſtea *Liparenſes*,autor Feſtus. Contrà I,ponebant, vbi nos E: *Ni*,apud Plautum,& Vergiliũ, quod nos *Ne*. & E,pro V: *Auger*, nos *Augur:* illi *Hemona*,nos *Humana*. & pro O. illi *Compes*, nos *Compos:* Æolum more, vt toties diximus: qui ἴδον۞, quod Attici,ὀδόν۞.Sic etiam *Helus*,pro *Holus*. & *Hemone*,pro *Homine*. Vbi etiam O, pro I,quoniam *Homonem*, dicebant: Nunc *Hominem*. etiam E, quod nos, A.Cato enim *Dicem*,*Faciem*. quæ poſt illum *Dicam*, *Faciam*. Item O, in A, vt iam oſtendimus, *Hemona*, pro *Humana*. Et pro E, *Amplocti*, pro *Amplecti:* nam eiuſdem fontis eſt πλέκω,& πλοκή. Sed etiam in aliis: *Voſtris*, *Vorti*, nunc *Veſtris*, *Verti:* vt primus omnium Africanus emolliuit: nam quod erat *Vortex*, & *Vorſus*: ipſe *Vertex*, & *Verſus*, maluit. Sic etiam in I. *Olli*, nunc *Illi*. Item quod erat V, fecimus O, *Iſthuc*, nos *Iſthoc*. contrà illi *Voltis*, nos *Vultis*. illi è contrario *Fulguribus*, vt apud Lucretium, nos *Fulgoribus*, *Cuncha*, *Gungrum*, *Fretu*, *Lauru*, *Huminem*, *Fruns*, *Acheruns:* nos hæc omnia per O. De V, & I, ſatis ſuprà dictum eſt: aiunt enim C. Cæſarem primum omnium *Optimum*, & *Maximum*, quod erat apud priſcos *Optumum*, *Maxumum*, pronunciaſſe. O, Thuſcos, Vmbróſque caruiſſe, memoriæ proditum eſt. Quare qui *Epiſtulam*, & *Adoleſcentes* malunt dicere, Vmbros ſeſe, non Romanos profitentur. Nam contra Romani *Polchrum*, & *Hercolem*, & *Dauom*, & *Seruom*,protulere.

Ex diphthongis autem, illi OE, nos V, *Moeri*, nos *Muri*. adhuc antiquitatis veſtigia remanent in *Moenia*, poſteritatis autem in *Munus*. origo autem erat ab OI: *μοῖρα*, rata ſcilicet cuiuſque ciuis pars. Apud eoſdem AE, integra manſit, quam nos in I, mutauimus: *Exquære*, apud Plautum: nos *Exquire*. AV, in O, & è contrario: *Claudius*, *Clodius*: *Aula*, *Olla*: *Ploſtrum*, *Plauſtrum*.

CAPVT XXII.

Mutatio Conſonantium ex conſuetudine.

CONſonantes autem veterum ſic mutauit vſus: poſuit enim B, pro D, *Duonum*, *Bonum*: *Duellum*, *Bellum*. quod & in Græcis notauimus, *δὶς*, Bis, & eandem, pro F: illi AF, nos AB: illi *Sifilum*, nos *Sibilum*. Sicut è contrario, illi *Bruges*, nos *Fruges*.

D, poſuimus pro R, illi *Aruena*, nos *Aduena*: illi *Aruocati*, nos *Aduocati*. & eandem pro S: illi *Aſuerſa*, nos *Aduerſa*.

F, poſuimus pro PH, *Fama*, quod fuit *Phama*. & *Fuga*, quod fuit, *Phuga*.

G, poſuimus pro R. *Arger* illi, nos *Agger*. illi *Argrego*, nos *Aggrego*. Itali quoque hodie *Arger* dicunt. curioſè nimis Victorinus, vt diximus, *Anger*: ſicut contrà, *Agchora*, non *Anchora*.

M, poſuimus pro S. *Committere*, quod illi *Coſmittere*.

R, poſuimus pro D. *Meridies*, olim *Medidies*.

quia μέρος,& μέσον,& medium,cognata erant. Elisimus,*Carmena*,*Camena*.& eandem pro s.*Odor*, *Vapor*,atque eiusmodi:olim *Odos*. Sed & ab illis *Passes*, dictum fuit:quod nos *Passer*. Vulgatum quoque illud est, *Valesius*, *Fusius*: nos *Valerius*. Item illi *Casmena*, quod postea *Carmena*, quod retinuimus in,*Carmine*.Item,*Osrena*,posteri,*Orrena*, Æolensium imitatione qui non dicunt ὅρω ὀρῶ, sed ὅρσω.

s,posuimus pro c *Suscepit*, olim *Succepit*: sed ita puto à veteri voce posteros deduxisse, quæ fuerit *Sus*: priscos autem à communi *Sub*. Et eandem pro aspiratione: nam quod est nobis *Musa*,illis fuit *Muha*. Et pro м, *Prorsus*, quod erat *Prorsum*. Etiam elisimus: nam illi *Casmilla*, *Coesna*, *Dusmus*: nos detraximus sibilum. In quibusdam tamen mansit solus, *Strenna*: sed cum aliis, *Stlites*, *Stlatum*, non mansit: *Lites*, *Latum*.

т,posuimus pro d, *Adque* illi dixere,nos *Atque*.sanè melior priscorum ratio: nam & mollior sonus est, & origo seruatur. præpositionis enim vis adhuc manet,vt dicamus. Tu atque ego: & sit, Tu & ad te ego. Sed voluere discrimen esse inter præpositionem,& coniunctionem. Eiusdem modi fuit,*Sed*:nam è contrario olim erat,*Se Et*: disiungit enim, Tu curris, *Se Et* ego sedeo. Separata enim est actio mea ab opere tuo.aduersatur enim vox illa,*Se*,vt seorsum,securus,segrego,separo,& alia innumera.Etiã *Aud*,non *Aut*, & illi dixere,& nos dicere deberemus:nam si negatiuæ *Haud*, addita est aspiratio differentiæ caussa;

caussa: sanè cætera elementa ad quærendum discrimen non sunt mutāda. quin fortasse potius vtrunque ficciore elemento scribendum sit, *Aut*, *Haut*. Græcum enim fuit αὖτε. Omnis autem disiunctio vim obtinet negationis.

V, posuimus pro F, *Seruus*. at Æolicè sic scribebant, *Serfus*.

Aspirationem supposuimus: illi, *Belena*: nos *Helena*. detraximus autem multis, *Charum* scribebant, nos *Carum*, vnde & *Carere*: quoniam deficiente annona carebant, atque ibi tum illa cara erat. Aiunt remansisse in tribus, *Orchus*, *Pulcher*, *Lurcho*. Orchus tota Græca fuerat, & translata aspiratione à vocali ad consonantem ὅρκος. videtur ex epitaphio Næuij poëtæ, aspiratè pronunciatum:

Postquam est Orchio traditus thesauro.

Lurcho, contra analogiam aspiratum fuit: nam Mucco, à muccis: & Bucco, à buccis: ita Lurco, à lura, ob ingluuiem: sed ratio significationis potior fuit, ob sonitū voratoris. Sic φλεῖν, aspirationem admisit. At quare *Pulcher* aspiretur, ratio declarat: fuit enim Græcum πολύχειρ, id est, fortis: sic omnium doctissimus poëta:

--Satus Hercule pulchro. Pulcher Auentinus.

Igitur Romani qui omnia ponerent in fortitudine, eum demum bonum, & formosum putarunt, qui esset fortis. Itaque fortis quoque pro pulchro positum est apud Plautum in Militeneque sine ratione: exemplo enim Græcorum factum est, qui καλὸν, æquè & formosum, & bo-

num significarunt. at bonus fortis est: malus autem, κακός, imbellis: vnde Caculæ, qui in numero militum non essent, παρὰ τὸ χάζεσθαι, quod est cedere. χάζεο τυδείδη.

Iidem veteres multa inuertêre: Catamitum, pro Ganymede: Melonem, pro Nilo: Lubedontem, pro Laomedonte. etiam inueni vbi Saguntum pro Zacyntho dixerint: quæ nos omnia funditus euertimus, non solùm elementa immutauimus.

CAPVT XXIII.

Mutatio per inflexionem. Vocales.

POteramus sine flagitio, non exequi partem hanc ab inflexionibus: neque enim certa nititur ratione, & puri Grammatici interest. Sed nequid omitteremus, apposuimus: non tam vt omnia complecteremur, quàm vt principia ipsa statueremus.

Igitur A, breue in longum mutatur, vt Rectus fert primæ declinationis, & sextus casus: è contrario longum in breue, *Par*, *Paris*. A, breue in E, breue, *Parco*, *Peperci*: nam parco est, partem arceo: id est, contineo: *Pars* autem natura corripitur, à πάρος, quoniam pars præcedit totum: sumptum nomen à messoribus, & vindemiatoribus, & lignatoribus, & pastoribus. A, breue in E, longum, *Facio*, *Feci*. A, longum in E, longum, *Fallo*, *Fefelli*. A, longum in E, breue, *Stas*, *Steti*. A, breue in I, breue, *Cado*, *Cecidi*. A, breue in I, longum, *Peccata*, *Peccatis*. A, longum in I, longum, si à sexto singulari

lari primæ deducas ſextum pluralem, *Bona*, *Bonis*.

E, breue in E, longum, *Sero*, *Seui*. E, longum in E, breue, *Fides*, *Fidei*. E, longum in A, breue, & longum *Anchiſes*, *Anchiſa*, ſexto caſu, & *Anchiſa*, quinto. E, breue in I, breue, *Culmen*, *Culminis*: in I. longum, *Eo*, *Iui*. E, breue in V, breue, *Pello*, *Pepuli*.

I, breue in I, longum, *Audio*, *Audiui*. I, longum in I, breue. *Ambire*, *Ambitus*. I, breue in A, breue, *Siquis*, *Siqua*, rectus fœmininus: in A, longum, *Siqua*, aduerbium. I, longum in A, longum, *Qui*, *Qua*, aduerbium: fuere enim olim caſus quarti, poſtea facti ſunt aduerbia. I, breue in E, breue, *Rapio*, *Rapere*: in E, productum, *Turris*, *Turres*. I, breue in V, breue, *Rapio*, *Rapui*: ſic enim volunt: nam nos putamus fuiſſe olim *Rapiui*. Sed ſunt alia exempla, *Alitis*, *Alitum*: in V, longum, *Quis*, *Cuius*. I, longum in V, longum, *Qui*, *Cuius*. Sed & in O, quod & prius fuit, *Quoius*.

O, breue in longum, *Pulmo*, *Pulmonis*. O, breue in A, longum, *Amo*, *Amaui*: in A, breue, *Do*, *Dare*: in E, productum, & correptum, *Lego*, *Legere*, *Legerunt*: in I, correptum, *Homo*, *Hominis*: in I, productum, *Scindo*, *Scidi*: in V. correptum, *Domo*, *Domui*: in V, productum, *Sequor*, *Secutus*. O, productum in V, productum, *Erato*, *Eratus*: in I, breue *Agnitum*.

V, breue in longum *Domus*, *Domu*. V, longum in V, breue, *Penu*, *Penuris*. Sic enim ſcripſere pri-

mùm, quod nos *Penoris*. Sed eſt & aliud exemplum, *Cornu*, *Cornua*. v, breue in A, breue, *Cornum*, *Corna*: in E, correptum, *Genus*, *Generis*: in I, longum, *Bonus*, *Boni*: in breue, *Caput*, *Capitis*: in O, breue, *Fœnus*, *Fœnoris*: in O, longum, *Bonus*, *Bono*.

CAPVT XXIIII.

Mutatio Diphthongorum ex inflexione.

FOrtaſſe & aliæ quædam ſint mutationes, quæ addentur, ſiquis inueniat: ſed ſiquæ ſunt, non multæ ſuperſint. Diphthongi autem ſic tranſeunt: AE, in A, *Quæ*, *Quarum*: in I, longum, *Cædo*, *Cecîdi*: diphthongus enim ibi fuit, à Græco καίνω. Contrà ex I, factum eſt, OE, *Incipio*, *Incœpi*: quoniam fuit, *Cœpio*. Inuenias autem etiam inter ipſas mutationes, ſi Nigidium ſequare, cui rectus pluralis fuit, *Bonei*, ad differentiam ſecundi caſus ſingularis *Boni*. & fecit *Turreis* quartum pluralem, ne eſſet, *Turris* vnus è ſingularibus. Quod ſi ita debuit, debuit & variari quartus pluralis ſic, *Domous*, ne eſſet vnus è ſingularibus, *Domus*. Sed nos præclara ingenia admiramur, conſuetudinem ſequimur. Sic etiam relatiuum variabis: rectus ſingularis, *Qui*: tertius caſus, *Quoi*: rectus pluralis, *Quei*. Veteres autem etiam tertium ſimpliciſſimè ſcripſere, *Qui*, non *Quoi*. ſic enim legimus illud Vergilianum:

--qui non riſere parentes:

Nec Deus hũc menſa. Dea nec dignata cubili eſt.

eſt enim poſitũ pro, *Quoi* ſiue *Cui*. Scriptura autem communis etiam recto, fecit vt & ſenſum inuer-

inuerterent Grammatici, & pessimè Historiam, aut fabulam, quam afferunt, adoptarent.

CAPVT XXV.

Mutatio consonantium, ex inflexione.

MAior adhuc restat labor: sed sanè sit cum venia, si gratia carebit. Boni enim artificis partes sunt, quàm paucissima possit, omittere. B, C, D, G, M, N, Q, R, T, mutantur in S: *Iubeo, Iussi: Parco, Parsi: Lædo, Læsi: Spargo, Sparsi: Premo, Pressi: Pono, Posui: Torqueo, Torsi: Vro, Vssi: Flecto, Flexi.* Videretur autẽ etiam aspiratio in S, mutari in *Traho, Traxi:* sed acutius inspicienti palàm erit, aspirationem in gutture mansisse, atque induisse proximi elementi pronunciationem, ipsius scilicet C, additúmque potius esse sibilum, sicut in, *Pressi*, M, mutatum, sibilum additum: in *Torqueo* autem Q, ablatum, atque in cæteris alia. Contrà S, in D: *Paris, Paridis.* Item sic dixere: quemadmodum B. in geminum SS, *Iubeo, Iussi:* ita & D, *Cedo, Cessi:* & T, *Concutio, Concussi.* Sed profectò prudentius contemplabimur, consonantes illas in simplex S, mutatas, alterum autem esse præteriti ipsius. Ita G, mutatur in suam comparem: vt, *Pingo, Pinxi:* nam in CT, mutari quod aiunt, falsum est, in verbo, *Agor, Actus.* Sed eadem proportione affinitatis in C, mutata assumit T: sicut faciebat in verbo *Fingo*, in præterito assumebat S, in supino T, *Finxi, Fictum.* apparet id è contrario: namque C, in G, *Grex, Gregis.* Quod autem statuunt, C, in V, eo exemplo, *Pasco, Paui:* abiecto sibilo, puto

non ita esse: sed verbum vetus fuit πάω, quod significauit & sequi,& assequi: vnde etiã ὀπάων: quasi ὁμῶς, vt ὄτειχες. Æoles enim & decurtabant,& tollebant aspirationem: iidem verò addebant σκω, inde factum est nostrum *Pasco*. Eiusdem originis fuit & παύω, quoniam in pacato, nõ in hostico pascebant: vnde etiam *Pax*. Ab vtrouis autem præteritum illud flúxit: neque enim *Pasco*, fuit primigenium: sicuti neque *Nosco*, *Noui*: sed γνώσκω, fuit γνόω, γνῶ. Sic neque in T, mutatur, vt putabant in verbo, *Irascor*, *Iratus*: fuit enim *Irascitus*: quod postea desitum est: & abiecit sibilum, qui retentus est alio verbo, *Pascor*, *Pastus*. Non est igitur s, quod mutetur in T, vt prodidere: in eo nanque verbo mansit incolume: neque c in T, mutatum: etenim fuit *Pascitus*. N, abiicitur *Scindo*, *Scidi*. neque mutatur in V, vt scripsere, in verbo *Sino*, *Siui*. Aliquando enim fuit, *Siniui*. Q, in suam germanam, *Sequor*, *Secutus*. Nec transit in x, vt voluere, in *Coquo*, *Coxi*: sed assumit sibilũ. Neque R, in V, quod aiũt. in *Sero*, *Seui*: fuit enim *Serui*: quod extritum est, ad differentiam eiusdem verbi in alio significatu: vix enim mutatam eam literam inuenias inflectendo. At s, mutatur in N, *Sanguis*, *Sanguinis*: quoniam fuit *Sanguen*. In D, vt diximus, *Paris*, *Paridis*. abiicitur ex duplici remanente altera parte, *Perdix*, *Perdicis*. Transit in R, *Flos*, *Floris*: in T, *Nepos*, *Nepotis*. Sed nõ est verum, quod profitentur, in V, consonãtem mutari sibilum eo exemplo, *Bos*, *Bouis*: assumpsit enim Æolicum digamma, vt in *Oue*, & *Ouo*. Neque mutari in T, in verbo *Paciscor*, *Pactus*,

ctus, vt ſenſere, iam colligi poteſt ex iis, quæ ſuprà diximus, ſed T, eſt peculiaris ipſi participio, *Amatus, Doctus, Lectus, Auditus, Latus*: ſed in *Pos, Potis*: T, in x, tranſire, iidem malè docuerũt, illo exemplo, *Flecto, Flexi*. ſed in ſibilum, vt ſuprà diximus: quod coaluit cum C, & fecit duplicẽ. x, in v, conſonantẽ æquè malè mutari arbitrantur, in ea voce *Nix, Niuis*: Verùm *νίφω*, & *νιφετὸς*, παρὰ *τὸ νίπτω*, vnde etiam noſtrum *Neptunus*: nõ, vt Cicero prodidit, à nando. Inde noſtrum, *Ninguo*, & *Ninguis* in recto: & *Niuis*, conciſum: & aliud conciſum, *Nix*, mutato G, in C, & concreto cũ ſibilo in x. in obliquis autem manſit priſca vox. Neque rectè ſenſere, aſpirationem in C T, transferri, *Veho, Vectum*: ſed ita fuit, vt diximus. Habet aſpiratio aliquid ſimile cum C: itaque alicubi in Vaſconia quod alij Hodie dicunt, ipſi ſua lingua *Godie*. Ergo *Veho*, faceret *Vehſi*, aſſumpto ſibilo, vt *Duco, Ducſi*. poſtea, *Vecſi*: & ſupino mutato ſibilo in C, vt diximus, *Vectum*. v, quoque abiici notauere. Citant Solinum in collectaneis: quaſi verò is ſit autor veteris Latinitatis: eius verba ſunt. Tatius hominẽ exiit. quaſi verò apud probatiſſimũ quemq; *RediIt, ExiIt, AdiIt, PræteriIt*, deſideretur. & fortaſſe apud Solinũ *Exuit*, legendum eſt. Mutatur quoque in ſeipſam, recepta vocalis priſtina natura: & è contrario, *Gaudeo, Gauiſus*: & *Perſoluiſſe* apud Tibullum: quoniam *Soluo*, fuit *ὅλον λύω*. Molleſcit verò adeò, vt etiam abeat, vt apud Catullum eundem,

Non ita me diui, vera gemunt, iuerint. pro *Iuuerint*: quemadmodum etiam in libro de Comicis dimenſionibus obſeruauimus.

Proprium trium liquidarum, L, R, N, C, T, non mutari in quibuſdam nominibus: *Sal, Salis: Cicur, Cicuris: Titan, Titanis: Halec, Halecis: Caput, Capitis.* Proprium & L, & R, aſſumere ſibi alteram: *Mel, Mellis: Far, Farris.* Ipſius autem C, aſſumere, etiam T: vt *Lac, Lactis:* niſi ſit à recto priſco: dicebant enim *Lacte*, à Græco amputatis duabus literis, γάλακτος. Obſeruarunt etiam id, L, P, S, X, in præteritis non mutari: *Cælo, Cælaui: Stupeo, Stupui: Laſſo, Laſſaui: Laxo, Laxaui*, Sed his addere nt etiam R, *Torqueo, Torſi:* &c. *Dico, Dixi:* coaluit enim; non autem mutatum eſt. & P, *Scalpo, Sclapſi:* nam ſi duplicis literæ figuram haberemus in hoc, vt habuimus in *Dixi*, poſuiſſemus. B. autem non manſit ſemper, ſed in comparem ſuam mutatum eſt: *Scribo, Scripſi.*

Proprium X, quod mutatum fuerit in compoſitione, in declinatione elidi: *Effero Elatus:* quoniã verbum quoque mutatum eſt.

CAPVT XXVI.

Mutatio in deductis à Græcis. Vocales.

QVæ à Græcis deducuntur, in iis ita fiunt vocalium mutationes: Breues aut longæ in æquales: aut inæquales: contrà natura communes in illas. Igitur longæ Græcæ in longas noſtras, ὠὸν, *Ouum:* breues in breues, ὄνος, onus: breues in longas ME, ab eo quod fuit μὲ: longæ in breues. ὀρείχαλκον, orichalcũ: κρηπὶς, crepida: φὴρ, *Fera:* in natura cõmunes, ἐγώ. Corripitur maximæ parti poëtarũ: producitur Statio, Catullo, Cornelio Gallo. Item verba ἄγω. Communes natura, in natura

natura communes:vt Pharſalia,Sicania. Eædem in breues perpetuo,*Humus*,ab ὕω, ὕμαι.& in longas perpetuo, *Vdus*,ab eadem origine. ſic πλύω. ſputum.Idque non ſolum ob vſum,ſed etiam ob partes,nanque poſitione interdum fit hoc: vt ἐν: à qua *In*, natura breuis, aliquando fit poſitione longa:vt,*Indigena*. aliquando fit natura, propter naturam poſitæ conſonantis:vt, *Infelix*, *Inſolens*: ab s, aut F, incipictibus cùm coniungitur. Hæ ſunt in communi pręceptiones: ſigillatim autem ſic recenſeas.

A,in A,mutatur,κάλαθος,Calath⁹:in I,κάναςρον, caniſtrũ:in o,ſi *Copo*,à κάπηλος venit:in Y,θρίαμβος,Triũphus: ςραγγαλίζειν, ſtrãgulare: κραιπάλη, *Crapula:* non,vt dixere,q̃ caput grauaret. Quod autem aiũt,A,in Y,apud Græcos verti eo exẽplo, ὄλυμπος, quaſi ὅλος λάμπον,falſi ſunt,eſt enim ὅτι ὀλύων πόδας, ὄλιποις, montis nomen ob altitudinem:quem cum aſcẽderent,interrogati quò irẽt, dicebant,in cœlum,vnde cœlo cõmunicata vox. A,etiam ſibi aſſumit I,more Æolico, φαισὶν φασίν. Ita αἰσκληπιὸς,nos Æſculapium.

E,in E,breue,θεὸς, Deus:in longum, ἕδος, *Sedes*:& per abſciſſionem,δύω, D E: ſic enim dicunt εἴκοσι,δυοῖν δεόντοιν:nos,*Duodeuiginti*. In I,τέγγω, *Tingo*:In O, ἐμῶ,*Vomo*:In V,ἑνὸς,*Vnus*. Abijcitur ἐρεύγω,*Ructo*: ſed puto *Eructo*, fuiſſe ſimplex non compoſitum.

H, vt diximus, in ſui dimidium, κρηπὶς, *Crepida*: ἥρως.*Herus*.In ſe totam,πηνελόπη, *Penelope*. Nunquam autem H, in I, tranſit, vt barbari inuertêre, atque etiam corripuêre in *Paracletus*,*E-*

leeson, *Eleemosyna*, *Iordanes*. neque, quod possent suspicari, *Vestis* ab ἐσθής, sed ab *Vae*, & ἐννυσθαι, Græca origine, Latina terminatione. Malè corripuit Iuuenalis in Satyra XIIII. *Calpe*: neque enim fuit vt χρέμης. In AE, diphthongum non mutatur H, vt dixere, sed in E, illo exemplo, σκηνὴ, *Scena*: si enim diphthongum quispiam comminiscatur, id nulla faciat ratione. sed in A, frequens eius transitus est apud Dorienses, & nos Æolensium, imitatores, κιθαριστής, *Citharista*.

I, in A, θιγγάνω, *Tango*: in E, ex diphthongo, ποινὴ, *Pœna*: etiam solum, καρκίνος, *Cancer*. in I, longum, λίβις, liuidus: φίλος, *Filius*: & voce vsitata mansit, ὁμιλία, *Homilia*: falsò enim transmutandum iudicarunt. sic λιτὸς, *Litus*, quod esset terra tenuis: & nostrũ *Mitto*, παρὰ τὸν μίτον, quoniã qui mittit elõgat. Abijcitur, γνώριμα, *Norma* è medio: sic etiam à fine, περὶ, *Per*. Additur, ναύτης, *Nauita*.

O, in seipsam breuẽ, ὄϊς, ouis, in longã, ὅλος, *Solus*: in A, ἄροτρον, *Aratrum*, vt voluere: sed commodius à supino *Aratũ*: sicut *Rutrũ*, à ruendo. neque bonũ est exemplũ, ab ὀξὺς, acus: sed acus, ab ἄχυρον, tam pro arista excussa, *Acus*, *Aceris*, propriè, quàm metaphoricè pro instrumẽto sutorio. In E, γόνυ, *Genu*, Æolum more, qui ἐδὺς, quod alij ὀδούς. sic *Euãder*, εὔανδρος. In I, ὄμβρος, *Imber*. in V, ἰόβας, *Iuba*: πάτροκλος, *Patroclus*: ὀδυσσεὺς, Vlysses. Sic in principio, medio, fine. In V, longum βροτὸς, *Brutus*. In AV diphthõgum, ὀρείχαλκον, *Aurichalcum*. Abijcitur ab initijs, ὀδοὺς, *Dens*. A fine, ἀπὸ, AB.

Y, in V, τυῤῥηνὸς, Thurrenus: πυῤῥὸς, *Burrus*: ἰλλυριὸς, *Illurius*: δύω, duo: δύω verbum, *Dumus*, tã

breue,

breue, quàm longum eſt his exẽplis. In O, ἀγκύρα, *Anchora*: φύλλον, *Folium*. In E, ἀλκυὼν, *Alcedo*. In I, breue λύγος, vimen, vnde noſtrum *Ligare*, non à legendo, vt Varro. In A, κυων̀ὸς, *Canis*.

Ω, in ſe totam, ὠὸν, *Ouum*. In ſui dimidium, ἐγὼ, *Ego*. In V, longum, φώρ, *Fur*: non vt Varro, à *Furuo*. In AV, ὦς Æolicum. οὖς commune, *Auris*, Latine In V, breue, ἥρω, *Herus*. In E, φράτωρ, *Frater*, ſic enim mutarũt Æoles, quod erat φρήτηρ, & integrũ, φρεάτηρ: nõ autẽ plagiariorũ falſę etymologię.

CAPVT XXVII.

Diphthongorum mutationes, A Græcis.

AI, AE, αἰνείας, Æneas. In A, longũ κραιπάλη, *Crapula*, extrito I, more Æolenſium: ſicut è contrario quoque, vt diximus. In E, breue, βαίνω, venio. Imperitè nanque verbum hoc ita ſunt interpretati, quaſi verſus nos eo. habes deductionis noſtrę exemplum, in *Feneſtra*, παρὰ τὸ φαίνεσθαι. aut mutata, aut abſciſſa, ſaltem ab ἔφανον. Non ſic in *Plegethonte*, & *Phaethonte* neq; enim ab αἴθεσθαι, diphthongum traxere, ſed παρὰ τὸ θεῖν, vt ex Cratylo Platonis, & Ariſtotele in primo de cœlo, & M. Tullij multis locis diximus in libro de inſomnijs. neque diphthongum illam redigi ad ſonum breuem: quippe δαὶ, dixere: ſicut etiam ὄ: & γέα, ſicut γαῖα. Abiecta A, remanet I, longum: quoniam Æolenſium more facta eſt diphthongus EI: ἀχαιὸς, Achiuus: Æoles enim ἀχεῖος: vnde etiam ſine digamma inuenias *Acheus*. quod ego non per diphthongũ ſcripſerim Latinis AI, ſed per E, ex diphthongo Æolenſium, vt *Lyceum*, λυχεῖον: eos enim maximè ſequimur.

AY, manet in *Taurus*, ταῦρος: mutatur in v, σαυρός, *Surus*: quem & lacertum piscem vocant. Abiicitur, παῦρον, *Parum*: nisi à parte ducatur: nam *Paulum*, inde venit omnino.

EI, ante cõsonantem, semper in I, si sit naturalis verbo, θησείδης, *Thesides*. at ξἑνοφῶντα nõ sic, nisi Græcè loquamur syllabæ gratia, vt nos in hẽdecasyllabo dactylum fecimus *Xeinia*. hæc aũt mutatio semper fit sequente consonante, non autem L, tantum, vt dixere, illo exemplo, *Nilus*, νεῖλος. Diximus autem literam naturalem, quæ esset ipsius dictionis, θησεῖ, θησείδης: nã in ξείνῳ, aduentitia est: iccirco non seruatur à Latinis. Ante vocalem ipsum I, solitarium nunquam mutatur, *Sophia*, *Comœdia*: neque diphthongus semper, *Thalia*, *Alexandria*, *Nicomedia*, *Langia*, *Lampia*, *Argia*, *Lycius*: sunt enim θάλεια, & eiusmodi: & λυκεῖος, si *Lycie*, apud Statiũ scriptum est: nam etiam *Lycee*, legimus. At sæpius in E, productum, vt in *Acheus*, dicebamus. *Dareus*, *Penelopea*, *Adrastea*, & Seruius *Thaleam*, dici debere autumat. Est autem E, longum Æolensium imitatione, qui δημοσθένη, pro δημοσθένει dicunt: & ἦδειν, pro εἴδειν: & μῆον, pro μεῖον: vnde & μῦς, ex interpretatione Platonis: & πλῆον, pro πλεῖον. Interdũ mutatur in E, correptũ, more Dorico, ex puncto I, φοινίκεον *Puniceum*, vt apud Vergilium τυφωέα, *Typhoea*, pro τυφώεια, & φοινίκεον. In fine vocum quoque vnica litera scriptum fuit in vetustissimis codicibus, *Orphi* Calliopea: & *Vlyßi*, quod erat ὀρφεῖ, ὀδυσσεῖ. Horatius diuisit,

Laboriosi nec cohors Vlyssei. Itaque etiam in

meris

meris Latinis pronunciandum monent, *Idem*, *Eidem*: *Iſdem*, pro *Eiſdem*, eorundem more Æolenſium.

E Y, manet, φεῦ, heu. Abijcit Y, *Achilles*, ἀχιλλεύς. Itaque etiam Achilleus legitur, cuius obliquum ſecundum poſuit Horatius,

Heu pernicacis ad pedes Achillei. Neque enim verum eſt, vt aiunt, in V, mutari, illius verbi exemplo, φεύγω, fugio: nam ab aoriſto ductum fuit ἔφυγον: ſic ἐρεύγω, *Ructo*, dempto E, & poſito frequentatiuo.

O I, in O E, ποινή, *Pœna*. Patitur autẽ multa diphthongus hæc: diuidunt eam Æolenſes, κοῖλον, κόϊλον. Eorũ legibus nos *Troia*, Τροῖα: ſicut *Maia*, μαῖα: *Aiax*, αἴας. Interdũ mutatur eius pars, interdum aufertur, arbitrio eorũdem, ποιητής, *Poeta*. Vertitur in E I, vt οἴ. HEI: in V, φοινίκεον, *Puniceum*.

O Y, in V, noſtrum, *Muſa*, μοῦσα. In V, breue, *Bubulcus*. In O longum more Æolenſium, βοῦς, βῶς, *Bos*. In breue, βούλομαι, *Volo*: abiecto Y, more eorundem, qui ἀμπέλος, dicunt pro ἀμπέλους. dico, abiecto in mora, non in ſcriptura. nam O Y nõ eſt illis conſonãs. Sic enim dicunt θυγάτηρ, ſicut Iones θυγάτηρ. Qui autem putant, hanc diphthongum ad Gallos manaſſe ex μοῦ, & σοῦ: non ſemel ineptiunt. Eorundem enim in alijs vitium eſt, E, vocalem ſic deprauare. Sic enim corrupêre nomina mutarum: ſic vulgò cùm volunt interrogare *Quid?* aut *Quæ?* ſic *Rex*, *Fides*, *Vicem*, & alia infinita penè. O Y eadem in E, ὀδούς, *Dens*. πούς, *Pes*. etiam aliquo modo mutata eſt, cùm ex λούω,

Lauo, factum est.

Ωι, diphthongus spuria in legitimam OE, κωμῳδία. *Comedia*. In O, ᾠδή, *Ode*.

Υι, eiusdem notæ atque ordins est. recipitur in vocibus Græcis integra *Harpyia*, ἅρπυια.

ΟΥ, Latini valde distortam, Ionibus reliquere.

CAPVT XXVIII.

Consonantium mutatio in deductis à Græcis:

B, Græcorum & facilè, & legitimè transit: idem enim esse suprà ostendimus βῶς, *Bos*. In V. digamma, ἄβϐα, *Auus*. In affinem huius PH. θρίαμϐος, *Triumphus*.

Γ, in G, γόνυ, *Genu*: aut in similem, vt Γάϊος, *Caius*. nam quemadmodum apud Athenienses αὐτόχθονες, & apud Thebanos σπαρτοὶ, ita Latinis à vetustate, & *Opici*, & *Indigenæ*, & *Caij*, dicti sunt. In N, aut ei propinquam, ἄγγελος, *Angelus*. Abijcitur, γνώριμα, *Norma*.

Δ, in D, δόλος, *Dolus*. In L, ὀδυσσεύς, Vlysses. In B, δὶς, *Bis*. In S, nam quo flexu illi, ψαμμώδη, nos eorum exemplo, *Arenosum*.

Z, in Z, iccirco apud nos etiam figura eadem cum eadem potestate recepta est. ζέφυρος, *Zephyrus*. In SS, μάζα, *Massa*. In I ζεῦγος, iugum.

Θ, in TH, θράσων, *Thraso*. In D, θεὸς, *Deus*. In T, θρίαμϐος, *Triumphus*.

K, in C, *Calare*, καλεῖν: *Calones*, κάλον. In cognatam suam Q, *Quatuor*, κάτερα. pro καὶ ἕτερα, sine aspiratione apud Æoles. nam quum dixissent, Vnum, Alterum: Tria: pro quarto dixere, & alterum. Sic apud poëtam,

Alter ab vndecimo, &,

Aurea

Aurea mala decem misi: cras altera mittam.

Sic etiam, *Quinque*, deduxere: vt esset, & vnum præter quatuor, ἐ͂ ἕνκυε. In G. κυϐερνάω, *Guberno.* A, in L, λὶ ψ, *Libs*. In D, μελετᾶν, *Meditari:* falsò enim negarunt.

M, negarunt mutari, attulerunt exemplum illud, τηλέμαχος, *Telemachus:* sed frustra fuere: nam ex μῆλα, *Balare*, factum est. Et extritum est, ἅμματα, *Amenta:* σάγματα, *Sagus*, *Sagitta*.

N, in N, nostrum, *Ninus*, νῖνος, In D, χαίνω, *Cado.* ἐκάνετε, ἐκάνετε τ̃ ἐλλλήνων τ̃ ἄειστον ex Euripide. In L, nam quinquagenarij numeri nota fuit Græcis N, nobis L. sic quod illi νύμφας, nos *Lymphas:* & apud Vergilium sic legêre quidam:

Dant famuli manibus Nymphas. In M, παίγνιον, *Pægniũ*. Additur à Græcis nostris nominibus, κάτων, Cato. Demitur à nobis in illorũ, σίμων, *Simo:* & in nostris ab illis defluxis additur, ὁ δὲς, *Deus.*

Ξ, falsò negarunt mutari: nanque ἄξονες *Asseres*, non ab assidendo, vt dixere. Suprà declarauimus *Acũ*, & *Acutũ*, vnde duceretur: itaque ab ὄξος nõ putauimus fieri *Acor:* nam potius ab ὠκύ.

Π, in B, πυξός, *Buxus:* πυῤῥός, *Burrus:* ἀπὸ *Ab:* ὑπὸ, *Sub.* accipit aspirationem: τρόπαιον, *Trophæum*.

P, nimis imprudenter mutari negarunt, vt ἀήρ, *Ær:* nã mutatur, καρκῖνος, *Cãcer*, ne esset *Carcer*. & in L, παῦρον, *Paulum*. sed potius est diminutiuum. In D, si Γαυεύω sit, vnde fiat nostrum *Gaudeo.*

Σ, in D, μέσον, *Medium*, Tollitur non solùm in prima inflexione, vt dixere, πυῤῥίας, *Byrria:* sed etiam in alijs, ἅλς, *Sal:* & in principio, σκύτος, *Cutis:* alibi seruatum *Scutum*, In X, αἴας, *Aiax.*

Cõtrà quidam ſcripſere *Vlyxes*. In R, κυβερνήτης, *Gubernator*: quoniam Æolenſes κυβερνήτηρ, & κυβερνήτωρ, qua forma verbalia noſtra ſunt. Quin Eretrienſes, vſque ad prouerbium dicebant, σκληρότηρ, quod alijs eſſet σκληρότης. quod & in Francis notabis. E contrario SS, in X, noſtrum μασσάω, *Maxilla*: nam *Mala*, per ſyncopam curtatũ fuit. *Mandere* quoque à μάσσω ductum fuit, ſed ſanè non pauca eget interpolatione.

T, in S, ὀστᾶ, *Oſſa*. ſed commodius ſit dicere, ſubductum fuiſſe: alioqui tranſlatitia ſunt inter ſe, Θετταλός, *Theſſalus*.

Φ, in PH, φορμίων, *Phormio*. In F, φύω, *Fundus*. φῶ, *For*.

X, in CH, *Chromis*, χρῶμις. In G, ἄγχω, *Ango*. In K, λόχος, *Locus*. In Q, λέγω, λέλοχα, *Loquor*. neque enim à locis, vt Varro vult. Sic & ἀχελῶος, *Aqua*. Omnis enim aqua dicta eſt ei⁹ amnis nomine, & à lauãdo, quoniam erat, ἀχελῶος: quod & Macrobius docuit nos & Vibius Criſpus: & non ignorauit doctiſſimus omnium poëta,

Poculaque inuentis Acheloia miſcuit vuis.

neque enim ab æquore, qua: ſed ab e, æquor.

Ψ, in PS, ψύλλιον, *Pſyllium*: & in proximas, BS, vt λίψ, *Libs*: ἄραψ, *Arabs*.

Aſpiratio, manet, ὁμῶς, *Homo*: eſt enim animal ſociale, non ab humo, vt ſomniarunt. Adimitur, ἀλκυὼν, *Alcedo*: ἅμμα, *Amentum*. Mutatur ἕδος, *Sedes*: ἕρπων, *Verpus* lumbrici genus, trãſlata vox ab obſcœna, ob exilitatẽ, non à vertendo pellem, vt aiunt: ſed medium digitum propter gracilitatem ſignificauit metaphoricè. Manet cum conſonan-

ſonantibus, *Tholus*, θόλος. Adimitur, vt θρίαμβος, *Triumphus*. Additur, τρόπαιον, *Tropheum*.

Subtilius autem intuenti etiã id deprehendetur, aliquas, etiam ſi mutẽtur, remanere: vt, Τροῖα, *Troia*: etenim ι, & eadem, & non eadem eſt.

Digamma interponitur, vt diximus, ὄϊς, *Ouis*. Præponitur, ἴς, *Vis*. Interponitur & C, σπέος, *Specus*.

CAPVT XXIX.

Mutatio ex deductione in ſimplicibus.

IAm multæ operæ prouinciam capeſſimus: ſibi enim quiſque placuit in verborum deductione. Ergo quæ ipſi non inuenere, nolunt eſſe ita: doceri enim turpe putant. Aliqui autem, inter quos Varro, etiam malignè eruerũt omnia è Latinis, Græciſque ſuas origines inuidêre. Nos cum ſciremus Magnæ Græciæ nomine priſcos *Auſones*, atque Latinos frequentatos, reddidimus ſuis quanque notalibus vocem.

Deductio, eſt creatio noui verbi, ex prioris elemẽtis. Pri⁹ igitur de ſimplicib⁹, mox de cõpoſitis.

A, breue in breue, *Paro*, *Pario*: in longũ, *Paro*, *Pareo*: in AE, *Aqua*. *Æquor*. A, longũ in lõgum, *Vado*. *Vades*: in breue, *Vado*, *Vadum*: *Ater*. *Atrox*: feroces enim fuſceſcunt ira. In E, apud Græcos, βάλλω, βέλος: apud Latinos, *Paſco*, *Pecus*, non eſt: nam πόκος, Homero fuit lana: quo nomine etiam nunc faſciculum certum, ſiue penſum vocant in Italia alicubi, ſed genere fœminino. Itaque à lana vetuſta vox πέκος. In O, *Vena*, *Venox*. In V, *Mare*, *Muria*. E, breue in A, longũ, *Legere*, *Legare*, quoniam ad legendum, hoc eſt,

dicendum mittebantur, παρὰ τὸ λέγειν.

E, longum in breue, *Sedes*, *Sedile*. In I, *Veha*, *Via*: vt vult Varro. In O, *Tego*, *Toga*. Græcorum exemplo, λέγω, λόγος. Et longum in O, breue, *Sedes*, *Solium*. In V, *Tego*, *Tugurium*. In V, longum, *Dies*, *Diu*. In AE, *Sequor*, *Sæculum*.

I, longum in breue, *Dicere*, *Dicare*: in longum, *Simus*, *Simia*: non autem παρὰ τὸ μιμεῖσθαι, vt ineptiunt. I, breue in breue, *Mina*, *Minax*: in longum, *Via*, *Villa*, *Villis*. In A, non mutatur illo exemplo, *Generis*, *Generatim*: sed à plurali recto ferè deducitur. *Viritim*. *Ostiatim*. In E, correptum, *Illicio*, *Illex*. In V, *Specio*, *Specula*.

O, breue in longum, *Vomer*, à *Vomendo*, vt vult Varro: in breue, *Volo*, *Volones*. Longum in longũ; *Donum*, *Donaria*: in breue, *Moles*, *Molestus*. In A, longum, *Dico*, *Dicax*: in E, longum, *Tutor*, *Tutela*: in breue *Bonus*, *Bellus*: fuit enim *Bonulus*, *Bonellus*. In I, & longum, & breue, *Amo*, *Amicus*, *Amita*. In V, *Tego*, *Tegula*. sed *Tega*, prius fuit: *Stolo*, *Stultus*.

V, longum in longum, *Pus*, *Putidus*: in breue, *Scutum*, *Scutulatum*: *Rus*, *Rudis*. Breue in breue, *Lutum*, *Lutosum*: breue in longum, *Puer*, *Pusio*: *Suo*, *Sutillis*. In A, *Veredum*, *Veredarius*: nisi sit à plurali, quod & puto: *Cudo*, *Quatio*. In E, *Pignus*, *Pigneror*, quia fuit *Pigneris*. In I, *Cures*, *Quirites*. In O, *Pignus*, *Pignoratio*: sed ab obliquis potius: *Decus*, *Decor*, commodius exemplum est.

CAPVT XXX.

Mutatio in diphthongis ex deductione.

OE,in V, *Pœna*,*Punio*: *Mœri*, *Muri*, vt diximus.

AV,in V,breue,*Raudum*,*Rude*:nam ῥάϐδος,fuit virga dempta ex arbore impolita : inde Raudum æs: & ab ea ruditate, *Rus*.

CAPVT XXXI.

Consonantium mutatio ex deductione.

B,in M,*Globus*, *Glomus*.

C,in G,præcedente N, *Centum*, *Quadringenta*. In R,*Seco*,*Serra*:ſed puto primam ſyllabam fuiſſe originis:canina autem litera geminata,ſtrepitum imitatos.Geminatur *Pecus*,*Peccare*:nō vt grammaticorum ineptiæ,pedem capere.

D,in T,*Cudo*,*Quatio*.fuit enim vetus verbum, κύδω,adhuc durat κυδάζω:ſignificat ſtrepere: vnde κύδος,conuitium,& κύδος, gloria,ſtrepitus ille popularis.

G, in C,*Genero*,*Cneus*: *Gula*,*Curgulio*,*Viginti*, *Vicesimus*:*Pertingo*,*Pertica*,ruſticum inſtrumentum ad fructus decutiendos.

L,in X, non mutatur exemplis illis , *Ala*, *Axilla* : *Mala*, *Maxilla*, vt aiunt: non enim ab *Ala*, *Axilla* : ſed ab *Axilla* *Ala*, extrita , vt ait Cicero , elementi vaſtitate: ſic enim cenſuit M. Tullius.*Veho*,*Vexi*,*Vexum*,*Vexulum*, *Vexillum*, & κατὰ συγκοπὴν ,*Velum*:*Ago*,*Axo*,*Axa*, *Axula*, *Axilla*,*Ala* : *Maſſo*,*Maxo*,*Maxa*, *Maxula*,*Maxilla*,*Mala*,vnde μασητῆρες:*Pango*,*Paxo*,*Paxus*,*Paxillus*, *Palus* : vt non parum errent, qui ab,Ala,putēt,Axillam diminutum duci.Axo

autem & alia, sic sunt dicta, vt *Faxo, Graxo*. Etiam falsò mutãt in R, illo exemplo, *Tabula, Taberna*. nam *Tabula*, fuit diminutiuum nominis, quod nũc non extat, à quo, *Taberina*, vt *Suterina, Tonsterina*. Sed in his, E, abiit. in *Taberina*, sublatum est I. Omnino autem à *Tabula*, etiam *Tabulerna*, sicut *Nasiterna*. est autem *Taba*, & *Tabula*, ἀπὸ τὸ τάζω, quoniã tabulata in ædibus, & vlmis planiciem extendebant.

N, in L, *Vnus, Vllus: Vinum, Villum*: non mutatur, vt dixere. Sed fuit *Vnulus*: & *Vinulum*. In S, mutatur. *Findo, Fissus*. In T, *Canis, Catulus*. sed à *Cato*, deducunt potius, & placet: at iidem à *Canis*, *Catus* ipsum, trahunt.

R, in N, *Murus, Munus*. fuit enim *Munus*, onus muris reficiendis, vbi primum vnum in locum è vicis conuenissent ad condendum oppidum: inde *Munimenta*. Id oneris cùm remittebatur virtutis ergô, *Donum* dicebatur. Ab *Ære* autem non fit *Æneus*, vt dixere, vt mutetur R, in N: cuius rei argumentum est, quòd etiam *Æsneus*, dixere. Itaque fuit *Ærineus*. Sic *Æternus*, ab *Æthere*: & fuit *Ætherinus*: vnde *Sempiternus*, quod fuit *Sempæternus*: mutatur enim AE, in I. *Quæro, Inquiro*. & abiecta est aspiratio, vt in multis. Sic à *Vere, Verinus, Vernus*. I, enim abiecere, quod mansit in *Matutinus*, & aliis eiusmodi. Nulla igitur ratione corripuere secundam syllabam. Mutatur R, in L, *Niger, Nigellus*, quia fuit *Nigerulus*, & in S, *Ardeo, Arsum. Assum*, vnde *Assare*.

T, in D, *Quatuor, Quadra*.

x, additum est in *Vix*, aduerbio, à *Vi*, quod negat facilitatem. vnde *Vices*: nam quod per vices fit, videtur difficile esse, & vix fieri. Fortasse etiam rectum ipsum fuit, *Vix, Vicis*.

z, tota Græcorum est. neque à Latinis in Latina deriuatur.

Demitur aspiratio, *Fingere, Pingere*.

CAPVT XXXII.

Mutatio in compositis. Vocales.

COmpositio, est coalescentia similiũ aut specie, aut genere: neque enim vnum fierent, nisi esset ea similitudo, quam Græci vocant σύμϐολον. Dico autem, compositionem non actionẽ, quæ præcedit ipsam concretionem: est enim in prædicamento motus: sed ipsam mistionem duarum vocum, partim diuersarum, partim similiũ. Est autem modus quidam inter ipsa: Nomina enim nominibus propiora sunt: facili⁹ enim dicitur, *Pontifex* quàm *Proconsul*. nam consuetudine extortum hoc fuit: erat enim per initia, *Pro consule*. Sic etiam verba cum diuersis partibus desinunt esse verba, vt, *Mancipium*.

A, breue in A, breue, *Comparo*, *Paro*. In A, longum, *Indago*. & ratio est euidens, concreuerunt enim vocales duæ. A, longum in A, longum, *Gnarus*, *Ignarus*. A, breue in E, breue, *Sacrum*, *Consecro*: *Caput*, *Princeps*. A, longum in E, longum, *Arma*, *Inermis*. In E, breue, *Tibia*, *Tibicen*, tibia canens. A, breue in I, breue, *Ago*, *Abigo*. In I, longum, *Instigo*, ex coalescente O, & A, insto ago. verbum agasonum, & armen-

tariorum. Sic, *Tibia*, *Tibicen*. ex I, & A. In O, *Historia*, *Historiographus*. In V, *Salsus*, *Insulsus*. In *Troiugena* quoque videtur A, in V, mutatũ. In diphthongum, *Musa*, *Musæum*: si μυσεῖον sit in E, vt suprà diximus.

E, breue in E, breue, *Ferus*, *Efferus*. *Hercisco*, *Nouerca*, noua diuisio familiæ, non vt nugantur. In E, longum, à *Re*, *Rettuli*. E, longum, in longum, *Telare*, *Protelare*. In I, longum, *Ledo*, *Collido*. In I, breue, *Lego*, *Colligo*.

O, in O, longum *Solus*, *Consolari*: à viduis, quæ cùm se solas relictas lamentarentur, oratio leniẽs desiderium dicebatur. In *Homicida*, non vertitur in I, sed ab obliquo fuit, *Hominicida*. In V, vertitur, à solo, *Exul*.

V, breue in breue, *Iubeo*, *Fideiubeo*: neque ferè cum alia voce compositum inuenias: à longa tamen fit, *Ius Habeo*. quam quantitatem retinuit etiam in *Iubilo*: nisi sit ab ἰὼ ἰὼ, vocibus triumphatorum: superstites enim vitam Apollini acceptam ferebant, cui canerent pæana in victoria. ἰὼ βιῶ, παιάν. V, in E, breue, *Iuro*, *Peiero*. In I, breue, *Cornicem*. V, in seipsam, consonans in vocalem, *Pituita*, quadrisyllabum Catullo. contrà in *Anceps*.

CAPVT XXXIII.

Diphthongorum mutatio in compositione.

AI, in I, vt diximus. *Æternus*, *Sempiternus*. AV, in O, *Plaudo*, *Cõplodo*. in E, *Audio*. *Obedio*. vbi

vbi ob, nihil detrahit, sed caussam finalem dicit. In v, *Claudo, Includo.*

CAPVT XXXIIII.

Consonantium mutatio in compositione.

B, mutatur in C, F, G, L, M, P, R, *Succurro, Suffero, Suggero, Sulleuo, Summitto, Suppeto, Surripio.* id Æolensium more, qui κάππεσον, κάββαλεν, dicebant præcedentem sequentis vi pronunciantes. Neque tamen in omnibus his literis semper eadem connexio est. Malim enim *Suslimem*, quàm *Sullimem*, dicere & *Submurmurare.* at Plautus *Summanare*, à manu, furari, sicut à *Vola, Inuolare*: item *Subrepere*. Cum D, autem integrum manet, *Subdo*: cum N, *Subnixe*: cum S, *Subsilire*: cum T, *Subticere*. Ante seipsum quoque non mutari par est: nam si aliorum sonos sequitur, ne obturbet, ipsum se fouebit: vt in simplici *Obba*, quæ esset ob bibendum: ita igitur dicetur, *Obbibo*. Neque mutatur ante T, in S, vt dixere, in *Sustollo*, nanque fuit vetus vox, *Sus*, quæ motum cœlum versus significaret, ὕποθεν. fortasse autem fuerat, *Sus*, sicut, *Abs*: quanquam hoc videtur fuisse ἄψ. & à *Sus*, fuit *Susum*: fecit autem ex se *Sustuli*, non enim à suffero, venit. Eadem est ante C. *Suscipio*, quod veteres *Succipio*, vt diximus, Æolensium more, quemadmodum suprà declaratum est, quos prisci etiam in aliis obseruarunt, vt est apud Plautum in Asinaria.

Suppendas potius me, quàm tacita hæc auferas. Quod nos *Suspendas*. Pari exemplo, *Suspicio*, *Sustineo*, *Suscito*, *Susum*, *Cito*. Exteritur ante M, aliquando, *Omitto*.

C, mutatur in G, *Negligo*, *Neglego*: sicut *Negotium*, *nec Otium*.

D, in C, *Quicquid*, *Quidquid*, *Accurro*, *Acquiro*: in G. *Aggero*: in F, *Affero*: in L, *Allego*: in N, *Annuo*: in P, *Appono*: nam quòd in *Aperio*, sublatum est, factum fuit poëtica licentia, nam etiam *Apparere*, dicimus. In R, *Arrogo*: in S, *Assideo*: in T, *Atollo*. Sed inuenias, *Adrepere* &, *Adsum*, & *Adniti*. Consules enim auribus, & materiæ: sicuti Plautus cùm iocatur: & maluit *Assum* dicere, quàm *Adsum*: vt subinferret, *At Ego*, *Elixum*, *Volo*. Ante M, manet *Admitto*. Eximitur sequente S, coniuncto, *Aspiro*, *Ascendo*, *Astruo*: item G, coniuncto, *Agnosco*. Contrà, additur inter vocales, vel mutata altera, vt *Redigo*, vel neutra, *Prodest*, *Mederga*, *Redhostire*.

M, in N, ante omnes, præterquam ante B, P, & seipsam. *Imbuo*, *Impono*, *Immoror*, *Concio*, *Condo*, *Confero*, *Congero*, *Coniuro*, *Conlutibilis*, *Connitor*, *Conquiro*, *Conrugo*, *Consequor*, *Contueor*, *Conuolo*, *Anxur*. Sed aliquando etiam sequentis L, aut R, naturam subit. *Colligo*, *Corrigo*: fuit enim *Cum*, præpositio, non *Con*, alia ab illa, quæ in compositione tantum inueniretur: Nam etiam in aliquibus integra mansit, *Cumprimis*, quod verbum, qui diuisere, vt duo facerent, paucæ fuere lectionis, neque meminere etiam dictũ à veteribus *Cumprime*. sicut *Apprime*.

Item

Item si esset *Con*, vt dixere, quænam illa sit, quam audimus in *Comes*, *Comitium*, & clarius etiamnũ, in *Mecum*, *Tecum*? Præterea sequente vocali, quis vnquam abiecit N? at abiicitur consonans in hac præpositione composita cum vocalis initiis: ergo talis est, qualis abiectionem patiatur, ea autem est M. Nam alioqui interponimus consonantes, vt diximus, *Mederga*, *Redeo*: etiam sequente aspirationis crassitudine, *Redhostire*. At in *Cogo*, quod fuit *Coago*, & *Cohortor*, & *Coorior*, & *Cooperio*, quid dicant? Postremò ineptè putent *In*, aliam esse, cum per N, aliam cum per M, scribitur. Sed curto fuere prisci Grãmatici iudicio, quorum nostri nomen potius, quàm merita sunt sequuti. At satis constat sonum ipsius V, in *Cum*, rotundiorem fuisse, qui etiam nunc manet. Vmbri enim, non Latini obscuriorem illum alterum in vsu habebant, quem in *Nunc*, Gallis pronunciari admonebamus suprà. M, abiicitur, *Circuitus*, & *Caseus*, si à cogẽdo, vt vult Varro, non à *Casa*, vt nos iudicamus, deducatur. Item in *Cognosco*, nam γνώσκω, integrum fuit, neque enim est additum, G, vt putarunt, erat enim γνώσκω.

N, in M, ante B, P, M. *Imbuo*, fuit enim à Græco, *Buo*, priscum verbum βύω, & significauit infercio. *Immortalis*, *Impono*. In C, etiam volunt illis exemplis, *En*, *Quid*, *Ecquid*: *En*, *Ce*, *Ecce*. Abiicitur qua lege M, suprà, *Ignauus Ignotus*. In G, non vertitur in *Ignominia*, vt putabant: sed est vt *Gnomon*.

R, in L, *Intelligo*. hoc autem vsu, non lege fa-

ctum est:nam *Interluo*, & *Subterlabor*, & *Perlitus*, & *Superlatiuum*. At Politianus, cùm mauult, *Pellego*, videbatur in hoc, vt in cæteris sibi, non posse esse princeps literarum, nisi solus esset: sed aliunde poterat diuinum ingenium sibi parêre gloriam, quàm ex deformatione Latinæ puritatis. Abiicitur in verbo *Peiero*.

S, in F, *Diffundo*: neq; enim fuere duæ præpositiones, vt sunt arbitrati Grammatici, *Di*, & *Dis*, sed *Dis*, Græca. nã binarius numerus primus est, qui diuidi potest: quod igitur bis facimus, discontinuata opera fit. iccirco præpositio hæc ex vno plura demonstrat, *Diuido*. quoniam quæ secta sunt, bis videntur. Seruatur in multis, *Discolor*, *Disgrego*, *Disiungo*, *Dispono*, *Disquiro*, *Dissideo*, *Distuli*. Ante cæteras tollitur, *Diligo*, *Dimoueo*, *Dignosco*, *Dinumero*, *Dirimo*, *Diuido*, *Diiudico*, Inuenias tamen *Disrumpo*. Ante B, nondum venit in mentem, an ponatur hæc præpositio.

X, ante F, mutatur: *Efficio*. ante vocales manet, *Exaro*, *Exeo*, *Exilis*, *Exoletum*. Non abiicitur ante D, sed ipsum D, tollitur, *Exuo*, ἐκδύω. Ante alias manet, *Excio*, *Exlex*, *Expono*, *Exquiro*, *Extero*.. In aliis autem non eximitur, sed E, præpositio est, non *Ex*, *Ebibo*, *Edico*, *Egero*, *Eiicio*, *Eligo*, *Emineo*, *Enato*, *Eruo*, *Euado*. Inuenias tamen ante F, integrum *Ex*: sed in verbo, quod quia nolo hic ponere pudoris gratia, aut per te ipse intelliges: aut si non intelligas, non docebo. Cum vocibus autem ab S, incipientibus si componas, quid facias? tollas sibilum: nõ enim

ne-

necessarium est, nanque in x, syllaba potest terminari: sed soni suauitatem sequendam censeo: Itaque commodius dicemus *Exequor*, Græcorum exemplo qui certis locis ἐκ, alijs, ἐξ, dicunt. Sed recentiores, vt sapere videantur, omnia obturbant:at nos veterum sequimur simplicitatem, qui *Exul*,scripsere,quanquam ab *Ex*, & *Solo*, duceretur. Hoc itaque cùm rectè sic se habeat, pessimo argumento probandi rationem malè iniecere. Nam inquiunt,si post x,liceret seruare s, initio vocum compositarum: pari ac simili lege etiã liceret post ψ.sed non licet:neque enim dicimus, *Abßectum* neque *Obsessum*: sed vnica s, fuit contentus vsus. Vbi dupliciter peccant: primùm, cùm putant s, quod in *Exequor* est, præpositionis esse non verbi: hoc enim falsum est: nam significatio verbo debetur,ergo & partes.& remanet vestigium præpositionis Græcorum lege, quos imitamur, *Ecsequor*. Alterum errorem videas manifestum,cùm putant *Abs*, esse integram & natiuam præpositionem, cùm tamen sit *Ab*, per apocopen,ἀπό,quod & patet in OB: neque enim necesse habeas dicere *Obs*.sed per apocopen ὅπως.nanque ὄπι,fuit simplex.ὄπως compositum. *Obs* tamen fuisse in quibusdam, videmus illis exemplis, *Obscurus*, à *Cura*: *Obscœnus*, παρὰ τὸ κοινῶ, vnde *Cœnum* nostrum. At in *Abscedo*, *Abs* est,& *Cedo*:sed nihil ad rem.

T, mutatur in R, si à patre, nòn à parente, fit *Parricida*:sed hoc plus placet nobis.

CPVT XXXV.

Ordo literarum, quatenus dictionis partes sunt. Quę cuique syllabæ debeatur.

ORdinis nomen Græcum est. Dicebant m
litibus Tribuni: Hactenus tibi licet: H
consistes: Eò progrediere: Huc reuertere: ὄρορ d
inde ordo. Æoles autem non aspirant, quoru
instituto sanè libens accedo: nihil enim hellu
nem magis sapit, aut Barbarum, quàm è gutt
re insufflare aduersus eum, quicum loquare. E
igitur *Ordo*, loci ratio, qua quid aut præit, aut
quitur: vel ante, vel retro: vel dextrorsum, v
sinistrorsum: vel sursum, vel deorsum. Nam pri
ris ratio est, præeundi: posterioris, sequendi.
militia, vt diximus, nata vox. sic & Græci τάξ
ab aciei directione: Translata in ciuitatem p
statu hominum, liberorum, seruorum. Inde p
trum, plebis: additi & Equites. Et Lex Otho
Theatralis. In plebe etiam fuit ordo: classiari
rum, proletariorum, duicensorum, capitecens
rum. Ab his ad corpore carentes res fusum sig
ficatum, vt etiam ordo in numeris dicatur: n
solùm in rebus numeratis: non temere. Est en
& numerus & mensura caussa rei numeratæ,
mensuratæ, non quidem vt sint, quod sunt:
vt à nobis cognoscuntur, aut tot, aut tantæ,
hæc altioris sunt operæ. Est igitur in lite
ordo, potestatis pars, secundùm quam licet
psis aliam atque aliam sortiri sedem, propter v
qua inter se aut conueniũt aut dissident. Qua
uis autem in syllabis cognoscitur, non tame

yllabis fit, ſed facit ſyllabas: eſt enim forma ſyllabarum Ordo: ac propterea non ad loca: quæ de ſyllabis ſtatuunt, referendus, vt fecere veteres: ſed hic retinendus, vbi agitur de elementis: Elemẽta enim ſyllabarum materia ſunt: ordo autẽ forma, aut poteſtatis pars, aut ab ipſa pendens poteſtate. Eſt igitur vnum ex duobus principijs ſyllabarum. Quùm autem duplex ſit ordo: vnus ob compoſitionem, quo quid aut præit, aut præitur: alter in diſcendo: vt de quo elemento primùm ſit ſcribendum: prior ſpecies ordinis vera eſt: quippe ex qua ſyllabæ conflantur: is enim literarum finis, qui partium propter totum. Alter modus, qui, qualiſve ſit, ſuo mox dicetur loco. Eſt enim accidentalis, quanquam ab ipſa profectus ſubſtantia. Nam cuius forma eſt eiuſmodi, vt prima prodierit in lucem atque vſum ſermonis, hoc de ſeſe præſtat, vt prima quoque dicatur, proxima nanque eſt naturæ communi. Ac quanquam de ſyllaba nondum dicimus, tamen hic tanquam de principijs ſyllabæ ſcribentes, nomine tenus ſyllabam referemus.

Omnis igitur literarum cohęrentia aut in eadẽ ſyllaba fit, quam propterea Græci σύςασιν, quam nos in philoſophia aliquando conſtitutionem, alias concretionem, hic facilius coniunctionem dicimus, per quam ſyllaba, quæ literarum coniunctio quædã ſit, conſtat. aut in diuerſa deſtituũtur terę, neque ſub eundem tenorem veniunt, iccircóque διάςασιν vocant Græci: nos diſcretionem, diſiũctionémve nominamus: ipſáſque literas diſiunctas. Id autem vocum dignoſcitur proportione:

Lauo, factum est.

Ωι, diphthongus spuria in legitimam OE, κωμῳδία. *Comedia*. In O, ᾠδὴ, *Ode*.

Υι, eiusdem notæ atque ordins est. recipitur in vocibus Græcis integra *Harpyia*, ἅρπυια.

ΩΥ, Latini valde distortam, Ionibus reliquere.

CAPVT XXVIII.

Consonantium mutatio in deductis à Græcis:

B, Grecorum & facilè, & legitimè transit: idem enim esse suprà ostendimus βῶς, *Bos*. In V. digamma, ἄβϐα, *Auus*. In affinem huius PH. θρίαμϐος, *Triumphus*.

Γ, in C, γόνυ, *Genu*: aut in similem, vt Γάϊος, *Caius*. nam quemadmodum apud Athenienses αὐτόχθονες, & apud Thebanos σπαρτοὶ, ita Latinis à vetustate, & *Opici*, & *Indigenæ*, & *Caij*, dicti sunt. In N, aut ei propinquam, ἄγγελος, *Angelus*. Abijcitur, γνώριμα, *Norma*.

Δ, in D, δόλος, *Dolus*. In L, ὀδυσσεύς, Vlysses. In B, δὶς, *Bis*. In S, nam quo flexu illi, ψαμμώδη, nos eorum exemplo, *Arenosum*.

Z, in Z, iccirco apud nos etiam figura eadem cum eadem potestate recepta est. ζέφυρος, *Zephyrus*. In SS, μάζα, *Massa*. In I. ζεῦγος, iugum.

Θ, in TH, θράσων, *Thraso*. In D, θεὸς, *Deus*. In T, θρίαμϐος, *Triumphus*.

K, in C, *Calare*, καλεῖν: *Calones*, κᾶλον. In cognatam suam Q, *Quatuor*, κάτερα. pro καὶ ἕτερα, sine aspiratione apud Æoles. nam quum dixissent, Vnum, Alterum. Tria: pro quarto dixere, & alterum. Sic apud poëtam,

Alter ab vndecimo. &,

Aurea

Aurea mala decem misi: cras altera mittam.

Sic etiam, *Quinque*, deduxere: vt esset, & vnum præter quatuor, ϗ ἕνκυε. In G. κυβερνάω, *Guberno.*

Λ, in L, λὶψ, *Libs.* In D, μελετᾶν, *Meditari:* falsò enim negarunt.

M, negarunt mutari, attulerunt exemplum illud, τηλέμαχος, *Telemachus:* sed frustra fuere: nam ex μῆλα, *Balare*, factum est. Et extritum est, ἅμματα, *Amenta:* σάγματα, *Sagus, Sagitta.*

N, in N, nostrum, *Ninus*, νῖνος, In D, χαίνω, *Cado.* ἐκάνετε, ἐκάνετε τ' ἑλλλιώων τ' ἄειστον ex Euripide. In L, nam quinquagenarij numeri nota fuit Græcis N, nobis L. sic quod illi νύμφας, nos *Lympkas:* & apud Vergilium sic legêre quidam:

Dant famuli manibus Nymphas. In M, παίγνιον, *Pægniũ.* Additur à Græcis nostris nominibus, κάτων, Cato. Demitur à nobis in illorũ, σίμων, *Simo:* & in nostris ab illis defluxis additur, ὀδὺς, *Dens.*

Ξ, falsò negarunt mutari: nanque ἄξονες *Asseres*, non ab assidendo, vt dixere. Suprà declarauimus *Acũ*, & *Acutũ*, vnde duceretur: itaque ab ὄξος nõ putauimus fieri *Acor:* nam potius ab ὠκύ.

Π, in B, πυξὸς, *Buxus:* πυῤῥὸς, *Burrus:* ἀπὸ *Ab:* ὑπὸ, *Sub.* accipit aspirationem: τρόπαιον, *Trophæum.*

P, nimis imprudenter mutari negarunt, vt ἀὴρ, *Ær:* nã mutatur, καρκῖνος, *Cãcer*, ne esset *Carcer.* & in L, παῦρον, *Paulum.* sed potius est diminutiuum. In D, si Γαυρεόω sit, vnde fiat nostrum *Gaudeo.*

Σ, in D, μέσον, *Medium*, Tollitur non solùm in prima inflexione, vt dixere, πυῤῥίας, *Byrria:* sed etiam in alijs, ἅλς, *Sal:* & in principio, σκύτος, *Cutis:* alibi seruatum *Scutum*, In X, αἴας, *Aiax.*

Cõtrà quidam ſcripſere *Vlyxes*. In R, κυβερνήτης, *Gubernator:* quoniam Æolenſes κυβερνήτηρ, & κυβερνήτωρ, qua forma verbalia noſtra ſunt. Quin Eretrienſes, vſque ad prouerbium dicebant, σκληρότηρ, quod alijs eſſet σκληρότης. quod & in Francis notabis. E contrario ss, in x, noſtrum μασσάω, *Maxilla:* nam *Mala*, per ſyncopam curtatũ fuit. *Mandere* quoque à μάσω ductum fuit, ſed ſanè non pauca eget interpolatione.

T, in s, ὀστᾶ, *Oſſa.* ſed commodius ſit dicere, ſubductum fuiſſe: alioqui tranſlatitia ſunt inter ſe, θετταλὸς, *Theſſalus.*

Φ, in PH, φορμίων, *Phormio.* In F, φύω, *Fundus.* φῶ, *For.*

X, in CH, *Chromis*, χρῶμις. In G, ἄγχω, *Ango.* In K, λόχος, *Locus.* In Q, λέγω, λέλοχα, *Loquor.* neque enim à locis, vt Varro vult. Sic & ἀχελῶος, *Aqua.* Omnis enim aqua dicta eſt ei⁹ amnis nomine, & à lauãdo, quoniam erat, ἀχελῷος: quod & Macrobius docuit nos & Vibius Criſpus: & non ignorauit doctiſſimus omnium poëta,

Poculaque inuentis Acheloia miſcuit vuis.

neque enim ab æquore, [illegible] qua: ſed ab e [illegible], æquor.

Ψ, in PS, ψύλλιον, *Pſyllium:* & in proximas, BS, vt λίψ, *Libs:* ἄραψ, *Arabs.*

Aſpiratio, manet, ὁμῶς, *Homo:* eſt enim animal ſociale, non ab humo, vt ſomniarunt. Adimitur, ἀλκυὼν, *Alcedo:* ἅμμα, *Amentum.* Mutatur ἕδος, *Sedes:* ἕρπων, *Verpus* lumbrici genus, trãſlata vox ab obſcœna, ob exilitatẽ, non à vertendo pellem, vt aiunt: ſed medium digitum propter gracilitatem ſignificauit metaphoricè. Manet cum conſonan-

ſonantibus, *Tholus*, θόλος. Adimitur, vt θρίαμβος, *Triumphus*. Additur, τρόπαιον, *Tropheum*.

Subtilius autem intuenti etiã id deprehendetur, aliquas, etiam ſi mutẽtur, remanere: vt, Τροῖα, *Troia*: etenim ι, & eadem, & non eadem eſt.

Digamma interponitur, vt diximus, ὄϊς, *Ouis*. Præponitur, ἴς, *Vis*. Interponitur & c, σπέος, *Specus*.

CAPVT XXIX.

Mutatio ex deductione in ſimplicibus.

IAm multæ operæ prouinciam capeſſimus: ſibi enim quiſque placuit in verborum deductione. Ergo quæ ipſi non inuenere, nolunt eſſe ita: doceri enim turpe putant. Aliqui autem, inter quos Varro, etiam malignè eruerũt omnia è Latinis, Græciſque ſuas origines inuidêre. Nos cum ſciremus Magnæ Græciæ nomine priſcos *Auſones*, atque Latinos frequentatos, reddidimus ſuis quanque notalibus vocem.

Deductio, eſt creatio noui verbi, ex prioris elemẽtis. Pri⁹ igitur de ſimplicib⁹, mox de cõpoſitis.

A, breue in breue, *Paro*, *Pario*: in longũ, *Paro*, *Pareo*: in AE, *Aqua*. *Æquor*. A, longũ in lõgum, *Vado*. *Vades*: in breue, *Vado*, *Vadum*: *Ater*. *Atrox*: feroces enim fuſceſcunt ira. In E, apud Græcos, βάλλω, βέλως: apud Latinos, *Paſco*, *Pecus*, non eſt: nam πόκος, Homero fuit lana: quo nomine etiam nunc faſciculum certum, ſiue penſum vocant in Italia alicubi, ſed genere fœminino. Itaque à lana vetuſta vox πέκος. In O, *Vena*, *Venox*. In V, *Mare*, *Muria*. E, breue in A, longũ, *Legere*, *Legare*, quoniam ad legendum, hoc eſt,

dicendum mittebantur, παρὰ τὸ λέγειν.

E, longum in breue, *Sedes*, *Sedile*. In I, *Veha*, *Via*: vt vult Varro. In O, *Tego*, *Toga*. Græcorum exemplo, λέγω, λόγος. Et longum in O, breue, *Sedes*, *Solium*. In V, *Tego*, *Tugurium*. In V, longum, *Dies*, *Diu*. In AE, *Sequor*, *Sæculum*.

I, longum in breue, *Dicere*, *Dicare*: in longum, *Simus*, *Simia*: non autem παρὰ τὸ μιμεῖσθαι, vt ineptiunt. I, breue in breue, *Mina*, *Minax*: in longum, *Via*, *Villa*, *Villis*. In A, non mutatur illo exemplo, *Generis*, *Generatim*: ſed à plurali recto ferè deducitur. *Viritim*. *Oſtiatim*. In E, correptum, *Illicio*, *Illex*. In V, *Specio*, *Specula*.

O, breue in longum, *Vomer*, à *Vomendo*, vt vult Varro: in breue, *Volo*, *Volones*. Longum in longũ; *Donum*, *Donaria*: in breue, *Moles*, *Moleſtus*. In A, longum, *Dico*, *Dicax*: in E, longum, *Tutor*, *Tutela*: in breue *Bonus*, *Bellus*: fuit enim *Bonulus*, *Bonellus*. In I, & longum, & breue, *Amo*, *Amicus*, *Amita*. In V, *Tego*, *Tegula*. ſed *Tega*, prius fuit: *Stolo*, *Stultus*.

V, longum in longum, *Pus*, *Putidus*: in breue, *Scutum*, *Scutulatum*: *Rus*, *Rudis*. Breue in breue, *Lutum*, *Lutoſum*: breue in longum, *Puer*, *Puſio*: *Suo*, *Sutilis*. In A, *Veredum*, *Veredarius*: niſi ſit à plurali, quod & puto: *Cudo*, *Quatio*. In E, *Pignus*, *Pigneror*, quia fuit *Pigneris*. In I, *Cures*, *Quirites*. In O, *Pignus*, *Pignoratio*: ſed ab obliquis potius: *Decus*, *Decor*, commodius exemplum eſt.

CAP.

CAPVT XXX.

Mutatio in diphthongis ex deductione.

OE, in V, *Pœna, Punio: Mœri, Muri*, vt diximus.

AV, in V, breue, *Raudum, Rude*: nam ῥάϐδος, fuit virga dempta ex arbore impolita: inde Raudum æs: & ab ea ruditate, *Rus*.

CAPVT XXXI.

Consonantium mutatio ex deductione.

B, in M, *Globus, Glomus*.

C, in G, præcedente N, *Centum, Quadringenta*. In R, *Seco, Serra*: sed puto primam syllabam fuisse originis: canina autem litera geminata, strepitum imitatos. Geminatur *Pecus, Peccare*: nō vt grammaticorum ineptiæ, pedem capere.

D, in T, *Cudo, Quatio*. fuit enim vetus verbum, κύδω, adhuc durat κυδάζω: significat strepere: vnde κύδος, conuitium, & κύδος, gloria, strepitus ille popularis.

G, in C, *Genero, Cneus: Gula, Curgulio, Viginti, Vicesimus: Pertingo, Pertica*, rusticum instrumentum ad fructus decutiendos.

L, in X, non mutatur exemplis illis, *Ala, Axilla: Mala, Maxilla*, vt aiunt: non enim ab *Ala, Axilla*: sed ab *Axilla Ala*, extrita, vt ait Cicero, elementi vastitate: sic enim censuit M. Tullius. *Veho, Vexi, Vexum, Vexulum, Vexillum*, & κατὰ συγκοπὴν, *Velum: Ago, Axo, Axa, Axula, Axilla, Ala: Masso, Maxo, Maxa, Maxula, Maxilla, Mala*, vnde μασητῆρες: *Pango, Paxo, Paxus, Paxillus, Palus*: vt non parum errent, qui ab, Ala, putēt, Axillam diminutum duci. Axo

autem& alia,ſic ſunt dicta,vt *Faxo,Graxo.*Etiam falſò mutāt in R,illo exemplo,*Tabula*, *Taberna.* nam *Tabula*, fuit diminutiuum nominis, quod nūc non extat,à quo,*Taberina*,vt *Suterina*, *Tonſterina.* Sed in his, E,abiit. in *Taberina*,ſublatum eſt. Omnino autem à *Tabula*,etiam *Tabulerna*, ſicut *Naſiterna.*eſt autem *Taba*, & *Tabula*, ἀπὸ τὸ τάζω, quoniā tabulata in ædibus, & vlmis planiciem extendebant.

N,in L,*Vnus*,*Vllus*:*Vinum*,*Villum* :non mutatur, vt dixere. Sed fuit *Vnulus*: & *Vinulum.*In S, mutatur. *Findo*, *Fiſſus*. In T, *Canis*,*Catulus*.ſed à *Cato*,deducunt potius,& placet:at iidem à *Canis*, *Catus* ipſum,trahunt.

R,in N,*Murus*,*Munus*.fuit enim *Munus*,onus muris reficiendis, vbi primum vnum in locum è vicis conueniſſent ad condendum oppidum: inde *Munimenta*. Id oneris cùm remittebatur virtutis ergô,*Donum* dicebatur.Ab *Aere* autem non fit *Aeneus* , vt dixere , vt mutetur R, in N: cuius rei argumentum eſt, quòd etiam *Aeſneus*, dixere. Itaque fuit *Aerineus*. Sic *Aeternus*, ab *Aethere*: & fuit *Aetherinus*: vnde *Sempiternus*, quod fuit *Sempaeternus*: mutatur enim AE, in I. *Quaero*, *Inquiro*. & abiecta eſt aſpiratio , vt in multis. Sic à *Vere*,*Verinus*,*Vernus*.I,enim abiecere, quod manſit in *Matutinus*,& aliis eiuſmodi. Nulla igitur ratione corripuere ſecundam ſyllabam. Mutatur R,in L,*Niger*, *Nigellus*, quia fuit *Nigerulus*, & in S, *Ardeo*,*Arſum*.*Aſſum*, vnde *Aſſare.*

T,in D,*Quatuor*,*Quadra.*

X, ad-

x, additum est in *Vix*, aduerbio, à *Vi*, quod negat facilitatem. vnde *Vices*: nam quod per vices fit, videtur difficile esse, & vix fieri. Fortasse etiam rectum ipsum fuit, *Vix, Vicis*.

z, tota Græcorum est. neque à Latinis in Latina deriuatur.

Demitur aspiratio, *Fingere, Pingere*.

CAPVT XXXII.

Mutatio in compositis. Vocales.

COmpositio, est coalescentia similiũ aut specie, aut genere: neque enim vnum fierent, nisi esset ea similitudo, quam Græci vocant σύμϐολον. Dico autem, compositionem non actionẽ, quæ præcedit ipsam concretionem: est enim in prædicamento motus: sed ipsam mistionem duarum vocum, partim diuersarum, partim similiũ. Est autem modus quidam inter ipsa: Nomina enim nominibus propiora sunt: facili⁹ enim dicitur, *Pontifex* quàm *Proconsul*. nam consuetudine extortum hoc fuit: erat enim per initia, *Pro consule*. Sic etiam verba cum diuersis partibus desinunt esse verba, vt, *Mancipium*.

A, breue in A, breue, *Comparo*, *Paro*. In A, longum, *Indago*. & ratio est euidens, concreuerunt enim vocales duæ. A, longum in A, longum, *Gnarus*, *Ignarus*. A, breue in E, breue, *Sacrum*, *Consecro*: *Caput*, *Princeps*. A, longum in E, longum, *Arma*, *Inermis*. In E, breue, *Tibia*, *Tibicen*, tibia canens. A, breue in I, breue, *Ago*, *Abigo*. In I, longum, *Instigo*, ex coalescente O, & A, insto ago. verbum agasonum, & armen-

tariorum. Sic, *Tibia, Tibicen*. ex I, & A. In O, *Historia, Historiographus*. In V, *Salsus, Insulsus*. In *Troiugena* quoque videtur A, in V, mutatũ. In diphthongum, *Musa, Musæum*: si μυσεῖον sit in E, vt suprà diximus.

E, breue in E, breue, *Ferus, Efferus. Hercisco, Nouerca*, noua diuisio familiæ, non vt nugantur. In E, longum, à *Re, Rettuli*. E, longum, in longum, *Telare, Protelare*. In I, longum, *Ledo, Collido*. In I, breue, *Lego, Colligo*.

O, in O, longum *Solus, Consolari*: à viduis, quæ cùm se solas relictas lamentarentur, oratio leniẽs desiderium dicebatur. In *Homicida*, non vertitur in I, sed ab obliquo fuit, *Hominicida*. In V, vertitur, à solo, *Exul*.

V, breue in breue, *Iubeo, Fideiubeo*: neque ferè cum alia voce compositum inuenias: à longa tamen fit, *Ius Habeo*. quam quantitatem retinuit etiam in *Iubilo*: nisi sit ab ἰὼ ἰώ, vocibus triumphatorum: superstites enim vitam Apollini acceptam ferebant, cui canerent pæana in victoria. ἰὼ βιῶ, παιάν. V, in E, breue, *Iuro, Peiero*. In I, breue, *Cornicem*. V, in seipsam, consonans in vocalem, *Pituita*, quadrisyllabum Catullo. contrà in *Anceps*.

CAPVT XXXIII.

Diphthongorum mutatio in compositione.

AI, in I, vt diximus. *Æternus, Sempiternus*. AV, in O, *Plaudo, Cõplodo*. in E, *Audio. Obedio*.

vbi

vbi ob, nihil detrahit, ſed cauſſam finalem dicit. In v, *Claudo, Includo.*

CAPVT XXXIIII.

Conſonantium mutatio in compoſitione.

B, mutatur in C, F, G, L, M, P, R, *Succurro; Suffero, Suggero, Sulleuo, Summitto, Suppeto, Surripio.* id Æolenſium more, qui κάππεσον, κάββαλεν, dicebant præcedentem ſequentis vi pronunciantes. Neque tamen in omnibus his literis ſemper eadem connexio eſt. Malim enim *Suſlimem*, quàm *Sullimem*, dicere & *Submurmurare.* at Plautus *Summanare*, à manu, furari, ſicut à *Vola, Inuolare*: item *Subrepere.* Cum D, autem integrum manet, *Subdo:* cum N, *Subnixe:* cum S, *Subſilire:* cum T, *Subticere.* Ante ſeipſum quoque non mutari par eſt: nam ſi aliorum ſonos ſequitur, ne obturbet, ipſum ſe fouebit: vt in ſimplici *Obba*, quæ eſſet ob bibendum: ita igitur dicetur, *Obbibo.* Neque mutatur ante T, in S, vt dixere, in *Suſtollo*, nanque fuit vetus vox, *Sus*, quæ motum cœlum verſus ſignificaret, ὕποθεν. fortaſſe autem fuerat, *Sus*, ſicut, *Abs*: quanquam hoc videtur fuiſſe ἄψ. & à *Sus*, fuit *Suſum*: fecit autem ex ſe *Suſtuli*, non enim à ſuffero, venit. Eadem eſt ante C. *Suſcipio*, quod veteres *Succipio*, vt diximus, Æolenſium more, quemadmodum ſuprà declaratum eſt, quos priſci etiam in aliis obſeruarunt, vt eſt apud Plautum in Aſinaria.

Suppendas potius me, quàm tacita hæc auferas. Quod nos *Suspendas*. Pari exemplo, *Suspicio*, *Sustineo*, *Suscito*, *Susum*, *Cito*. Exteritur ante M, aliquando, *Omitto*.

C, mutatur in G, *Negligo*, *Neglego*: sicut *Negotium*, *nec Otium*.

D, in C, *Quicquid*, *Quidquid*, *Accurro*, *Acquiro*: in G. *Aggero*: in F, *Affero*: in L, *Allego*: in N, *Annuo*: in P, *Appono*: nam quòd in *Aperio*, sublatum est, factum fuit poëtica licentia, nam etiam *Apparere*, dicimus. In R, *Arrogo*: in S, *Assideo*: in T, *Atollo*. Sed inuenias, *Adrepere* &, *Adsum*, & *Adniti*. Consules enim auribus, & materiæ: sicuti Plautus cùm iocatur: & maluit *Assum* dicere, quàm *Adsum*: vt subinferret, *At Ego*, *Elixum*, *Volo*. Ante M, manet *Admitto*. Eximitur sequente S, coniuncto, *Aspiro*, *Ascendo*, *Astruo*: item G, coniuncto, *Agnosco*. Contrà, additur inter vocales, vel mutata altera, vt *Redigo*, vel neutra, *Prodest*, *Mederga*, *Redhostire*.

M, in N, ante omnes, præterquam ante B, P, & seipsam. *Imbuo*, *Impono*, *Immoror*, *Concio*, *Condo*, *Confero*, *Congero*, *Coniuro*, *Conlutibilis*, *Connitor*, *Conquiro*, *Conrugo*, *Consequor*, *Contueor*, *Conuolo*, Anxur. Sed aliquando etiam sequentis L, aut R, naturam subit. *Colligo*, *Corrigo*: fuit enim *Cum*, præpositio, non *Con*, alia ab illa, quæ in compositione tantum inueniretur: Nam etiam in aliquibus integra mansit, *Cumprimis*, quod verbum, qui diuisere, vt duo facerent, paucæ fuere lectionis, neque meminere etiam dictũ à veteribus *Cumprime*. sicut *Apprime*.

Item

Item si esset *Con*, vt dixere, quænam illa sit, quam audimus in *Comes*, *Comitium*, & clarius etiamnũ, in *Mecum*, *Tecum?* Præterea sequente vocali, quis vnquam abiecit N? at abiicitur consonans in hac præpositione composita cum vocalis initiis: ergo talis est, qualis abiectionem patiatur, ea autem est M. Nam alioqui interponimus consonantes, vt diximus, *Mederga*, *Redeo*: etiam sequente aspirationis crassitudine, *Redhostire*. At in *Cogo*, quod fuit *Coago*, & *Cohortor*, & *Coorior*, & *Cooperio*, quid dicant? Postremò ineptè putent *In*, aliam esse, cum per N, aliam cum per M, scribitur. Sed curto fuere prisci Grãmatici iudicio, quorum nostri nomen potius, quàm merita sunt sequuti. At satis constat sonum ipsius V, in *Cum*, rotundiorem fuisse, qui etiam nunc manet. Vmbri enim, non Latini obscuriorem illum alterum in vsu habebant, quem in *Nunc*, Gallis pronunciari admonebamus suprà. M, abiicitur, *Circuitus*, & *Caseus*, si à cogẽdo, vt vult Varro, non à *Casa*, vt nos iudicamus, deducatur. Item in *Cognosco*, nam γνώσκω, integrum fuit, neque enim est additum, G, vt putarunt, erat enim ɣνώσκω.

N, in M, ante B, P, M. *Imbuo*, fuit enim à Græco, *Buo*, priscum verbum βύω, & significauit infercio. *Immortalis*, *Impono*. In C, etiam volunt illis exemplis, *En*, *Quid*, *Ecquid*: *En*, *Ce*, *Ecce*. Abiicitur qua lege M, suprà, *Ignauus* *Ignotus*. In G, non vertitur in *Ignominia*, vt putabant: sed est vt *Gnomon*.

R, in L, *Intelligo*. hoc autem vsu, non lege fa-

ctum est:nam *Interluo*, & *Subterlabor*,& *Perlitus*, & *Superlatiuum*. At Politianus,cum mauult, *Pellego*,videbatur in hoc,vt in cæteris sibi,non posse esse princeps literarum, nisi solus esset: sed aliunde poterat diuinum ingenium sibi parêre gloriam, quàm ex deformatione Latinæ puritatis. Abiicitur in verbo *Peiero*.

S,in F,*Diffundo*: neq; enim fuere duæ præpositiones, vt sunt arbitrati Grammatici,*Di*,& *Dis*, sed *Dis*, Græca.nã binarius numerus primus est, qui diuidi potest: quod igitur bis facimus, discontinuata opera fit. iccirco præpositio hæc ex vno plura demonstrat, *Diuido*. quoniam quæ secta sunt,bis videntur. Seruatur in multis, *Discolor*, *Disgrego*, *Disiungo*, *Dispono*, *Disquiro*, *Dissideo*, *Distuli*.Ante cæteras tollitur, *Diligo*, *Dimoueo*, *Dignosco*, *Dinumero*, *Dirimo*, *Diuido*, *Diiudico*, Inuenias tamen *Disrumpo*. Ante B, nondum venit in mentem, an ponatur hæc præpositio.

X, ante F, mutatur: *Efficio*. ante vocales manet, *Exaro*,*Exeo*,*Exilis*, *Exoletum*. Non abiicitur ante D, sed ipsum D, tollitur, *Exuo*, ἐκδύω. Ante alias manet,*Excio*,*Exlex*,*Expono*, *Exquiro*, *Extero*..In aliis autem non eximitur, sed E, præpositio est, non *Ex*, *Ebibo*, *Edico*, *Egero*, *Eiicio*, *Eligo*, *Emineo*, *Enato*,*Eruo*, *Euado*. Inuenias tamen ante F, integrum *Ex*: sed in verbo, quod quia nolo hic ponere pudoris gratia, aut per te ipse intelliges: aut si non intelligas, non docebo.Cum vocibus autem ab S, incipientibus si componas,quid facias? tollas sibilum:nõ enim ne-

necessarium est, nanque in x, syllaba potest terminari: sed soni suauitatem sequendam censeo: Itaque commodius dicemus *Exequor*, Græcorum exemplo qui certis locis ἐκ, alijs, ἐξ, dicunt. Sed recentiores, vt sapere videantur, omnia obturbant:at nos veterum sequimur simplicitatem, qui *Exul*,scripsere,quanquam ab *Ex*, & *Solo*, duceretur. Hoc itaque cùm rectè sic se habeat, pessimo argumento probandi rationem malè iniuere. Nam inquiunt,si post x,liceret seruare s, initio vocum compositarum: pari ac simili lege etiã liceret post ψ.sed non licet:neque enim dicimus, *Abßectum* neque *Obsessum*: sed vnica s, fuit contentus vsus. Vbi dupliciter peccant: primùm, cùm putant s, quod in *Exequor* est, præpositionis esse non verbi: hoc enim falsum est: nam significatio verbo debetur,ergo & partes.& remanet vestigium præpositionis Græcorum lege, quos imitamur, *Ecsequor*. Alterum errorem videas manifestum,cùm putant *Abs*, esse integram & natiuam præpositionem, cùm tamen sit *Ab*, per apocopen,ἀπὸ,quod & patet in OB: neque enim necesse habeas dicere *Obs*.sed per apocopen ὅπως.nanque ὅπη,fuit simplex.ὅπως compositum. *Obs* tamen fuisse in quibusdam, videmus illis exemplis, *Obscurus*, à *Cura*: *Obscœnus*, παρὰ τὸ κοινῶν, vnde *Cœnum* nostrum. At in *Abscedo*, *Abs* est,& *Cedo*:sed nihil ad rem.

T, mutatur in R, si à patre, nón à parente, fit *Parricida*:sed hoc plus placet nobis.

CPVT XXXV.

Ordo literarum, quatenus dictionis partes sunt. Quę cuique syllabæ debeatur.

ORdinis nomen Græcum est. Dicebant militibus Tribuni: Hactenus tibi licet: Hic consistes: Eò progrediere: Huc reuertere: ὅρον δῶ, inde ordo. Æoles autem non aspirant, quorum instituto sanè libens accedo: nihil enim helluonem magis sapit, aut Barbarum, quàm è gutture insufflare aduersus eum, quicum loquare. Est igitur *Ordo*, loci ratio, qua quid aut præit, aut sequitur: vel ante, vel retro: vel dextrorsum, vel sinistrorsum: vel sursum, vel deorsum. Nam prioris ratio est, præeundi: posterioris, sequendi. In militia, vt diximus, nata vox. sic & Græci τάξιν, ab aciei directione: Translata in ciuitatem pro statu hominum, liberorum, seruorum. Inde patrum, plebis: additi & Equites. Et Lex Othonis Theatralis. In plebe etiam fuit ordo: classiariorum, proletariorum, duicensorum, capitecensorum. Ab his ad corpore carentes res fusum significatum, vt etiam ordo in numeris dicatur: non solùm in rebus numeratis: non temere. Est enim & numerus & mensura caussa rei numeratæ, vel mensuratæ, non quidem vt sint, quod sunt: sed vt à nobis cognoscuntur, aut tot, aut tantæ, sed hæc altioris sunt operæ. Est igitur in literis ordo, potestatis pars, secundùm quam licet ipsis aliam atque aliam sortiri sedem, propter vim qua inter se aut conueniũt, aut dissident. Quamuis autem in syllabis cognoscitur, non tamen sy

syllabis fit, sed facit syllabas: est enim forma syllabarum Ordo: ac propterea non ad loca: quæ de syllabis statuunt, referendus, vt fecere veteres: sed hic retinendus, vbi agitur de elementis: Elemēta enim syllabarum materia sunt: ordo autē forma, aut potestatis pars, aut ab ipsa pendens potestate. Est igitur vnum ex duobus principijs syllabarum. Cùm autem duplex sit ordo: vnus ob compositionem, quo quid aut præit, aut præitur: alter in discendo: vt de quo elemento primùm sit scribendum: prior species ordinis vera est: quippe ex qua syllabæ conflantur: is enim literarum finis, qui partium propter totum. Alter modus, qui, qualísve sit, suo mox dicetur loco. Est enim accidentalis, quanquam ab ipsa profectus substantia. Nam cuius forma est eiusmodi, vt prima prodierit in lucem atque vsum sermonis, hoc de sese præstat, vt prima quoque dicatur, proxima nanque est naturæ communi. Ac quanquam de syllaba nondum dicimus, tamen hic tanquam de principijs syllabæ scribentes, nomine tenus syllabam referemus.

Omnis igitur literarum cohęrentia aut in eadē syllaba fit, quam propterea Græci σύςασιν, quam nos in philosophia aliquando constitutionem, alias concretionem, hic facilius coniunctionem dicamus, per quam syllaba, quæ literarum coniunctio quædā sit, constat. aut in diuersa destituūtur literę, neque sub eundem tenorem veniunt, iccircóque διάςασιν vocant Græci: nos discretionem, disiūctionémve nominamus: ipsásque literas dissitas. Id autem vocum dignoscitur proportione:

quarum vt quæque initia obſeruamus, ita & ſyllabis aſcribenda iudicamus. quoniam enim ab his incipiunt voces per ſyllabas, ipſæ quoque ſyllabæ incipient. Exemplum eſt *Conſpiro:* quia ab N S P, nulla vox incipit, ne ſyllaba quidem incipiet: ſed N, prioris erit ſyllabæ finis in diaſtaſi, cum ſequente, propterea quòd à cæteris duabus inuenias principium dictionis, *Spes*. Neque verò euenit id propterea, quod ex *Cum*, & *Spiro*, compoſitum eſt, vt quaſi in partes priſtinas reducatur: ſed idem modus erit etiam in *Pulchro:* erit enim *Pul*, prior ſyllaba. Altera autem à duabus incipiet conſonantibus: iccirco quia vocis initium inuenias tale, *Credo*, In *Excedo*, autem ſiquis quærat, vbi ſit diſtinctio faciunda, intelligat non eſſe neceſſarium ſcindere X. nam quanquam eſt duplex vi, figura tamen vna eſt, & indiuiſibilis, quemadmodum ſuprà diximus, alioqui non eſſet elementum. Neque ſi ſit facta vis dictionibus, per conciſionem, vt *Extinxti*. duarum enim literarum vltima erit ſyllaba, quia *Lynx*, dicitur.

Proprium autem eſt coniūctionis, certas vocales, certáſque admittere cōſonantes. Diſiunctionis autem, omnes quidem vocales, non omnes cō ſonantes: vt N, non admittit ante ſe P, aut B. Et in coniunctione Q, non aliam admittit, quàm V, & ad diphthongos conficiendas non omnes concurrunt vocales. Eas igitur ſe mutuo anteire, aut conſequi diuerſis in ſyllabis, iam declaratum eſt. In eadem autem ſyllaba præeunt, A, E, O: ſubeunt, E, V. Quinetiam vetere in diphthongo E I,

ſubit,

ſubit, I, vt *Quæis*, pro *Quibus*. ſcriptum tamen à Vergilio eſſe vnica litera, cõſtat ex Gellianis narrationibus. In interiectione tamẽ, *Hei*, manet adhuc. At Græci poſtpoſuere etiã ipſi Y, in *Harpyia*: & Ω, & H, & A, ῳ̃δῇ ἄδω. Sed & poſt V, in eadem ſyllaba inuenitur A, *Suauis*, *Suadeo*.

Conſonantes autem ſic ordinantur: Omnes pene conſonantes anteeunt duas liquidas, L, & R. Duplices autem non antecũt, præter Z: antecedit enim ipſum M, ſi verum eſt, quod placuit quibuſdam, *Zmyrna*. Exempla liquidarum ſunt, *Blæſus*, *Brutus*, *Clarus*, *Craſſus*, *Draco*, *Flaccus*, *Frango*, *Gloria*, *Graccus*, *Plico*, *Precor*, *Stlatum*, *Trica*. At Q, neque liquidas, neque aliam quampiam præcedit. Neque D, niſi vnam ex ipſis: non enim L. Cæteras B, nullas præcedit, ac ne ipſum quidem N, in verbo, *Abnuo*. Sed in *Abdolas*, amplectitur ipſum D, quoniam inuenias, *Bdellium*. Etiam in *Ætna*, diſiuncta ſunt T, & N. At verò, C, D, G, P, non reſpuuntur. Exempla ſunt, δνοφερὸς, *Cneus*, *Gnatus*, πνέω. Igitur coniuncta erunt in *Cydnus*, δάκνω, *Agnus*, *Sypnus*. M, in eadem ſyllaba cum nulla ſequente eſt, præterquam cum N: vt in *Mnemoſyne*: & ipſum ante ſe vnam aut alteram tantum patitur: D, apud Græcos, δμωή. & S, *Smaragdus*: & ſi verum eſt quod aiunt, etiam Z, *Zmyrna*. quòd ſi verum eſt hoc, duplicem præcedere, etiam vtrauis eius pars idem munus obire poterit, tam S, quàm D. Habet autem ipſum M, eandem rationem cum P, & C, & liquidis: vt poni poſſit ante S, Nam quemadmodũ dicimus,

Ex, ἀψ:sic etiam *Hyems*,*Sirems*,ἅλς,*Mens*,*Ars*.. Nam M, & N, inter liquidas quoque recensuere. Sic ante x, tres ponuntur, *Falx*, *Lanx*, *Arx*. quod commune habent inter se, non autem cum M. E contrario ipsum s, antecedere potest B, C, D, F,P,Q,T, σβεννύω,*Scaliger*, ὄσδω, quia est in Z, σφενδόνη, σμῶος, *Spes*,*Squilla*,*Stolo*: cum cæterarum nulla. Veteres hic cùm alios admisere errores, tum insignem illum, qui negarent ante D, poni: at tanto nobilius ac verius: coëunt enim adeo, vt literam efficiant vnam, Z. Nullæ mutæ inter se coëunt, nisi B, D, vt *Bdellium*. quod etiã videbatur quibusdam asperiusculum, iccircóque mitigarunt interposita vocali, *Bedellium*. Sed tamen apud Græcos est βδάλλω. Qui negant z, præponi ipsi M, in *Smaragdo*, fortasse vera dicunt. Sed eorum argumentum falsum est: sic enim aiunt: In fine carminis dactylici non posset collocari vox illa, neque enim præcedens syllaba finalis in præcedenti dictione posset corripi, non enim potest abiici ipsum z, sicut abiicitur s. Sed falsa est comparatio: interposito enim interuallo non coniunguntur voces: itaque non fit positio ad productionem. Quam qui sibi confinxere, vt euadant hanc incommoditatem, modò mutam cum liquida excusant, modò sibilum, modò aspirationem tollunt: sed tot monstris opus non est: multa sunt exempla, multæ rationes. Nam quemadmodum dicent illud Homericum dactylo comprehendi? ἄσυλα ῥέζων: aspiratio enim cum ipso R, producit præcedentem, quod est manifestum in versu

verſu Theocriti ex Herculillo, ὅ ῥ' οἱ ὕπερθε. finis enim ſenarij dactylici eſt. Item I, conſanans inter duas vocales ſemper longa eſt. Ergo quomodo dicamus, *Regia Iuno*. Eſt & illa ratio inuicta, ſi diphthongi finales, non ſemper corripiuntur ſequente vocali, ſed etiam poëtarum arbitratu producuntur: ſequens ſyllaba initio vocum, fines præcedentium non mutabit. Sed hæc alibi propria opera ſunt expedita contra ambitionem Grammaticorum.

CAPVT XXXVI.

De diſiunctione, ſiue diſsitis literis. Vocales.

DIſiunctio accidit omnibus vocalibus, & mutua inter diuerſa, & ſua cuiq; ab ſeipſa. A, cũ cæteris, *Aër*, *Sais*, *Tetraon*, *Phaülus*. E, cum cæteris, *Ei*, *Eo*, *Eunt*, *Ea*. I, cum aliis, *Fio*, *Fiunt*, *Fiat*, *Fiet*. O, cum reliquis, *Cous*, *Coa*, *Coeo*, *Coit*. V, cum reliquis *Sua*, *Suem*, *Sui*, *Suo*. Item cum ſeipſis, *Nauſicaa*, *Deeſt*, *Dij*, *Coopto*, *Suus*. Sunt hæ diſiunctiones numero quinque & viginti. Quarum viginti inter ſe reciprocæ ſunt: Nam vt quæque præcedit cæteras, ita præceditur ab illis.

CAPVT XXXVII.

Conſonantium diſiunctiones.

D, diſiungitur à B, *Abdomen*: & quidem mutuo, *Adbibo*. B, ab N, *Abnuo*: ſicut M, à D, *Admitto*. B. præcedit F, ſed mutatum, *Aufero*: neque enim eſt αὖ, vt ait doctiſſimus Gellius: eius acumen laudamus, iudicium non ſequimur. Præcedit autem à tribus liquidis, ídque com-

mune habet cum ſuis comparibus, *Album*, *Ambo*, *Arbor*: *Alpes*, *Ampulla*, *Arpinas*: *Alfenus*, *Arferia*. ſed M, ab hac excluditur, vt diximus. Item præceditur ab ipſo C: idq; commune habet cum M, T, S: *Pyracmon*, *Flecto*, *Flexum*: eſt enim *Flecſum*. Præceditur etiam à G, *Egbatana*. idque habet commune cum D, *Migdonides*: & cum M, *Agmen*.

T, præceditur à C, & P, ſiue tenuibus, ſiue aſpiratis: ſed plus Græcis, quàm nobis, κτάω, πλύω, φθονέω, χθών. quorum exemplo intelligamus διάστασιν in illis, *Actus*, *Aptus*, *Aphthonius*, ἄχθος. Ipſum C, præceditur ab X, *Excutio*, Item ſuum par, *Exquiro*: Habet hoc commune cum L, *Exlex*: cum P, *Expuo*: cum T, *Extulit*.

M, præcedit B, & P, vt diximus, & ſeipſum, ac præterea nullam, *Ambo*, *Amplum*, *Ammentum*: neque enim antecedit N, vt dixere: nam in *Amne*, eſt σύστασις: exemplum, *Mnemoſyne*.

L, & R, ferè omnes præcedit, *Arbor*, *Arcerra*, *Ardeola*, *Corfinium*, *Corgo*, *Periurus*, *Perlego*, *Permeo*, *Pernox*, *Perpes*, *Perquiro*, *Perrexi*, *Perſono*, *Peruolo*: *Albion*, *Alcon*, *Aldus*, *Alfenus*, *Galgulus*, *Saliunca*, *Almon*, *Alnus*, *Alpes*, *Alſioſus*, *Altellus*, *Alueus*. Iccirco diximus, Ferè: quia L, nō præcedit Q, neque R. Ita N, quoque multas præcedit, *Ancon*, *Andes*, *Anfractus*, *Coniunx*, *Angeria*, *Conlutibilis*, *Anquiro*, *Conrugo*, *Conſul*, *Antes*, *Conuolo*, *Anxur*, *Zinziber*. Ante B, M, P, nunquam.

S, interdum obſidetur vtrinque à C, in ipſa du plici

plici excipiens adueniens c, initio subeuntis dictionis. *Excoquo*: idem enim est *Ecscoquo*.

Duplices nullam præcedunt, neque in constantia, neque in distantia: sed vocales semper in constitutione. ζῆλος, ξηρὸν, ψαύω. at non retinent eam pertinaciam in subeundo: dicunt enim *Ariobarzanes*, Persæ, & *Xerxes*: & nos *Anxius*, vt ostendimus iam: Græci, κάμψω: Arabes etiam *Alzit*, & *Alzibib*, oleum, & vua: & alia multa etiam extra articulum.

CAPVT XXXVIII.

Ordo discendi Elementa.

IS est ordo, qui est principium, ac quasi forma syllabæ: nunc autem diligenter ordinem natalium, atque vsus earum videamus. Neque enim rectè fecere prisci, aut Latini, qui quem à Græcis aut Græci quem à Syris accepissent, ordinem retinuere. Sed vt quæque prima nata fuit litera, ita prima quoque sese offert ad pronunciandum. Iccirco & à vocali, propterea quòd vocales syllabarum formam ferunt secum, & à notissima earum rectè omnia idiomata ordinẽ auspicata sunt, Chaldæi, Arabes, Scythæ, Græci, Latini. Est. n. A, prima notissimáque infantis vox, cũ qua vitæ huius spiritum primũ hausimus: neque re vlla eget alia, quàm hiatu oris solo, sine vllo cęterorũ motu instrumentorum. Ludũt enim Gręci, qui à Phœnicibus *Alpha*, bouem dictum autumant: cuius pecoris quasi auspicio quodam Cadmus vrbem Thebas condiderit: cuiúsque opera seminio illo

fabuloſo ciues ſuos, quos ideo σπαρτοὺς vocauit, collegiſſe: à terra enim oriundos mentiebantur, eo dimetientes & nobilitatem ſuam & poſſeſſionem peregrinis inacceſſam: quo iure quaſi parentem ab occupatorum amplexibus arcerent. Sic & *Gai*, & *Opici*, in Italia ab eadem terra ſeſe nuncuparunt. Cæterùm Græcorum in mentiendo audaciam ſuperàuit quorundam ſtultitia, non in credendo ſolùm, ſed etiam in prodendo. Nos autem Arabicæ linguæ non totius ignari, ſcimus & à Syris hodie, & à Mauris qui inde aduecti ſunt, *Taur*, bouem dici: putamúſque in Græciam à Cadmo eam vocem tranſlatam. Igitur vocales duæ quæ eſſent ampliſſimi ſoni A, & O, præponendę alijs fuerant, quemadmodũ huic illa eſt antepoſita, quæ autem eſſet obſcuriſſima poſtponenda, V, eiúſque ſimilis altera ei appoſita Y. Duæ autem mediæ, E, & I, medium in locum conueniſſent. Sed de E, poſt A, primo ſtatim loco ſcribendum fuit, propterea quòd eſſet magiſtra quaſi quędam omnium conſonantiũ: Quarũ nomina, paucis exceptis, aut in eã deſinerent, aut ab ea inciperent. Ante alias autem conſonantes de Sibilo primo loco agendũ fuit: vocali enim proximus eſt: ſimul & de Aſpiratione: nam paulo cõpreſſiore ſpiritu Aſpiratio, paulo tenuiore Sibilus effertur. Atque etiã de Aſpiratione prius, quã de Vocalibus dicendum fuerat. Sed quia affectus potius quidã eſt, quàm elementũ, poſtremam omnium commodius ponemus. Octauo eam loco Latini conſtituêre, veterum imitatione. Nam cùm à Simonide E, vocalis ſonus, vbi perpetuo

pro-

produceretur, notatus fuerit figura H, qua Athenienses vsi essent antea ad aspirandum: atque ille eã post E, cui subſtituiſſet, statim reposuiſſet: Latini receptam ab Atticis & figuram & potestatẽ, Simonidæ ordinem sunt secuti. Nam Latini ipsam F, cum interponeret, sanè numerum auxere: cui sedem eam quare aſſignarint, haud facilè explicari poſſit. Nam & inusitata litera apud multos Græcorum est: & si spiritum eius in pronunciatione respicias, ipsi D, anteponi debuit: si originẽ contẽplere, post G, statui: fuit.n.ex duplici, $\frac{\Gamma}{\Gamma}$, vnde etiam digamma appellata: partes enim totum anteire debent. Primores autem consonantum in cunnis sunt B, G, M. quare Arabes atque Hebræi Græcíq; longe quàm Latini sapientius, qui statim post A, ponerent B. post quem G, non C, vt nostri. facilius enim G, quàm C, pronunciatur: quanquam inter linguæ vitia aliquos inuenias in C, aliquos in T, hæsitantes. L, quoque facilima fuit, atque inter primas reponenda: lactentis enim ætatis est: itaque vdam Græci appellarunt: minus cõmode communicato nomine etiã ipsi R. quam equidẽ iudico postrema in sede recensendã, sed ante duplices tamen, quarum vnaquæque eo loco statuetur, quo eius origo fuit: vt Ψ, prima sit quia B: at Ξ, vltima quia C: media autem Z, quia D. Q, nouum inuentum Latinorum, aut statim post C, aut omnium vltima collocaretur. N, autem post L: idem eius filum pronunciationis vtrique fuit. Neque verò idem ordo apud omnes sit nationes, sed vt cuique frequẽtior est litera, ita prior alia esse debet. Quem-

admodum etiam illud intelligas apud Vmbros prius de v, quàm de o: contrà apud Romanos.

CAPVT XXXIX.

Figuræ Elementorum & earum caussæ.

NVnc de figurarum caussis dicendum est: de antiquis figuris loquor: quas qui Atticas, nõ antiquas voluerunt appellare, ostenderunt, quàm & multum scirent, & parum saperent. Neque enim Atticarum cognomento circunlatę vllæ vnquam literæ fuere, sed Ionicarum: pars enim Ioniæ Attica regio fuit. Nam cùm in duas partes vniuersa esset Græcia distributa, Peloponnesum, Dores, cęterã regionem Iones obtinuere. Duos super hac re versus ponit Strabo certis incisos columnis, quos qui volet leget. Nam ijdem quũ in Asia Ioniam recensent, colonias pro matrice ac primaria regione supposuere. Quorum mores in luxum, ac mollitiam Barbarorũ quũ abiissent, puditum est Atticos Ionicæ appellationis. Cæterùm nomen & illorum vsui in literis, & Doriensium mansit consuetudini. Iccirco autem dictæ sunt antiquæ, quia recentiores aliis notulis vti maluere, quibus etiam maximam horum partem descriptam videmus: quare etiam *Maiuscula* sunt appellatæ: à notioribus igitur incipiendum est.

Ac figura quidẽ accidit literis, per lineas. Quãquam autem figura est spatium lineis contẽtum, paucęque literæ, aut totæ concluduntur lineis, vt D, B: aut partes earum, vt P, Q, R: quædam verò etiam vnica tantùm linea describuntur: tamẽ est eis attributum figuræ nomen, propterea quòd non essent veræ lineæ Mathematicæ, sed potius superfi-

ſuperficies anguſtæ quędam. Omnis autem linea, aut eſt obliqua, aut recta. Nam quod Galenus diuidit in curuam & cauam, id eſt per accidens: eidē enim lineæ contingit, vt & caua ſit & curua: ſicuti obliqua dimetiens linea quadratum, inferiori triangulo curua erit, ſuperiori caua: neque enim in linea obliqua cauum à curuo melius diſtingui poteſt, quàm in puncto dextrum à ſiniſtro, ſuperum ab infero. Sed eadē linea diſtinguitur figuræ vnius cauum, ab alterius figuræ curuitate. Omnis igitur litera, aut linea, aut lineis conſtat: item aut recta, vt I: aut rectis, vt H: aut obliqua, vt O: aut obliquis, vt Q: aut recta, & obliqua, vt P: aut obliqua & recta, vt G: aut recta, & obliquis, vt R, B. Hæc eſt diuiſio à ſubſtantia: ab accidenti autem ſic: nam tranſuerſum, & perpendiculare, & diametrale, & iugale, & decuſſatorium accidentia ſunt lineæ vel rectæ vel obliquæ. Perpendicularis vna I: duæ H, eæque iugatæ: Duæ angulares ad medium perpendiculum, A: vna perpendicularis cum vna iugata, L: cum duabus, F: cum tribus, E: Duæ perpendiculares iugatæ diametro quadrati, N: & alio ſitu Z: duæ diametrales X. Sunt & curuæ inordinatæ S: nam Græca ex æquo reſpondet ſibi Σ: ſunt ſimplices, vt aliæ: compoſitæ, vt OO, & F: quarum illa originem ſuam repræſentat, O, O: hęc nullam Γ, Γ, poteſtate.



CAPVT XL.

Cauſſæ ſingularum.

NVnc ſingularum cauſſas videamus. A, tota Græca eſt: hoc ſatis habebamus: ſed ne illi ipſi quidem ſine cauſſa: à Syris enim. Quid Syri?

Quidam dixere latum ſonum in angulum deſinere, iugúmque ipſum præſcribere metas latitudinis. Sed eorum audaciam arguit & Α, Græcorum, à quibus ipſum illud Α, fluxit: & Δ eorundem, cuius iugum præſcribat hiatum nullum: nam quo pacto aut ex ore, aut in ore triquetram poſſint figuram conſtituere, ſanè neſcio. Differt autem vtram ineas rationem. Nam ſi propterea ſimpliciſſimum putes elementum, quia primum eſt: ita ſanè ſcribas ſicut Arabes, qui poſitæ lineæ perpendicularis calcẽ ſiniſtrorſum verſus produxere, quaſi in figurã noſtri L, aut G, Hebræi inuerſi. Sin hiatum contemplere, patula facies ei potius debeatur, quam etiam quadratam primum finxiſſe Hebræos par eſt, item Chaldæos: vel vt ante hos fabulantur quidam, neſcio quos Aramæos. eámque linea dimetiente diſſectam, ſic ⧅, quam poſtea concinnarunt. Sic igitur eſto diuaricata propter hiatum. Huic autem cum ſoni exilitate atque obſcuritate contraria eſſet Υ, vnde & ψιλὸν acceperit cognomentum, figuram quoque oppoſuère inuerſam, bifurcatã. Huius itaque ſono cùm proximum ſit V, noſtrum, non valde ab eius figura diuerſam faciẽ habuit. ſed ſubducta columella, furcas biuias contrarias ipſi A, retinuit. cuius naturę ipſum quoque eſſet contrarium pronunciationis obſcuritate. Ac ſanè aliquando fecit, vt dubitaremus, vir doctiſſimus Auſonius poëta, an V, notula fuerit in vſu Græcis. ille enim Gręcã negationẽ ΟΥ, vnicam fuiſſe literã illis verſibus profeſſus eſt:

Vna fuit quondam, qua reſpondêre Lacones
Litera: & irato Regi placuere negantes.

Sed

Sed videtur allusisse ad sonum Græcum,& ad figuram nostram: exprobrat enim hoc illis Nigidius Figulus,qui nesciuerint figuram vnam inuenire,qua v,nostratis exprimerent sonum.

o,suis sibi à natalibus vsque figurã attulit, expressa pictáque oris rotunditate:sicut i,soni maximè exilis,excusso omni tumore,ac ventre, quã tenuitatem cum e, faciat pinguiusculam, iugulauimus obeliscis quibusdam:quorum sanè numerus potius seruiuit decori, quàm necessitati: sed aut duobus extremis satis efficere poterant sic, ꞓ: aut medio vno, sic, ⊦ : sed illa propius accedebat ad c,apud nos: hæc autem apud Græcos ad aspirationis notam. Nam quominus summo tantum essent contenti,in caussa fuit r,Græcis: quemadmodum Latini imo solo nequiuerunt esse contenti, propterea quòd eam figuram l,occupasset: placuit itaque ternis rostris faciem efficere pleniorem. Vsi autem antiqui sunt longiuscula forma,ipso i,describendo,cùm geminaretur: ídque decoris gratia,sic,*IuliI*. Huius cõsuetudinis literam longam vocat Plautus in aulularia.quam interpretes iccirco, pro l, sunt interpretati, quia Barbarorum vsu sic nunc scribimus.

b,item Græca est,sicut m, n, t, z, vel sono,vel figura:at c,ex dimidio Græca est: subtracta nanque columna ipsius κ, cuspis nuda remãsit,sic,∠: cui ad faciliorem scripturam angulum ademere. Sicut etiam ipsi Δ,quod fecere vt esset d sic ex Σ, creauere s, subducta basi, & angulo hebetato, vt non amplius Scythicum arcũ imitaretur:id quod notabat Athenæus ex priscis fabulis. sic ex Π,

quod abſcidiſſent de Π,finxere ipſum P.circuli e-nim quàm anguli ductus facilior:propterea quòd vnica linea vnico abſoluitur motu: at Angulus duobus lineis,ergo duobus motibus,igitur quiete interpoſita.hoc enim in naturalibus declaratū eſt.Poſtea cùm noſtrum hoc P, concurreret cum illorum litera,quamCaninam vocat Perſius,vt à noſtra diſtaret, caudam addidere, R: ſicut & ipſi C,ex quo cognatam effingerent G.atque eodem conſilio eidem addita alio modo cauda vt fieret Latina litera,qua Græci carent ſic, Q, quam po-ſtea in hunc modum clauſere. Q. Eſt etiam ratio, quare ſubdidiſſent caudam: deferendus enim ei ſemper comes ſuus fuit illi,ſic,QV.

Factum autem eſt, vt non ſolum Angulorum hebetatione,&virgularum additione,ademptione,Gręcas in vſum ſuum transferrent Latini,ſed etiam integras ſeruatas inuerſa figura reponerēt: nihil enim aliud eſt noſtrum L, quàm illorum Γ. quoniam illorum Λ, nimis prope eſſet ipſum A, cuius iugi deſcribēdi poſſent obliuiſci.ſimul turpe fore arbitrabantur, ſi vocalis nota plus egeret operæ,quàm conſonās: cum pronunciatio è ſimpliciori penderet poteſtate. Digamma quoque inuerſum Ⅎ, duplex eſt F. Quare non malè excogitauere,vt Ψ, Græcam exprimerent per antiſigma, Ↄ. neque quominus id reciperent, in cauſſa fuit,vt aiunt,ſoni mollitia,quam ipſum Ψ,repręſentat,noſtra PS,non aſſequuntur. nam quod argumētum adducunt,id eſt nullum. ἅρπαψ,quia facit,ἅρπαβος.eſt .n. vbi non faciat,σήψ, σηπός: quare quod officium præſtat illis, nobis nō denegaſſet.

Age

Age verò quid prohibuit, quominus illi aliqua figura exprimerent nostrum Q: nam qui à Romanis viuendi leges accepissent, etiam loquendi non negligerent. erat enim eis in promptu ἀντίκαππα, Ϡ. neque addere v, quod ne Latinis quidem fuerat necessarium. Nam quem sonum, ipsum Q, cum v, iunctum habet, potuit etiam seorsum, si attribuissent, per se obtinere. Ita etiam in *Angelo*, si non est N, in ἄγγελος, si non est Γ, geramus morem morosis istis, & antigamma statuamus sic Ⅎ. quod ipsummet sit hoc, quod neutrum illorum quiuit esse.

Acceperunt autem non solùm easdem eadem potestate, & figura, eodem vel inuerso situ, sed etiam & figura & situ eadem, potestate verò longe dissimili: vt X, quæ illis esset aspirata, nobis esset duplex: & quæ illis esset media simplex Γ, nobis esset aspirata geminatu F. Sed & vocalis notam ab Atheniensium institutis vsque repetiuimus ad aspirationem, cuius illi vsum inuertissent. H, enim nunc pro E, longa: olim pro aspiratione Attici posuere, ita etiam, vt insererent: quos Latini sunt secuti, *Hecaton*: etiam in medio, ΚΤΑΗΩΝ. quod ne nos quidem negleximus, *Prohoemium*. Quare postea semper tenuit consuetudo, vt centenarij numeri nota esset H. quod fuisset illius vocis initium. sicut apud nos, eadem ratione, C.

I, autem & V, consonantium figuras non excogitarunt. poterãt tamen sic fieri, Ⅎ, & V, nisi Æolicum illud mauis Ϝ.

CAPVT XLI.

Literarum notæ cum potestate numerorum signandorum, & Nominum.

FVit & cert⁹ vsus literarū, qui etsi ad potestates potius referendus est: tamen quia sine figura cognosci non potuit, huc, vt opinor, commodissime distulimus. Est autem duplex: quippe vel ad numeros digerendos, vel ad certa nomina indicanda. Igitur Vnum per I, signabant, quoniam minimo spatio esset virgula, sicut vnitas nullo: Ac repetebant sanè vnitates, ad Quinque vsque, quem numerum per V, describebant: non propterea quòd ea nota esset dimidium ipsius X, quo denarium designarent: neque icciro, quia olim scripserant QV, & postea Q, substulissent: sed quoniam esset quinta vocalis: cum qua repetitis, atque appositis vnitatibus, ducebantur ad numerum Denarium: quem icciro X, litera notauere, quia in numero atque ordine vulgari statim ipsum V, sequebatur. Quo consilio etiam Centenarium numerum cùm statuissent per C, sequenti elemento, scilicet D, Quingenarium deposuere. Ratio autem centenarij à prima litera ipsius nominis accepta fuit: sicut & Millenarij, per M. Quinquagenarij autem notam non à nomine, sed à Græcorum instituto excogitarunt: nam cùm illi per N, pingerent quinquaginta, prisci Latini, qui huius elementi loco ponerent identidem L, in hunc quoque vsum substituêre: & monuimus apud poëtam sic scriptum legi solitū à doctoribus, *Dant manibus famuli Nymphas.*

Sanè

Sanè verò Lymphas à Græco νύμφη ductum nemo negat.& τρίγλη, quasi τριγλύη, vt volũt. In nominibus quoq; designandis vsi sunt certis literis, iisque eorum primis: C. Caius: P. Publius: & inuersa, vt Ɔ, Caia diceretur. Ergo Publiam si legeremus, etiam inuerso q, scribendum fuit. Sed de his suo loco inter nominum rationes, ac prænominum disputatum est.

CAPVT XLII.

Potestas mutua quarundam cognatarum literarum, quas Græci vocant ἀντιστοίχους.

POstquam de communi omnium, deque singularum diximus potestate, nunc elementorum cognationem quãdam videamus. Proprium igitur est Nouem literarum, in quincunce, quasi dispositarum triplici serie, constitui: quas iccirco Græci ἀντίστοιχα appellarint, quia inter se mutua subirent sede. Nos elegantissime dicere vicarias possumus. Cognatæ vero, atque etiam coniugatæ rectè vocabuntur. Sunt tenues tres C, P, T: quibus addita aspiratio, totidem creat Græca prudentia, vnica sua quanque notula insignitas, Χ, Φ, Θ. Mediam autem inter C, & Χ, Græcam, habemus G. Itaque & ἀγκύρα, & Anchora, dictum est: & *Cneus*, & *Gneus*. Inter P, & Φ, fuit B. quare & βιστάκια, & φιστάκια, & πιστάκια dici consueuisse, prodidit Athenæus. Inter T, & Θ situm est D. iccirco ἐνταῦθα, & ἐνθαῦτα dicere Græci sine flagitio instituêre: & nos *Adque*, in *Atque* mutauimus. Quincunx igitur sic disponetur: Tenues tres, Mediæ sub his, imæ Aspiratæ. Vt quam

proportionem ipsæ inter se habent propter speciem, à qua tales dicuntur, eam habeant ad cognatas, propter affectionem. eiusdem enim speciei sunt C, P, T, P, B, Φ. quippe aspiratæ sunt semiuocales, tenues sunt mutæ, mediæ inter eas. at inter se habent proportionem affectionis, id est potestatis, quam Græci τὸ ἴδιον vocant. Has autem coniugationes quartus ordo etiam augebit. Nam quemadmodum tenues aspiratione mutabantur; ita per sibilum additum in alium ordinem transibunt. eo enim duplices euadunt, ex *Quincunx* C, & S, nostrum X: ex P, & S, Græca Ψ: ex T, & S, fieret aliqua pari exemplo: neque repugnat aut communi potestati pronuntiandi, aut Barbaræ Vasconum consuetudini, qui *Itse*, pro *Ipse*, pronunciant. Sed Matricem suam Græciam sicuti sunt Opici nostri: à quibus recipere vnà cum vocabulis quibusdam placuit vsum diuersæ duplicis, Z. Diuersæ sanè, propterea quòd & media cum sibilo iungitur, non aspirata: & postponitur illi, non anteponitur. Duplices igitur in suas compares soluuntur cum inflectuntur: *Faex, Faecis: Grex, Gregis:* σκὴψ, σκηπός; λὶψ, λιβός.

C	P	T
G	B	D
X	Φ	Θ
Ξ	Ψ	Z

CAPVT XLIII.

Natura quædam propria I, vocalis.

EST & natura quædam propria I, vocalis: Nam cùm cæteræ vocales ante vocales corripiantur (hoc effecit facilitas pronuntiationis, nihil enim moræ inter simplices hiatus inferebatur) vna tantùm obtinuit quadam quasi prærogatiua, certis vt locis Græcorum more produceretur,

tur, ἴονες, ἴομεν, δῖει. Id quod nõ penitus ſine ratione factum eſt: Multũ nãque tẽporis ponimus in exilis vocalis pronũciatu, propterea quòd flatus cũctabundus exit inter oris anguſtias: iccirco Græci in multis, Latini parcius produxere. Quemadmodum in verbo, *Fio:* quo in verbo veteres dum legem volunt conſtituere, errarunt: ſic enim dixere, Semper in eo produci I, niſi ſequatur E, vt in *Fierem:* Hoc enim falſum eſt: nam in futuro *Fiet*, item longa eſt: vbi enim eſſet multiſyllabum, multitudine ſyllabarum, vocalis breuitati quaſi ſupplementum miſêre. Sed illi perſtant in ſententia, adduntque, Non ſatis eſſe, vt E, ſequatur: ſed id quoque opus eſſe, vt E, ſequatur in prima perſona: at *Fies, Fiet*, non eſt in prima: verùm adhuc errant: nam *Fiemus*, prima eſt: itaque addere debuerant & id, Vt eſſet ſingularis. Sed ne ſic quoque procederet è ſententia: ita enim priſcos eſſe locutos conſtat, *Fiem.* Cuius rei argumentum habemus ex analogia ſecundæ, & tertiæ perſonæ, & præſto eſt Catonis autoritas: Qui ita & pronunciauit, & ſcriptum reliquit. Sicut & illa *Dicem, Faciem.* Eius enim vocalis ſonus cum infinitiui vocali coniunctus eſt, *Amabo, Amare: Docebo, Docere: Audibo, Audire:* ſic, *Dicere, Dicem: Fieri, Fiem.* Præterea, quam afferunt regulam, non bene exprimunt. ſic enim dicunt: Produci, niſi in ijs cuius perſona prima habebit E. at *Fierem*, eſt perſona prima, ipſa autem perſonam primam non habet. Poſtremò non eſt ratio hæc vlla, ſed obſeruatio: at obſeruatio neminem cogit,

ſed oſtendit, quid inuenerit. turpiter autem quidam recentiorum corripuere in *Fio*. In ſecundis autem caſibus pronominum quorundam & relatiuorum, quare corripiatur, in promptu ratio eſt, quippe ante vocalē: at quare producatur, ſicut ne aliarum quidem rerum, nullam cauſſam aſſignarunt, *Illius*, *Iſtius*, *Vtrius*, *Vnius*: quare eam ſic eruamus nos: Quæ ad hunc modum exeunt, non ita olim pronunciabantur: nam conſonans in multis, non vocalis reperietur, *Cuius*, *Eius*: ſic erat, *Ille*, *Illeius*: ſic quaſi diphthongus Græca remanſit, ac longa fuit. Ergo vir doctiſſimus Terentianus non fuit veritus producere in *Alterius*, cùm tamen cæteri corriperent. Neque enim verum eſt, quod aiunt, corripi propterea, quòd ſyllaba vna numeroſius ſit, quàm cætera eiuſmodi: neque enim eſt *Altrius*, quemadmodum *Vtrius*: ſed ſanè quomodo fuit *Vtereius*, ſic *Altereius*. Neque verò eorum ratio bona eſt: ſed vſus contentus fuit communi regula, vocalis ſequentis vocalem. Analogia autem etiam in cæteris conſtat. Nam ſecundus caſus, Poſſeſſiuus dictus eſt: Poſſeſſiuorum autem multa ſic inuenias, *Petreius*, *Luceius*, *Locutuleius*, à petra, luce, locutione. Quæ autem Græca ſunt, non ſolum diſyllaba, vt dixere, de *Chio*, *Dia*, ſed etiam multiſyllaba, vt *Sophia*, & *Ionium*. Theocritus enim illud produxit, in Syringa: hoc autem etiam omnes Latini. Nam quod addunt à Statio, Templa Lyciæ dabis: non facit ad præſentem obſeruationem; eſt enim λυκεῖος, cum diphthongo. Geminata

minata quoque, & in ſeipſum concreta, ſyllabam poteſt producere correptam, vt in decima ſatyra Iuuenalis:

Eloquio ſed vterque perit orator. eſſe enim debuit, periјt. Diuiſa contrà paſſa eſt moræ diuiſionem, *Mibi*, pro *Mi.* & interpoſita alio elemẽto, τὶ, *Tibi*: οἱ, *Sibi*: quemadmodum ſuprà diximus: *Ti*, enim, & *Si*, olim fuerant. Cuius rei argumento ſunt aliј caſus, *Tis*, *Te*, *Se*.

CAPVT XLIIII.

Proprietas quædam mutarum, & ſemiuocalium.

PRoprium mutarum, vt vocales natura correptas habeant, *Ab*, *Ad*, *At.* ſed c, variat: *Lac* enim longum eſt, ſic *Hîc*, aduerbium: *Hic* pronomen breue: & *Hoc*, apud Plautum, vt docuimus in libro de comicis dimenſionibus. Diſputant, an *Fac* breue ſit: verùm apud Plautum eundem in Curgulione longum eſt.

Sed grandiorem gradum ergo fac ad me obſecro. Altera enim eſt ſyllaba ſpondei. Sic etiam apud Ouidium in primo de Remedio:

Durius incedit: fac ambulet.–

Nam litigioſi Grammatici peruerterunt, cùm volunt deprauare, vt legatur, *Obambulet*: neſciunt enim quid ſit, obambulare. neque enim in vetuſtiſſimo codice aliter, quàm vulgò legitur: & ambulantem vult videri, ob vitium: nam obambulare nihil eſt neceſſe. Duo quæ afferunt argumenta, nulla ſunt. Primum ab exemplis, vbi corripitur: nam in illis *Face*, ſcriptum eſt, non *Fac*. Alterum ab analogia: nam ſi Apocope

in aliis non produxit vocalem, *Fer*, quod erat à *Fere*, ne in hoc quidem debuit. At enim non ſemper ſequitur nos proportio illa: vt in *Fio*, *Fies*, *Fierem*, eadem vocalis nunc longa, nunc breuis eſt: & vſus extorquet multa. Apocope quoque multa produxit breuia, cùm moram, quam ſubducebant ex conſonante ſubtracta, reponerent in vocali: *Pecus*, breuem habet finalem: *Pecu*, longam. Quare illi ijdem dedere manus, adducti Ouidij manifeſta autoritate, in primo de Arte:

Hos fac Armenios: hæc eſt Danaeïa proles.

Quanquam autem hæc eorum natura eſt, tamen alijs quoque competit, ſed vario ſanè euentu, *Mel*, *Vel*: *En*, *Nomen*: *Ver*, *Per*. M, ſemper corripitur. Sibilus varius eſt, *Suus*, *Suos*. Dicimus autem commodius nos, quàm veteres dicebant, mutas habere vocales breues: at illi aliter locuti ſunt, Mutas eſſe breues, duplices autem longas. Neque enim conſonantium affectio eſt, vel corripi, vel produci: ſed quarundam natura eſt, vt patiantur vocales corripi: duplicium autē efficere, vt illę producantur. Si enim conſonantes producerentur, aut corriperētur, nō egeremus vocalibus in pronunciatione: neque enim tenores, aut tempora in conſonantibus ſunt: z, enim producit, non eſt producta ipſa. Sic non rectè dixere liquidas eſſe breues: neque illa oratio proba eſt, Liquidæ breuem efficiunt ſyllabam. Nam quòd duplices longam faciunt, mora ac difficultas in cauſſa eſt: at liquidæ breuem facere non poſſunt: ſi enim poſſent, vbicunque pone-

ponerentur, facerent: hoc autem falsum est: sequitur enim tam L, quàm R, longas: vt, μῆλον, ἥρως. Sic duplices, aut duplicatæ, nõ producunt quamlibet syllabam: nam πῆξις priorem producit natura, non positione: sic, γλῶσσα. Non faciunt igitur vt sit breuis, sed permittunt, neque mutant: nullam igitur habent actionem: vt in *Patre*, nihil mutant, sed patiuntur talem tantámque esse, quanta fuerat in *Pater.* iccirco à Græcis & molles, & vdæ dictę sunt: at mollis non est agere, sed pati.

CAPVT XLV.

De aspirationis potestate secundùm loca.

INterest aspirationis omnibus interdum præponi vocalibus: vni autem Y, semper, nisi more Æolico: eam enim non aspirant, vt diximus. In medio autem inter A, E, I, O, Atheniensium imitatione, qui ΚΤΑΗΟΝ, scribebant. exempla sunt, *Hamus*, *Herus*, *Hio*, *Honor*, *Humus*: *Vaha*, *Vehemens*, *Mihi*, *Oho*. Præterea anteponi diphthongis omnibus, *Hau*, *Heu*, *Hei*, *Hæ*, *Hœdus*. Huius sonum me puero non audisses: nunc maximè obseruant literati: quidam etiam putidè. Indocti verò etiam locis non necessarijs, ita, vt latrare videantur: id quod irridebat in Artio Catullus poëta: cuius sales cum Politianus exultabundus iactat sese intellexisse, non est assecutus. neque enim satis est deprehendere aspirationes, quæ ibi tum essent ascriptæ: sed opus fuit cauto, ne lepidissimi poëtæ festiuitas refrigesceret. Nam quare, multa verba cum proposuisset, *Chommoda* & *Hinsidias*, clausit epigramma fluctibus potius Ionij maris, quàm

Adriatici? Sanè quia ab Ione cùm dicta esset tum regio, tum mare, factum est ab Arrio, vt ab hiatu, quem aspirando affectabat, Hionij dicerentur. Consonantibus tribus apponitur, quarum exempla sunt, *Chremes*, *Philippus*, *Thraso*. Non temerè autem dubitatum est à nobis olim, vtrum R, ab aspiratione antecedatur vocalium more, an antecedat eam ritu consonantium. Ratio dubitandi fuit: nam cùm aspirationis loco ponebant, B, præponebant ipsi R, vt *Bretor:* ergo si vices gerit, videtur etiam locum vindicare. Præterea R, nulli consonantium præponi potest: ergo neque ei, quæ consonantis habetur loco. Sanè verò aspiratio ante vocales statuitur, neque valde differt ab Æolico elemento. Potest & illud augere dubitationem: excogitaturos fuisse Græcos aliquam notam, qua concretam aspirationis & illius literæ significarent potestatem, sicut cum complexi sunt, alia tria, Θ, X, Φ. Sed notula imposita ipsi R, ostenderunt eundẽ vsum aspirationis in eo fuisse, qui & in vocalibus intelligeretur. Contra tamen Latini etiam in vetustis monumentis postposuere. Caussa aspirandi fuit soni volubilitas, atque vibratio, vt dicebamus. In omni autem vibratione recipitur aër per interualla: quare intra ipsum potius elementum aspiratio ipsa, quàm præposita percipiatur. Latini autem spreuere illam asperitatem. Nam quemadmodum extra ipsum R, eam deprehendas, aëris crassitiem? geminetur enim, quod apud Græcos fit, non possis præponere sic, *Pyfrrus*. sed si postponas sic *Pyrfrus*, non poti us videare

videare priorem literam, quàm posteriorem onerare. Quidam minus ſapienter etiam *Romam* aſpirant, cùm tamen Romani ipſi de ſuo R, omnẽ exemerint vſum aſpirationis. Stultius autem, qui etiam *Renum* fluuium: neque enim Germani ei elemento apponunt flatum vllum: Leniſſime enim ſua lingua pronunciant, iudicem, & annulum, & equum, & alia. neque par eſt nobiliſſimæ gentis fluuium à Græculis rationem nominis accepiſſe: ſed qua nunc voce pruinam appellant, fortaſſe aquam omnem gelidam, atque inde etiã Renum nominarint. In φρȣ̃δος autem & φροίμιον videris quemadmodum prȩponatur ipſi R, fuit enim πρὸ ὁδȣ̃.

Richter, Ring, Roſz, Riff.

CAPVT XLVI.

De modo, ac ratione ſcribendi.

POſtquam literarum originem, numerũ cauſſas, atque vſum contemplati ſumus: intereſt veri philoſophi illud quoque indagare, vter ſit modus naturæ propior in ſcribendo: iſne, quem Hebræi ſequuntur, à dextra noſtra in ſiniſtram introrſum: an noſter, qui à ſiniſtra in dextram extrorſum excurrit: eſt enim motus vna ex cauſſis literarum: quare motus ipſius ratio ſiue modus literarum quoque generationis erit affectio. Atque illi quidem tuentur ſe mundi origine, quaſi cum naturæ legibus omnia inſtituta ſua tum incorrupta nacti ſint. Cæterum hoc nihil iuuerit eos: quippe multarum artium inuẽta poſt illa rudimenta emerſere. quare conſulto factum ſit, vt multis cum aliis eorùm legibus, hoc quoque ſit

emēdatum: atque iccirco à rationibus deducenda ſint conſilia huius conſuetudinis. Poterūt afferre, motū cœli eſſe à dextro in ſiniſtrum: atque ita eorum tractū in ſcribēdo cœleſtē motū imitari: à dextro.n.in ſiniſtrū ducunt. Huic rei ſumma cura certis in locis reſpondimus: & in libris de Cœlo, &in Commentariis de inſomniis. Cœlum neque dextrum habere, neque ſiniſtrum. Ad hæc multæ ſunt rationes, quibus peruerſè ſcribere arguuntur. Principio motus manus naturalis extrorſum eſt. quies enim intus ad pectus & oculos in fœtu. igitur primus motus extrorſum explicatur. quare pugna quoque ſic cietur, & cætera opera, extento brachio, nō retracto. Præterea nobis relinquitur ſub oculis ad contemplandum, quid, quantúmque deſcriptum ſit: quod illis calamo ac manu tegitur. item in dextrum humerum conuerſa facie ſunt ſtatuæ, atque imagines: ſic enim & creditæ ſunt opus ſuum reſpicere, & contra hoſtem ſtare; quare Aquilarum roſtra in ſignis ad eam quoque partem picta fuere. Ergo obtutus noſter ſuapte natura plus dextrorſum verſum fertur. Illud verò argumentum inuictum eſt, eos ipſos inter ſcribendum literarum ipſarum virgulas ac lineas directas aut tranſuerſas à ſiniſtra inchoatas, in dextram deſinentes terminaré. Quæ igitur partis ratio, eadem etiam ſit totius: & quemadmodum linearum tractus, ita literarum quoque ordo ſeruandus erit. Sed textrinam prius inuenit gēs illa, quàm ſcripturá. Textores enim tramæ primum filum introrſum iaciunt, id autem coacti, non natura: quoniam dextra

dextra manu cum incipiunt, & ſiniſtræ operam viciſſim petunt, ſic motus fuit auſpicandus. Verùm iidem ipſi, vbi cætero operæ naturæ legibus ad mouendum libere vti poſſunt, poliúntque telas, aut pannos, aut ſepum inducunt, & furfures: tum verò extrorſum verſus à ſiniſtra in dextram, iure ſuo vt fruatur manus in excurſum, faciunt.

CAPVT XLVII.

Elementorum affectus ad principia ſyllabæ conſtituendæ.

HActenus quæ cuiuſque eſſet natura literæ, viſum eſt: Nunc antequam de ſyllaba dicimus, explicanda eſt earundem ratio, quam ad ſyllabam ipſam conſtituendam inire debeamus. Conſonãtibus igitur conuenit omnibus dictiones inchoare, atque etiam terminare, præter G, Q, Z: his enim nulla præfinitur. nam confeſſum eſt VESPERVG, ita ſcriptum eſſe, ſicut PONT. MAX. item FORTITVD. ſicut TERT. & EXERCIT. De P, non oportet dubitare: *Volup.* enim & apud Ennium, & apud Plautum etiam nunc quibuſdam verſibus extantibus de ſeipſo facit fidem. Vocales autem æquè omnes, & inchoant, & claudunt, *Ama, Ede, Oro, Iui, Vſu.* Item diphthongi, *Æneas, Oebalia, Eidus, Euge, Aurum:* & claudere, *Vœ, Euœ, Hei, Hau, Heu.* Vocalis vna Grȩca ab initiis excluſa fuit ſine aſpiratione, niſi more Æolico, Y. A duabus conſonantibus poteſt incipere, ſicut à duabus vocalibus, vt *Cras:* ſed etiam à tribus, vbi ſunt liquidæ cum C, P, T, ſibilo præcedente, *Sclopus,*

Scrupus, *Splendor*, *Spretus*, *Stlatum*, *Strepitus*. & apud Græcos etiam addita aſpiratione, σφραγὶς. In duas poſſunt deſinere, *Hyems*. & in tres, *Stirps*. Quarum quædam iam ſunt declarata. ſed hic per concluſionem quãdam collecta ſint pro principiis ſyllabarum, more Peripatetico.

IVLII CAESARIS SCALIGERI
DE CAVSIS LINGVÆ LATINÆ, LIBER SECVNDVS.

CAPVT XLVIII.

Quæ ſit forma ſyllabæ, quæ materia.

QVEMADMODVM ex elementis primis quatuor naturalibus in vnum coaleſcentibus fit id, quod miſtum dicimus, & ex puncto fit linea: ita ex literarum conſtitutione id confieri dixere, quod ab ea cõprehenſione συλλαβὴν Greci vocant: quam ob cauſſam etiam ſic definiuere: Syllaba eſt cõprehenſio literarum ſub vno accentu, & vno ſpiritu indiſtanter prolata. Quam definitionem & falſam eſſe, & eius partes malè cohærere oſtendamus. Nam ſicut litera ipſa eſt quiddam indiuiſibile, non autem priuatio diui-

ſionis:

ſionis:ita ſyllaba erit quiddam diuiſibile,non autem ipſarum partium comprehenſio: atque id ex eo manifeſtum eſt,cùm dicunt,ſyllabam ex binis aut pluribus literis cõflari: at comprehenſio non diuiditur in literas: neque enim vnio materiæ & formæ corpus ipſum eſt. Male etiam dixere prolatam:accidit enim ſyllabæ proferri: poteſt enim & ſcribi, & in mente reponi ipſa:quare ita dicant rectè, Quæ proferri poſſit. Tertius error ex his manifeſtus eſt : nam ſi ſub vno accentu eſt,erit & ſub vno ſpiritu, & ſine interuallo: ſuum enim quæque ſyllaba accentum habet: vacant igitur hæc. Poſtremò peſſimo conſilio putarunt omnẽ ſyllabam multis concreſcere elementis: accidit enim huic rei, quam ſyllabam appellant, numerus elementorum. Si enim eſſet eſſentia ſyllabæ, ergo ſubſtantia reciperet intentionem & remiſſionem:hoc autem falſum eſt: atque hac ratione, ſyllaba hæc *Stirps*, eſſet magis ſyllaba,quàm hæc, *Ab*: at maior eſt per quantitatem, non autem magis per ſubſtantiam. Nam quod aiunt monogrammatas vocales, non eſſe veras ſyllabas,ridiculum eſt.Quid igitur ſint? Imò verò veriſſimè ſunt hoc,quod falſò nomine ſyllabæ vocãt: quoniã & priores ſunt,& ſimpliciores, & hoc ipſum ſunt, quod aliis communicant literis. Syllabæ igitur nomen falſum eſt,atque aliud quærendum: vtemur tamen vſitato vt intelligamur:definietur autem ſic, Syllaba eſt elementum ſub accentu. Itaque & materiam habebis, & formam: eſt enim elementum materia: id autem per quod accentum poteſt ſuſcipere,forma.

Accidit autem numerus elementorum syllabæ, sicut plantis foliorum & ramorum, & radicum, & fibrarum. Nam animalibus quoque satis est, si vnum instrumentum habeant sentiendi: neque enim desinunt esse animalia. Itaque si animal definias, falsò apponas, pluribus constitui. Hoc autem quod dicimus accidere, aut sit quod Græci proprium vocant, aut esto etiam differentia species certas distinguens in rebus naturalibus: at in syllaba DE, nulla forma est separans eam ab hac syllaba, E: sed pars illa tantùm materialis scilicet, D, accidens ipsi E. Numerus autem est, à singulis ad senas vsque, A, *Ab*, *Abs*, *Mars*, *Stans*, *Stirps*, αἰχρεῖ: dempta enim diphthongo tot remanent. Germanis etiam longè maior. Intelligo autem nunc diphthongorum vocales numero notularum, non sono separatas. Aut igitur sola vocalis est: aut cum alia, vt in diphthongo: aut cõsonantem vnicam præcedens, *Ab*: aut duas, *Abs*: aut tres, *Stirps*: aut vnam sequens, *Da*: aut duas, *Draco*: aut tres, *Strenna*. Quare licet non admiserit vsus, tamen quantum earum natura fert, octo esse literarum potest syllaba: siquidem trinis obsideri consonantibus diphthongi sonus patitur. Eam tamen asperitatem mitiorem fecit vsus, exhilarata tristitia confragosæ pronunciationis: vt alternis, si tres præcederent consonantes, duæ subirent. & è contrario.

Schräpts.

CAPVT XLIX.

Consonans, quæ inter duas vocales est vtri applicetur.

PRiore libro de Systasi & Diastasi diximus: vt literarum mutuam cognationem, quæ pars erat

erat poteſtatis, intelligeremus. Nũc verò videndum eſt, quod & veteres diſputarunt, ad vtram ſyllabam conſtituendam comparetur conſonans, quæ inter duas vocales ſita ſit. Ac Herodianus quidem ita ſenſit, qualemcunque vocalem hærere pręcedenti conſonanti: ſi dictio inueniatur, ab eadem incipiens conſonante. nõ quòd hoc illius cauſſa ſit: ſed quia per hoc illud cognoſcatur. vt in verbo *Fero*, quod biſyllabum ſit, R, poſterioris vocalis eſſe, non prioris: idémque in compoſitis debere obſeruari. Nam quanquam ex *Ab*, & *Actus*, componitur *Abactus*, tamen vbi duo hæc in vnum conuenere, B, coire cum A, ſequenti in ſyllabam, non cum præcedenti. Sed aduerſus hanc ſententiam ſic argumentantur: in *Abigo*, ſi B, accedit ad ſecundam vocalem, ibi prima non poterit corripi, propterea quòd iam ſit A, præpoſitio, quæ ſemper & vbique longa eſt. Item in *Circumago*, nõ fieret eliſio ipſius M, ſi ſequenti applicaretur: prætetea in *Abhinc*, & *Adhuc*, B, & C, aſpirarentur. id quod eſt abſurdum, ac nuſquam receptum. In eandem ſententiam videtur incliare Quintilianus, atque in vocibus compoſitis ſyllabas diuidere pro modo partium, in *Aruſpice*, & *Abſtemio*. Vt has rationes ſoluamus, animaduertendum eſt, cùm ex duabus vocibus vna fit, non accentum ſolùm, ſed literarum quoque exigi cohærentiam: neque enim ita pronuncies, *Abactus*, compoſitum, vt *Ab*, *Actus*, diſiuncta. quanam igitur pronunciatione efficietur, vt B, à ſequenti vocali ſubtrahatur? Ad hæc, ſi pituita à petendo vitam du-

catur,nisi cohæreat T, cum V, semper sit V, consonans:at non est. Sic in hac voce,*Etiam*, duæ essent syllabæ, *Et*, *Iam*: est enim consonans I, in *Iam*: sed pronunciationis tractus cogit nos elementa coniungere. Postremò, eorum regula hæc est,& vera: Nulla syllaba aspiratione terminatur. Igitur in his vocibus, πρωθύστερον,& ἄχιπ-πος,apud Lycophronem, & ἐφίππιον, quid comminiscentur? aut enim in aspiratam desinet prima syllaba, aut id fiet, quod nos censemus. Nam argumenta illa omnia ridicula sunt: ac primum quidem putidum. Nam in *Abigo*,licet B,subtrahatur pronunciatione, non tamen est A, præpositio,sed vocalis ipsius *Ab*, non enim propter B, fit A,aut longum, aut breue, sed vsus autoritate: neque enim fieret vnum cõpositione: sed fit tamen:quare quam quisque potest,sedem occupat. Neque verò dicamus, quòd is, qui ita corrupit versum Ouidianum,

Siue quis Antilochum narrabat à Memnone victũ.

quanquam in compositione,si velim pertinacius cauillari, ostendam in voce hac *Amarum*, etiam corripi, si illorum ἔτυμον sequamur. quoniam à *Mari*,venit. Alterum argumentum sic diluimus,auferri M,in *Circumago*,quia subiẽs vocalis non patiatur. nõ tolli autem,si nolis. vt apud Enniũ, *Tũ delecta virûm sunt millia militũ octo.* quod & in *Comitio*, manifestum est. Postremum argumentum aduersus nos non est. Negamus enim hoc, semper postremam consonantem accedere ad subeuntem vocalem: sed id tantummodo euenire,cùm eiusdem initij reperitur,vt diximus,

mus,vox. Quare cum nulla vox à B, incipiat aſpirato, diſiunctis ſedibus hęc duo inter ſe erunt. Sicut in *Adbibere*, nemo noſtrum dicat prępoſitionis conſonantem, cum initio verbi coniungi: impeditur enim. Hoc igitur impedimentum etiam ab ipſa aſpiratione allatum eſt.

Ex his ſequitur, in ſimplicibus tantùm, ſi ſyllaba incipiat à vocali, neceſſe eſſe etiam præcedentem vocali terminari. In compoſitis autem non neceſſariò: *Comitium*, *Coeo*.

Item quemadmodum ſyllabarum initia à vocum initijs menſurantur: ita & fines à finibus. Quare in voce hac *Isthic*, debet etiam eſſe aſpiratio, quam, malè faciunt, cùm omittunt recentiores. Cùm enim reperiatur ſimilis literarum ſocietas in verbo *Eſt*, potuit prima ſyllaba eſſe *Iſt*, poſtrema *Hic*: at in verbo *Illic*, non potuit: propterea quod nulla vox in eandem deſinit geminatam, neque ab eadem geminata vlla incipit.

Illud quoque hinc conſtat, in quamuis vocalem deſinere ſyllabam poſſe, quauis ſequente cōſonante. Itémque ſyllabam non finalem quamlibet conſonante terminari, quæ geminetur. quòd ſi duę diuerſę ſint, in F, G, P, S, nequeunt deſinere. His enim nō finitur ſyllaba, niſi geminatis. Quòd autem etiam addidere, B, & T, errarunt, *Abnuo*, *Atque*, *Abſeco*, *Ætna*. In Q, nullam terminari verum eſt, quia V, habeat comitem: Sed in C, non eſt verum, *Ecbaſis*, *Ecquis*, *Ecdoſis*, *Pyracmon*. Quòd autem addiderunt exemplum *Acne*, falſum eſt. Sed C, tranſit cum N, ad finalem voca-

le:quia dicimus, *Cneus*, *Cnidus*. Sicut & illud errarunt idem in *Actus:* dicimus enim *Ctesipho*. In D, autem desinit sequentibus ferè omnibus, si antiquorum more maneat incolumis in compositione, *Adbibo*, *Adcurro*, & reliqua. In L, desinit, cùm mutæ sequuntur, *Album*, *Calcar*, *Caldus*, *Algeo*, *Alpes*, *Altus*. & ante semiuocales, excepta R, *Calfacio*, *Almon*, *Alnus*, *Alsiosus*. & consonantes duas, *Aluus*, *Saliunca*. Eandem proportionem nactum est R, *Arbor*, *Arcus*, *Ardeo*, *Argus*, *Arpi*, *Artus*. Item ante semiuocales, etiam ipso L, vicissim non excluso, *Arferia*, *Arma*, *Arnus*, *Arsus*, *Perlego*. & vtranque consonantem, *Peruicax*, *Periurus*. etiam ante ipsum Q, *Arquites*.

In H, nisi per Apocopen syllabam exire negarunt. *Ah*, *Vah*. fuisse enim *Aha*, *Vaha*. & verisimile fit ita factum esse: sæpe enim dolentes etiam nunc sic geminatum pronunciamus.

In M, si sequatur B, P, *Ambo*, *Amputo*.

In N, subeunte C, D, F, G, Q, S, T. *Ancon*, *Andes*, *Anfractus*, *Angerona*, *Anquiro*, *Ansanctus*, *Antes*. & more veterum ante R, *Conrugo*. & in paucis ante duplices duas, *Anxur*, *Zinziber*.

His rationibus deduci potest, syllabam terminari posse quauis consonante, cuius natura sit apta geminari.

Item constat, veteres ea sententia falsos esse, s, syllabam finiri ante C, in *Abscondo:* etenim *Scalam*, dicimus. Neque verum esse, in x, desinere syl-

labam

labam ſequente vocali,quippe diximus:*Xenia:* & *Anxur*,eorum ſententiam iugulat.

Omnis autem litera pręcedens I,aut V,conſonantes, neceſſariò ſyllabam terminat, ſi eas conſonantes aliæ ſequantur vocales: vt *Cuius*, *Periurus*, *Aduolo*, *Cauum*. Nam in *Cui*, & *Huic*,nulla ſequitur vocalis. Item ſi ipſa geminetur, *Maila*.

In X,autem deſinit ſyllaba præcedens C,& cõparem ſuam,Q,& P,& T,*Excurro*,*Exquiro*,*Expono*,*Extendo*.item L,*Exlex*.

Z,ſemper initium ſyllabę facit,nũquam finem.

Nulla diphthongus in duas deſinit conſonantes: non quòd eius natura repugnet, vt diximus: ſed quia vſus ſic obtinuit. Duplici enim poteſt terminari,*Faex*,*Faux*.

CAPVT L.

Syllabarum affectus.

QVoniam ſyllabarum ſubſtantia partim ex materia fit, quæ ſunt literæ ipſæ: partim ex forma, quæ eſt ipſa natura recipiendi pronunciationem in partem dictionis: ſyllaba iccirco affectus quoſdam nacta eſt ſecundùm materiam, vt numerum elementorum: alios autem ſecũdùm formam,vt tenorem,ſpiritum, tempus. De numero igitur primùm diximus: materia enim quàm forma prior. De numeri autem affectionibus nunc.

CAPVT LI.

Syllabæ præpositio, geminatio, appositio, interpositio, ablatio, extritio, abscißio, transpositio.

CVm igitur ab singulis ad senas literas syllaba augeatur: quibus affectibus eius partes obiectæ sunt, ijsdem etiam ipsa agitata est. Nam quemadmodum præponebantur elementa, sic & syllabæ, *Durus*, *Edurus*. Interponuntur, *Imperator*, *Induperator*. Apponuntur, *Videri*, *Viderier*, Hoc autem amplius, quòd ab nullo geminato elemento incipiebat vox: at incipit à syllaba geminata, *Pupugi*. In nullum geminatum desinebat: at in geminatum desinit *Scindidi*. Contrà, Elementa in medio geminabantur, syllaba autem nulla: vicissim quoque aufertur, vt apud Virgilium,

Inter se coisse viros, & cernere ferro. pro, *decernere:* sic enim legunt, Abscinditur, *Vaha*, pro *Vah.* & apud Homerum, δῶ, κρῖ, λίπα, pro δῶμα, κριθὴ, λιπαρὸν. quod & lusit in poëmatio monosyllaborum doctissimus Ausonius. Exteritur è medio *Deûm*, pro *Deorum*. Transponuntur, *Queibam*, & *Adeibam*: quod *Adiebam*, & *Quiebam* fuit postea. Mutari verò syllabas vt elementa, omnino constat ex eo, quòd vocales mutantur ipsæ: quare syllabam ipsam mutari necesse est. Ac quemadmodum ex vna litera duæ fiunt, *Mihi*, ex eo quod erat, *Mi*, & contrà: ita euenit syllabis quoque, *Aquai*, *Aquaï*. *Cui*, *Cuï*. è contrario apud Varronem,

Et te flagranti deiectum fulmine Phathon. Et sicuti quædam ex elementis semper præponuntur, vt z, &

z,& v, consonans,& Q: nunquam postponuntur: Alia è contrario postponuntur semper, vt, v, quando neque consonans neque vocalis: est nonnulla sine discrimine vtranlibet sortiuntur sedem: ita syllabæ quoque, quæ ex illis sunt constitutæ.

CAPVT LII.

Affectiones à forma syllabarum. Accentus.

QVæ verò syllabæ accidunt propter formam per quam syllaba hoc est, quod est: ea sub accentus appellatione, tripartita diuisione complexi sunt: Tenore, Spiritu, Tempore. Hoc igitur loco, quid sit Accentus, quoque modo hæc contineat, videamus. *Canere* Latini ab hiatu dixere, Græca voce ἔχανον: nam Æoles ab eo quod est χαίνειν, non apponunt incremēta præteritis, sed dicunt χάνον, demuntque aspirationes, quasi rem Barbaram. Est autem *canere*, vocem modulis certis tollere, aut premere: certisque tēporibus producere, aut corripere. Id quod cū in pronunciando necessario eueniat, quibus legibus syllabas moderaremur, eas leges Accentiones, Accentus, Accentiunculas, Moderamēta, Voculationes Latini vocarunt, Græcos imitati, qui eadem de caussa προσῳδίας nominabant. Cùm igitur vocem quantitate metiamur, & syllaba in voce sit, vt in subiecta materia, & quantitas triplici dimensione constituatur, Longa, Lata Alta: necessariò syllaba quoque iisdem rationibus affecta erit, vt *Leuatio* aut *Pressio* in altitudine: *Afflatio* aut *Attenuatio* in latitudine: *Tra-*

ctus in longitudine ſit. Hæc igitur tria interdum vni eidémq; ſyllabæ aliter atque aliter cùm poſſint contingere, videmus eandem longam aliquando circunflexo, aliquando acuto inſigniri: alteram verò nunc tenuem, nunc *aſpiratam:* non poteſt fieri, quod quidam profeſſi ſunt, Accentum eſſe modum quantitatis ſyllabarum: vnã enim tantùm vim ex tribus complexi ſunt. Sed nos ſic definiemus, Modus ſyllabæ. Intelligo nũc modum, quod Vitruuius & Horatius Modulum, id eſt, menſuram propoſitæ rei.

CAPVT LIII.

Quomodo diſtinguantur inter ſe tria membra diuiſionis, & Tenorum ratio.

MOdi igitur ſyllabæ tot ſunt, quot dimenſiones: Altitudo, Latitudo, Longitudo. Quare falſi ſunt veteres, qui Accentum ſyllabæ qualitatem definiuere. Graue enim & leue in Elementis primarium eſt. Inde tranſlata ratio eorũ ad dimenſiones quantitatum, propterea quòd locus ſit ſuperficies ambiens locatum: motus autem fiat in loco: graue & leue ratione & motus & locorũ dicatur. Igitur in voce quæ eſſet affectio aëris, inuentæ ſunt rationes quantitatis, ſecundum aëris dimenſiones: ídque mathematicis lineis deprehenſum eſt: nam altitudinis ratio eſt linea perpendicularis. Iccirco cùm vocem tolleremus, ea linea ſignata eſt. Sed cum eadem linea ſecundum ſuperiorem partem indicet altum, ſecundum inferiorem notet profundum: faciendum fuit, vt leuatio vocis diuerſam notulam haberet, à de-

à depreſſione. itaque excogitarunt virgulam aſcendentem, eo tractu quo ſcriberemus, in dexteram ſilicet noſtri partem ſic, / . quæ autem depreſſam indicaret, quaſi caderet cõtrario ſitu, \. Cadit enim manus noſtra cum pingimus eam. Atque hanc quidem ſuo nomini reliquere, Grauémque appellarunt, ab inſtrumentis ſcilicet vocis: propterea quòd in guttur, aut pectus eam demitteremus. Alteram autem priorem illam ab effectu potius nominarunt, Acutam: ferit enim aures, quarum viribus obiecta eſt: ac ſanè plus ponas ſpiritus latioris in graui voce, anguſtioris autẽ in acuta. Quare & pueri acutius canunt, quorum guttur anguſtius eſt: & latiora, craſſioráque inſtrumenta grauius ſonant: vt etiam ab illis grauem ſonum dixerit Pythagoras. Ita omnibus in rebus certiſſima ratione ſibi ipſa reſpondet natura. Euenit autem vt duæ ſyllabæ inter ſe concurrerent, quarum prior priorem haberet, id eſt Acutum: altera poſteriorem, id eſt Grauem: quare eę cùm coaleſcerent, concreuerũt in vnum etiam ipſi apices, ſic; ^. quem Græci cum περισπώμενον dixere, abuſi ſunt licentia inuentionis: neque enim circũtractus fuit, ſed συνεσπώμενον rectius nominaſſent. Noſtri quoque Circunflexum cùm appellarunt, ad celeritatem potius pingentis manus reſpexere, quæ vnico motu virgulam arcuatam fecit, angulo dempto ſic, ⌒.

Hos omnes Græci τόνους, vocauere, tranſlata ratione à fidibus, quarum intentione aut remiſſione acutior grauiórve redderetur vox. Inde nos Tenores, propterea quòd noſtrum tenere inde

duxiſſemus, ſcilicet παρὰ τὸ τείνειν nam quod nixu quodam arceremus, id beneficio τῶν τενόντων fieret: & tranſlata fuit ſignificatio ab helcyariis, & aurigis currus inhibentibus: item militibus prædam diuidentibus. Hoc potes etiam percipere ex maximi poëtę Oppiani piſcatione quadam, atque ante eum ex Theocrito: quorum verſibus trahentium tenentiúmque nixu primarij nerui τένοντες extantes declarantur.

Si igitur Latum à Longo, & vtrunque ab Alto diſtinguitur ſpecię, ſpecie quoque Tenores à ſpiritibus, & à temporibus diſtinguentur. Verùm non ita eſt: perpendicularis enim linea à duabus tranſuerſis decuſſatis non diſtat ſpecie. Sed in corpore quadrato mobili eadem linea nunc latitudinis, nunc altitudinis, nunc longitudinis erit: neque enim differunt, niſi accidente. Id quod ſanè pertinet ad Metaphyſicũ: & tactum eſt à nobis atque explicatum in quarto hiſtoriarum de animalibus.

CAPVT LIIII.

Spiritus.

Alter ſyllabæ dimenſus eſt Latitudo, ſecundum quam ſyllaba eſt aut Craſſa, aut Tenuis. nam præterquam aut producas aut tollas vocem, dilatare ſpiritum potes, atque addere vel vocalibus, vel conſonantibus. In tenui autem pronunciatione minus exit ſpiritus, nam & hoc errarunt veteres, cùm in tenui negarunt ſpiritum eſſe: ſine ſpiritu enim non eſſe vocem in quarto hiſtoriarũ, & in ſecundo de anima declarauimus:

Nullum

Nullum enim animal pulmone carens, vocale eſt: ſed ſonum emittere aliis inſtrumentis conſtat. Iccirco ψιλὴν, Græci vim illam vocauere, noſtri leuem: propterea quòd craſſum in corporibus videretur eſſe graue: & lene, quia facilius laberetur. Hoc quoque ex philoſophia depromptum eſt. Nam corpora latiora, vt laminæ plumbeæ, diutius fluitant in aqua: breuiora autem citius euadunt ad fundum. At eadem ratio eſt corporum grauium ad deſcendendum, & leuium ad aſcendendum: Nebula enim anguſtior citius aſcendet: ſic & ſpiritus præterfluit commodius fauces, quò eſt arctiore ſuperficie. Qui ſtudent voculis mutandis, maluere dicere Læuigationem, malè: neque enim ipſa ψιλὴ læuigat vocalem, ſed nota eſt vocalis læuigatæ. Catullus autem eo, quo diximus, epigrammate vtrunque coniunxit,

Audibant eadem hac leniter, & leniter.

Alteram Græci δασεῖαν, noſtri Denſam: ſtipatur enim ſpiritus vberior ac frequentior inter fauces: itaque & Craſſam, & Flatilem vocauere. Nam Aſpirantem æquè perperam, atque illam læuigantem. Atque olim quidem tum apud Athenienſes, tum apud nos, ſola craſſa notã, quam ſuprà diximus habuit, H, quæ in ordine literarum poneretur: vbi autem deeſſet ea vis, is defectus, defectu quoque notulæ ſignaretur. Poſtea verò vſus obtinuit, vt ſecta hæc litera, aſpirandi notam exhiberet dextra ſui parte ſic, ⊢: ſiniſtra autẽ; quæ contraria eſſet, contrariam quoque ſignaret ſic, ⊣. Neque iam inter literas, ſed tanquam apex

literis imponeretur. Mox ad celiorem motũ anguli illi, vt in aliis multis hebetati, reductęq; notulæ in cõpares semicirculos dextrũ læuúmque sic, c, ɔ. Quæremus autem & hoc veteribus indiscussum: propriáne hęc affectio sit vocalium: an etiam communis consonantibus: videtur enim coaluisse cum τ, in Θ, & cum aliis duabus. Verùm in libro superiore: ne omnia turbaremus, secuti sumus priscorum simplicitatem. At hic exactius interest philosophi cõtẽplari haud ita esse: flatus enim crassitudo antecedit vocalem, non sequitur: sic, ὕστερον. ergo cùm pręponitur consonans ad compositionem, idem flatus eiusdem elemẽti est, πρωθύστερον: non autẽ consonantis, nisi quatenus ex ea & aspirata vocali vna syllaba fit.

CAPVT LV.

De tempore.

SYllabæ moram maiorem minorémve longitudinis linea dimetimur: productione enim vocis cõparatur. Itaque tardi sermonis aut citi dicimus hominem. Iccirco cui syllabæ plus impenderẽt temporis, eam Longam dixere: cui minus, Breuem: vtrunque autem sub quantitatis ratione continetur: sed ita, vt inter se referantur, atque relatione sint contraria, sicut magnum & paruum. Iccirco vno pluribúsve temporibus cõstitutas, dixere syllabas. At omne tempus quantum. Sed de numero videndum est. Antiqui sic dixere: lõgam constare duobus temporibus, breuem vno tempore. Sanè rectè: cùm enim syllaba breuis prior sit & natura & tempore, quàm longa; ita eius mensuram agnouere, vt vnũ tempus

dice-

dicerent: quod tempus cùm protraherent ad alterum tantùm, non immerito & longitudinis additione, & geminatione tractus metiti sunt. Itaque figura quoque longæ transuersa linea signata est sic, -. Breuis autem dimidio tantum erat explicanda: sed inter scribendum excurrentis interdũ manus error fallere potuisset: quare eò deuentum est, vt notula, quę circunflexo aduersaretur, aduersam quoque ei figuram haberet, sic, ᴗ. propterea quòd non nisi longa syllaba circunflectatur.

CAPVT LVI.

Non esse plures accentus, quàm quot dicti sunt.

CVm igitur syllabas non nisi prędictis modis tribus dimetiamur, non nisi accentus septem erunt: quorũ Primus extrema duo, medium habet vnum: Alter duo extrema tantum, sine medio: ac Tertius eiusdem modi est. Iccirco erat aliquid, quod dubitaremus. Etenim relatiua si carẽt medio, graue & acutum, quo modo medium habuere circunflexum? aut si inter ea hoc fuit: quare inter tenuitatem & aspirationem non fuit, quæ erant contraria per positionem? In vtroque enim exit spiritus: quare etiam mediocris potuit. Ac de longa quidem ac breui mora iam suprà dictum est, quemadmodum in musicis, ita in syllabis certa ratione alia atque alia, plus minúsve morę poni. Nã si lõga sit natura, & subeat duplex, aut duplicata, vt τῆξις, γλῶσσα, videtur in ea plus poni temporis, quàm si simplex consonans sequatur. Itaque etsi longum breuéque ratione cõparationis medio carent: ipsæ tamen quantitates

in quibus ſitæ ſunt relationes, poſſunt magnitudine addita, aut dempta, medium recipere. Omnis enim quantitas apta nata eſt fieri vel maior, vel minor, quatenus quantitas eſt. Dico autem ſecundum rationem quantitatis, propterea quòd corpora ratione ſubſtantiæ eius affectus immunia ſunt. eſt enim maior homo, vt eſt quantus, nó vt eſt homo. Sic inter aſpirationem extremam & extremam exilitatem ſpiritus ſiue nuditatem aliquod fuit medium: Vt inter T, & Θ, fuit D, & alia quæ ſuprà diximus. Id quod manifeſtum eſt, ſi idiomata ipſa comparentur: nanque Arabes aſpirãt ſuum D: & Græcum X, ſi ad Hebraicum comparetur, non iam ſit extrema, ſed media aſpirata: è ſummo enim gutture Græcum, Hebræum ex imo penè pulmone prodit. In graui quoque & acuto ratio par: ex vtriuſque enim compoſitione factum eſt tertium quiddam medium, ſicut ex elementis naturalibus corpus aliquod, cuius motus extremorum loca non appetat. Harum autem differentiarũ notulæ quæ medias illas naturas indicarent, aliis atque aliis cõſiliis ſunt inſtitutæ. Nam in tenore compoſito figuram excogitarunt. In ſpiritibus mediis nõ ita, propterea quòd certis conſonantibus includeretur, B, G, D. In temporibus autem omnem tractum qui vnum tempus ſuperaret, breuitati neceſſariæ oppoſuere. Dico neceſſariam breuitatem: iccirco quia eſt etiam breuitas indifferens in breui vocali, quæ ſit muta liquidáque affinis.

CAPVT LVII.

Tres notulæ ab accentuum ratione excluduntur.

Ergo

ERgo si accentus est modus syllabę: non erunt accentus tria illa, quæ Græci ὑφὲν διαστολὴν, ἀποστροφόν: nos Coniunctionem, Disiunctionem, Auersionem nominamus. Falsò autem inter accentus relatas à veteribus videamus. Nam Coniunctio dictionum duarum affectus est compositarum, quoties ea nulla facta partium mutatione ita cohærent, vt propter seruatam integritatem non cohærere etiam videantur. exempla in promptu sunt: *Ante‿volans*, *Ante‿malorum*: & apud Lucretium, *Semper‿florentis*: huic indicio figuram aptè attribuere pando semicirculo supposito, sic, ‿ sumpta similitudine à subscudibus carinarum: quibus asseres coagmentantur. Contraria huic Disiunctio: quæ, quas voces posses temere componere, distanti pronuntiatione iubet pronunciari, vt in exemplo Virgiliano,

--*In litore conspicitur*, *sus*. ne *vrsus*, legatur.

Ei itaque eundem locum attribuere quasi parietem hercíscentem familias: ac satis quidem fuerat virgula perpendicularis: verùm ne acciperetur pro vocali ı, curuam pinxere: cuius tamen cornua præcedentem complectendo dictionē, præscriberent ei metas quasdam. Auersionem autem nostri Conuersionem dixere: at si Græcam vocem contemplere, ἀποστροφή, illud non hoc signāt. est autem affectio non syllabæ necessariò, sed literæ per se, syllabæ autem per accidens: neque enim semper syllabæ defectum ostendit: sed semper literæ aut literarum quæ cuiuspiam syllabæ partes sint. Exemplum vtriusque est,

quasi habenulas inhibendo excursui dictionis appendêre, eadem forma quam fecerant Disiunctioni: propterea quòd idem esset officium limitibus præscribendis. Totum autem genus hoc sapientes πάθη appellarunt, rectè. Sed quum syllabis vniuersum attribuerent, errasse ostendimus.

His ergo constat, vt in elementis, tanquã partibus, & eorũ corporibus, vel syllabis, vel dictionibus, & materia, scilicet figura & forma est, qua inter se differunt hoc ipso quo sunt: sic in eorum affectionibus, vtrunq. esse iam planum fecimus.

CAPVT LVIII.

Caussa finalis Tenorum, primum de Acuti accentus vsu.

POst accentuum substantiam tam ex materia quàm ex forma, quæ erant duæ causæ quib. constituebantur, nunc caussa finalis contemplanda est eorum ergo vsus, cuius gratia sunt instituti, deinceps videndus est. Ac quod ad nostra quidem tempora attinet, nihil turpius putamus, quàm cantiunculis, & vocularum tremulis assultibus gesticulari. Itaque seruata temporum duntaxat ratione, seuerioribus sæculis omissus est fœmineus ille tinnitus, vnóque ductu multæ voces eodem tenore pronunciatæ. At veteres aliter consueuere, quorum leges fuere hæ: Syllabæ aut sunt in priuis vocibus, aut in iis quibus oratio constuitur: priuæ voces sunt, *Amor*, *Ergo*, *Pereo*: ex quibus possis orationem texere sic, *Amoris Ergo Pereo.* Primo modo nullum est nomen impositum, propterea quòd

dictiones non propter seipsas, sed propter orationē sunt inuentæ: iccirco secundo modo nomē indidere: συνέπειαν que appellauere: nos Consequentiam dicere possumus: quam illi alia voce paulò asperiore, συναρπαγὴν, & molliore συνεκφώνησιν τῆς λέξεων. Nos cōmodius, Ordinem continuum orationis definimus. Cùm igitur Græci tam in vltima syllaba singularium separatarúmq; vocum, quàm in altera, ac tertia à fine sede acutum imponere consueuissent: in consequentia siue contextu orationis, quos accentus in fine ponebant acutos omisere, próque eis graues substituêre: ídque eo egêre cōsilio, propterea quòd acutus accentus videtur tollere syllabam ita, vt sequens syllaba prematur: in qua tanquam fini suo quiescat vox. Cùm igitur nihil haberent, quod sequeretur, nihil quoque metuêre: at cùm esset vox, quæ subiret, cauere ne tanquam vna fieret cum præcedente. Id quod etiam in Encliticis euenire videretur. Igitur acuunt τούς, & περί, & τόν: quæ cùm contexuere, grauibus insigniunt, τοὺς, περὶ, τὸν ἄθεον. Nos verò hanc eandem animaduertentes rationem, qua acutus accentus tollit vocem in syllabam, quam acuit, vt sequens prematur, in fine vocis non ponimus, ne expectemus aliam syllabam subeuntem, in qua vox conquiescat: id quod Latini suis libris omnes testati sunt, Nullam apud nos supremam syllabam acui. Acutus enim positus, aut exigit alias consequentes syllabas, aut non. Si exigit, igitur non est ponendus in fine vocum separatarum: si non exigit, ergo in consequentia quoque poni potuit. Sed falsi

Græci

Græci ſunt, cùm putarent, grauem accentũ nihil ad vocem pertinere, ſed ad ſyllabas tantum, vnde etiam Syllabicum vocauere. Icirco adducti ſunt, vt crederent, turpe eſſe, edere dictionẽ, quæ nullo accentu inſigniretur. quaſi quum iura quoq; abſurdum cenſent, hominẽ inteſtatũ mori. Id autem eueniebat, niſi acutũ in fine ſaltem repoſuiſſent: cùm dictio in ſyllabis præcedẽtibus neque illum haberet, neque circũflexum. Sed ea ratio, aut perſpiciẽda fuit etiam in conſequẽtia, vbi grauẽ collocaſſent: aut ne in priuis quidem vocibus admittenda. Apud nos igitur aut in penultima, aut in tertia à fine ſedem ei ſtatuêre. Occupare autem alias initio propiores, Græci ſibi licere noluerunt: quos etiam priſci Latini ſecuti eaſdẽ poſteris, imitatione potius, quàm conſilio ducti, leges præſcripſere. Nam quamobrem non liceat mihi vocem tollere in quarta à fine, nulla ratio muſica potuit perſuadere: poſſunt enim eodem tenore tam in voce, quàm in tibia, aut fidibus deduci multæ vel breues, vel longæ. Quòd ſi iccirco nõluere, quia duabus ſyllabis ſequentibus imminere acuta ſyllaba videatur, in quibus tractus vocis nõ immoretur: quod fieret, ſi eſſent plures: videamus quàm non rectè ſeruarint hæc. Eſt eadẽ ratio tam apud Græcos, quàm nobis. ſed diuerſus modus. Nam vtrique negant ante tria finalia tempora ſingula, id eſt, ante tres breues ſyllabas, acui poſſe ſyllabam. quare ſi duæ poſtremæ ſint longæ, quoniam ſolui poſſunt in quatuor breues: non potuit in præcedenti vlla ſyllaba acutus collocari. Ratio hæc vna communis. At modus

diuersus sic: Græci, si vltima longa sit, & penultima breuis, vltimę lõgitudinẽ, ex qua fieri duę breues possent, obseruarunt: at si penultima longa sit, & vltima breuis, miseræ huius penultimæ, tanquam ibi nulla esset, nullã rationẽ habuere. Latini contrà, vltimæ longitudinem non curarunt: penultimæ ius suum attributum retinuere. Ergo iã deprehẽdimus accentuum horũ cãtillationem ridiculam, non natura, sed vsu quodã gesticulatorio constare. Videamus verò, quod & suprà tetigimus, quàm ipsa sibi suis non constet legibus. Principio Græci diphthongos aliquot, quas producebãt in pronunciando, quod attinebat ad accentuũ sedes, pro breuibus habuere, vt τέτυπλαι. præterea Latini eadẽ ratione vltimas omnes neglexere. Postremo antepenultimas omnes Græci longas, nullo detracto tempore, acuto accentui postposuere. Quare si vna ex his vel in fine, vel in proxima fini sede soluatur in duo tempora, sanè in quarto à fine tempore acutus ille Græculus, quem ab ea sede exulare iubent, inuenietur. Quare sapienter à posteris factum est, qui præter quàm in quibusdam partibus orationis, vt in exclamationibus, indignationibus, interrogationibus, nullum huius putidi seruitij iugum ferre voluerint. Nam si ante acutum in eadem voce plurimæ syllabæ graui pronuntiantur, κακοσαρμακευτείς: quare post illum totidem non possint? Quòd si respondeant, inclinari nequire tantum numerum: quare, vbi nulla est quæ inclinetur, hunc eundem ipsum statuêre? vt in præsenti exemplo, nulla syllaba secuta.

CAPVT LIX.

Grauis accentus sedes.

GRauis accẽtus locupletissimus fuit vsus: Nã cùm acutus non plures duabus sedibus occupasset, hic qualẽcunque premit syllabam: quare syllabicum, vt suprà diximus, appellarunt. Non, vt putarunt, propterea quòd non interesset dictionum: sed quia passim quamcunque syllabam vindicaret: sunt enim dictiones quæ præter hunc nullum habent. Omnis igitur dictio, aut habet acutum, vt, *Ámor*: aut grauem, vt *Fax*: aut circunflexum, vt *Mîles*. Quare præter eum accentum tam præcedentes syllabæ, quàm quæ subeunt, grauem suscipiunt, sic, *àmôris*. Non rectè igitur Quintiliani præceptores, quos ait ipse sic se docuisse, vt priore acuta pronuntiaret, *átreus*, quo necessariò posterior grauem susciperet. nam ad hunc modum grauem susciperet per accidens: at ipsa hæc vox, *Atreus*, per se graui terminatur, vt non solùm syllabæ sit accentus, sed etiam dictionis: quemadmodum multa alia quòque proferuntur Ἀλὲξὰνδρεὺς, ἔξω τῆς συνεπείας. Quamobrem grauem accentum interdum primarium censeri necesse est: aliâs autem accessorium. Cuius etiam proprium sit quantamcunque syllabam nullo discrimine admittere; & quotamcunque sedem accessoriè. postremam autem legitimè, & primariò.

CAPVT LX.

De vsu locisque circunflexi.

CIrcunflexus accẽtus si vti diximus, ex vtroq; illo constat: necesse est, nullã nisi lõgã sylla-

bam admittat. Nam ſicuti affectus is compoſitus eſt: ita & ſubiectum corpus compoſitum agnoſcemus. At verò omnis breuis ſyllaba ſimplex eſt: Eius autē ortus ad hūc modū iam declaratus eſt. Cùm aliquando duæ coaluiſſent, prior acuto elata, altera depreſſa graui, vt διδόὶ: certè etiam affectus ipſi in vnum coiere, ſic, διδοῖ, ex legibus autē, quas ſuprà recitauimus, nō poteſt niſi aut in fine, aut in proxima fini conſtitui. in præcedentiū autem nulla poteſt. ſi enim diſſolueretur, acutus in quarta inueniretur, ſic, *Aêneùs. Aèneùs.* Quare ne in penultima quidem ponitur, ſi ſubeat ſuprema longa. Hac enim diſſoluta, diſſolutáque circunflexa, idem error inueniret: vt quartam à fine acutus accentus tolleret. ſi autem ſubeat breuis, tum verò circunflectitur: quoniam in ea & penultima cum graui, & antepenultima cum acuto ſit. intelligo autem hoc apud Latinos, qui nullam finalem acuunt: nam apud Græcos inuenias longam ante breuem vltimam, quæ longa accentum nullum proprium habeat: ſed vltima acutum, σηπτός. Hinc ſatis conſtat, quod dicebamus, grauem accentū etiam ad dictionem pertinere, non ſolùm in συνεπείᾳ, vt demonſtrabamus, ſed etiam in cōpoſitione citra conſequentiā: ex eo. n. & acuto fit circunflexus. Itē, non ſolum in eadē dictione, ſed etiā in eadem ſyllaba & acutum & grauem inueniri: ſic enim quidam pronuciāt γλῶσσα, & eiuſmodi vt & moram intelligas, & in eadem ſyllaba & leuatum & depreſſum ſonum audias, in ſuo quenque tempore ſic, γλόὸσσα. Cōſtat & Eraſmi lapſus, qui *Plane*, aduerbium, cùm apertè ſignifi-

ſignificat, & cùm affirmat, differre ſic pote prodidit, quòd illud priorem circunflectat ſyllabam: hoc, quòd acuat poſteriorem. vtrũque enim cùm ſit ſpondiaca dictio, non potuit penultimam circõflectere. Aduerbia enim eiuſmodi ſemper produxere vltimam, quæ à ſecunda fuere declinatione. iccirco quod erat *Apprime*, Vergilius coactus eſt *Apprima*, dicere. fuere autem eiuſmodi aduerbia pleniore ſono, & originis analogia. à ſexto caſu, ſicut *Falſò*, *Raro*, *Cito*, ſic etiam *Plano*. quorum quædam ad arbitrium poëtarum correpta ſunt interdum, *Sero* apud Martialem, & *Cito* apud omnes. At in E, quæ deſinerent, nullum, præter duo, *Male*, & *Bene*. & à tertia totidem. *Sæpe*; *Pene*. quibus iccirco facilè potuit breuitatis ſyllaba contingere, quia in ipſis nominibus breuis quoque fuit.

CAPVT LXI.

De Ἄρσει & Θέσει.

SYllabæ igitur modus quo tollitur in ea vox acutior, dictus eſt à Græcis ἄρσις, rectè ſanè. in alteram autem ſubeuntem cum dimittatur, vox, θέσιν appellarũt, minus cõmodè. Principiò θέσις ſignificationem habet latam: nã in acuta quoque ponis vocem: eſt enim poſitio, collocatio: itaque melius κατάθεσις dicta fuiſſet. Sed ne id quoque cuiuis accentui graui conueniebat: nam initium quadriſyllabæ dictionis grauem accentum habet. at nunc quis dicat me vocem deponere, quam nondum leuaui? ergo Æquabilitatẽ vocis potius appellaſſent. vnde etiã in muſicis ὁμοτενεῖς quidã

dicuntur tractus, in quibus ἄρσις est nulla.

CAPVT LXII.

Quemadmodum accentuum leges soluantur.

NVllam, inquit Quintilianus, Latinam vocem aut acutus aut flexus accentus cludet: sed in eum locum introductus acutus est à Grammaticis pro aduerbiis tantùm, & præpositionibus, in cæteris veterum mansit lex. Tres igitur caussas assignauere Grãmatici, quibus aduersum priscam puritatem nouam inueherent pronunciationem. Distinguendi ratio, vna fuit: altera, Ambiguitas vt posset euitari: tertia, Necessitas pronunciandi. Nam vt *Ponè*, aduerbium à verbo *Pône*, distingueretur, accentus mutatus est: eodem modo *Coràm*, aduerbium, à *Córam*, præpositione. hæc sunt exempla primæ rationis. Ambiguitatem autem sustulerunt in voce, *Intereáloci*, translato accentu in tertiam à fine: vt ne quis duas putaret partes. Tertium consilium fuit à necessitate pronunciationis: vt cùm encliticas ponimus, præcedentis dictionis postrema fuit acuenda, *Hominésne*, *Feraéne*. Has tres partes siquis acrius contempletur, inueniet duas esse tantùm: vnicam enim priores duas, vtrobique enim vitamus ambiguum: in secunda partium, in prima, vocum. Ita in duo membra diuides, sicut & tertiam in duo. Nam necessitas pronunciandi, aut per se est, vt in encliticis: earum enim natura ita fert, quod & nomen, vt inclinent in sese accentum: aut per accidens, vt cùm exempta syllaba, decurtata dictio-

ne,

ne, coëuntibus in vnum extremis, fit circunflexus. Cuius rei exempla multa sunt, *Arpinatis, Arpinâs Nostrâs*, & alia eiusmodi. Sic etiam putarunt in tertio diuini operis legendum, vt respondeat cæteris præteritis:

--ceciditque superbum

Ilium: & omnis humo fumât Neptunia Troia.

vbi circunflexus potius mansit, quàm concreuit. In Græcis autem sæpenumero creatur ex duabus, vt diximus, νόος, νοῦς.

CAPVT LXIII.

An admittenda sint, quæ superiore capite à veteribus recepta sunt.

HAec veteribus cum placuissent, qui contradiceret, nullũ habuere. Verùm interest philosophi placitis humanis anteponere rationẽ, Nihil enim pretiosius veritate: ea enim hominis solius sola meta est. Quę igitur ratio soluebat accẽtuum leges, ob componẽdas voces, eã falsam esse cõuincimus exẽplis eiusmodi vocũ quarum syllabæ sequentes translatum illum accentum, longæ sunt, vt in *Malesanus*. Si enim acui potest vltima prioris vocis compositæ, poterit & in simplicibus: si non in illis, ne in his quidem: neque enim substantia rei mutari potest ab accidente: neque id, quod ἴδιον Græci vocant, mutabile est, ab essentia enim fluit: cúmque illa mutuo conuertitur, quippe cui soli, & semper competit. Quare doctissimus quoque vir Gellius ita sensit libro septimo. Igitur in istis vocibus, quas nos non acui diximus, ea caussa est, quòd syllaba insequitur natura longior, quæ nõ ferme patitur acui priorem

in vocabulis ſyllabarum plurium quàm duarum, intelligere voluit priorem penultima. Dixit autem, fermè, quia Grammaticorum iſtas regulas tum obſeruabant. At enimverò ſi eam cauſſam, qua ſunt adducti, probauero nullam eſſe, etiam legem ipſam probauero eſſe nullam: ſublata enim cauſſa tolletur & effectus. Ergo in voce hac, *Antemalorum*, & *Praeuolantes*, & *Antecurſores*, & *Anteambulones*. ſi ratio hęc fruſtra eſt, & tamen vna dictio intelligitur: eodem modo & aliæ intelligentur. Quid? non ne etiam tribus partibus quædam compoſitæ ſunt? ſi igitur Donatus, aut alius quis in hac voce *Exaduerſum*, vult acutũ transferri ſupra *Ad*, quod erat ſupra *Ver*, in *Verſum*, antequam componeretur: eáque ratione adductus fuit, vt vna dictio videretur: non abſoluit conſiliũ ſuum: adhuc enim extra ſeptum illud iſtius accentus, poſita eſt particula, *Ex*. quare fruſtra laborauit, vt rerum confunderet naturam: atque iccirco intelliget ὑφὲν inuentam à Græcis, cuius figura duceret oculos ad compoſitionem: forma autem, id eſt, continuatus ſpiritus pronunciationis, cogeret aures vnum audire. Hoc quoque è Græcorum obſeruationibus conſtat planius: nam cùm ἔκδουλον dicant, non audent ἔκδουλους, ſed ἐκδούλους: & adhuc maiore ambiguitate ἐκδούλων: duæ enim veræ partes conſtructæ non coniunctæ poſſint intelligi. Præterea quis dicit *Múſtela*, cum acuto in prima? Quis hoc modo, *Compóno*? quis *Prǽcurro*, & eiuſmodi? Quid, quòd ijdem monent *Tepefácis*, dicendum παροξυ-

ῥοζυτόνως, & cætera à facio? Quare vbi syllaba patitur, transferendus accentus erit, quemadmodum vbi numerus syllabarum non repugnat. Habemus quoque Festum autorem grauem, veterúmque sententiarum accuratum & narratorem, & interpretem: is in aduerbio *Adéo*, mediam præcipit acuendã: ergo, vt faciat differre à verbo *ádeo*, quo tollit vnam ambiguitatem, alteram ponit: dicam enim duas esse partes, sicut *Vsque Eo*. Cum aduerbijs enim iungebant præpositiones veteres, contrà quàm negant Grammatici, *Derepente*, *Insimul*, *Inibi*. Vltimam acuunt quidam in tribus tantum, *Ponè*, *Ergo* *Pené*: alij nullam excludunt: non desunt, qui priscorum adoratis vestigijs, pro illis pugnent: verùm memoriæ proditum est, Æolenses, quorum exẽplo ac iudicio penè omnia Latini compararunt ad loquendum, nullius vocis postremam acuisse, præpositionibus exceptis. Ego malim Latinè, quàm curiosè sapere: putóque maiores nostros inter se, cnm loquerentur, sine istis legibus peregrinis intellexisse. Nam si hæ distinctiones sunt arcessendæ: sanè longè plura inuenias, maioréque vel ambiguitate, vel necessitate. Nam præpositiones à nominibus ipso contextu, ipsóque sensu valde differre illico intelliguntur. At omittam *Face*, verbum, & *Face* nomen, aliáque infinita, quibus modis discernes casus, & numeros binariorum, & ternariorum nominũ? adeo vt cùm dixerint, *Mea Interest Sapere:* posterorum multi ignorarint pronomen *Mea*, vtrius esset casus: quartíne pluralis, an sexti singularis. Quid? dif-

ferentiæ istius caussam, quam statuebant, miserè subuertêre. Cùm enim præpositionem hanc *Circúm*, vltima acuta pronuntiarent, ne *Circus* locus ad ludos esse videretur: Vbi eam postponerent casui, *Mistique Altaria Circum*, translato in primam accentu, sublatam prius, vt putabant, ambiguitatem, contrà quàm putabant, redintegrarunt. *Fumat*, autem Vergilianum præsentis temporis est, non præteriti, vt dixere: euersas enim incendijs vrbes complures dies fumare: miserrimis exemplis experti sumus, & *Nostras*, atque alia eiusmodi, *Sarsinas*, *Arpinas*, per apocopen relicto tantum sibilo, in quo nullus esset accentus, factum dicimus. Itaque transferri accentus potuit, Græcorũ exemplo, πόλλ' ἀγαθά. Nam sicuti illis turpe fuit, vocem sine accentu esse: ita apud Latinos supremam syllabam acui. Id quod etiam ex præteritis quartæ coniugationis deprehendi potest: nam *Audîuit*, mediam circunflectit: concîde, vt sit, *Áudiit*: non mediam accentu afficit, sed transfert in precedentem. & tamen acutus ibi potuit poni, vt in πρωτοτόκος. Sic in *Mercuri*, remanserat acutus suo loco, licet grammaticorum supreſtitione translatus fuerit.

CAPVT LXIIII.

Vsus Temporum.

TEmporum vsus satis ex ijs, quæ suprà diximus, patet: quod simpilicissimè tum pro rei, locorúmq; ratione diuisimus in longũ, & breue. Quædam igitur vocales erant semper breues,

E, O, his ſingula tempora ſunt attributa: earum cõparibus longis bina, H, Ω. Tres ſunt cõmunes, A, I, Y: ita vt quibuſdam in vocibus ſemper ſint breues, vt neutra pluralia, καλά: in aliis ſemper longæ: vt in caſu quarto plurali primæ, μούσας: in quibuſdam indifferentes, vt in φαρβαλία, & σικανία. Varientur quoque per dialectos: nam Dores vltimam illam quarti μούσας corripiunt: exempla multa apud Theocritum, quare pro ſuo quæque captu, vt ſors feret, tempus aut tempora nanciſcetur. Hæc eſt ipſarum ſubſtantia: à qua, natura fluit: certa quantitatis, quæ natura eſt τὸ ἴδιον, neque vnquam fallit. Quòd ſi quęrat philoſophus, quomodo erit propria hęc ipſarum communium? incerta ènim eſt. Primum reſpondebo, vt numero, ſecundum totum genus, vtrunque competit, par, & impar: ſed certo numero, alterum tantum: ſic communibus vocalibus in genere vtrunque conuenit, corripi, & produci: at vni cuipiam deſignatæ, alterutrum tantum. Præterea acutius adhuc: hoc ipſum eſſe earum proprium, variari: hócque ipſum quod eſt, variari, perpetuum eſſe, nec variari: ſicut eſſe corruptibile, eſt affectio rerum naturalium, quæ hac ipſa ſcientia comprehenduntur, quòd corruptibilia ſunt: hoc enim ipſum, eſſe corruptibile, non corrumpitur: ſemper enim tale eſt. Accidit autem extrinſecus augeri ipſas productiones, vt ſuprà quoque monuimus, per conſonantium concurſum, quam poſitionem appellarunt. Additæ muta & ſemiuocalis breui vocali, ſemiſſem temporis afferet: duæ mutæ geminatæ tantundem,

ſed neceſſariam productionem, quam illæ ſolum contingentem: neque enim neceſſariò producebant. R R geminatum plus afferet moræ. Sic etiam longæ vocali hæc elementa ſuperuenientia component pro rata, plura tempora. Ita alio modo producit mediã, *Tenebra:* alio *Abba:* illa enim poteſt & produci, & corripi: hæc corripi nõ poteſt. Itaque in illa poſuere vnum tẽpus ac ſemis: in hac duo tempora. Si autem longam natura ſequatur muta cum liquida, non minus apponent temporis, quàm duæ mutæ, neque enim poteſt corripi. Sed addent æquè vnum tempus. Scio aliter à veteribus poſitum eſſe: ſed neque rectè, neque perfectè: nam ſequente ſimplici, vnicáque conſonãte longam, voluere affici duobus temporibus ac ſemis. Ergo non plenè dixere: debuerãt enim oſtendere, nulla ſequente conſonante quãta eſſet. Et ridiculè putarunt ab vna conſonante addi tẽpus. Omnino autem hæc omnia ad oſtentationẽ literatoriam ſunt inuecta.

CAPVT LXV.

Spirituum officium, & loca.

SVpererat officium ſedéſque ſpirituũ, quę declararemus: ſed qui meminerit, quę de H, déque coniugatis diximus conſonãtibus, is facilè intelliget commodius abs ſeſe huc ea euocari poſſe, quàm à nobis repeti debuiſſe. Accentuum ratio, figura, vſus, tribus cauſſis expedita ſunt: Formali, Materiali, Finali. Abſolutáque contemplatio partium materialium, quibus dictio, quod eſt ſubiectum argumentũ præſenti operæ, cõſtituitur. Nũc de ipſo toto quid ſentiẽdũ ſit, videamus.

IVLII CAESARIS SCALIGERI

DE CAVSIS LINGVÆ LATINÆ, LIBER TERTIVS.

CAPVT LXVI.

Dictionis nomen, atque definitio.

PARTIBVS, partiúmque affectibus inuestigatis, quibus subiecta materia nostri operis componeretur: nunc de ipso toto agendum est. Quod Græci δίκην vocant, Caussam nos appellamus: quare addito iuris vocabulo, etiam Græcum sonũ mutuati sumus, & Iudicium nominauimus: Qua in Caussa, siue Iudicio, propterea quòd orationis vsus maximè viget, Latini postea verbum *Dicere*, sumpsere ad significandum, quoties loqueremur. At sicuti vox hæc *Dicere*, contextum màgis verborum, quàm singula verba significat, ita è contrario, verbale nomen hoc *Dictio*, non solùm dicendi actum, vt est apud Liuium, sed etiam vnicum quoduis notauit verbum: ex qua origine, atque vsu, cùm definitionem satis commodè possimus elicere: tamen vt sapientius agamus, paulò altius est contemplandum. Sicut in speculo ea,

quæ videntur, non ſunt,ſed eorum ſpecies, vnde etiam nomen obtinuere, vt Species appellarentur,atque iccirco à Catullo dictum eſt imaginoſum, ab rerum imitatione, quas obiectas repræſentaret: ita quæ intelligimus,ea ſunt re ipſa extra nos,eorúmq; ſpecies in nobis. Eſt enim quaſi rerum ſpeculum intellectus noſter, cui niſi per ſenſum repræſententur res, nihil ſcit ipſe. Argumento ſunt muti, qui nutibus loquuntur, ex vſu oculorum: aures, quarum officio ſunt deſtituti, non potuerunt conferre ad vocum receptionem, quas exceptas redderent viciſſim.Itaq; fuit quaſi, quod Plato de alijs rebus dicit, ἐκμαγεῖον quoddã intellectus noſter, in quod res ipſæ certo modo receptæ conderẽtur, promerentúrque ad humanam,diuinámque ſapientiam communicandam. Igitur harum rerum notiones ſuæ cuiuſque fiũt, in cuius intellectum recipiuntur. At enimuero cùm homo animal ſit non ſolum ſociale, vt formica,ſed etiam diuinũ: opus habuit officio quodam atque inſtrumentis,quibus hanc ſocietatem non fortè aut inſtinctu oblatam, ſed prudentia, atque conſilio quæſitam, cõparatámque conſeruaret:quare & doceri debuit,& docere.Neceſſaria igitur fuit illa quoque naturæ facultas, qua ipſæ illæ notiones, quæ in intellectu ſitæ erant, ſenſibus concipi poſſent.Per ſenſilia ergo eruendæ fuerunt illæ ſpecies: at ineptus ad id fuit Tactus: non enim ad eum poterant elici res immateriales,qui maximè materialis eſt.Ineptus æquè Guſtus: qui cùm tactus quidam ſit,tanto minus potuit ſeruire, quòd minore ambitu, quã tactus,
præ-

præſcribebatur. In odores quoque transfundi non poterant, quibus exceptæ, à diſcente perciperentur: eſt enim Odor res minimè poſita in poteſtate hominis. Duo igitur ſenſilia reliqua facta ſunt, Color, & Sonus: ac Sonus quidem interpres fuit animi dupliciter: vel vt ſonus ſimplex: quippe ſupploſione pedum, & applauſu manuũ, & crepitu digitorũ, atque alijs eiuſmodi declaramus cuipiam animi noſtri affectiones: vel vt ſonus in ſpecie, ſcilicet vox: eáque fuit duplex: altera rudis, Sibilus, Vlulatus, Gemitus, Cachinnus, & reliqua talia: altera conformata, vt Verba & Nomina. Alterum ſenſile fuit Color: omnis autem color cum figura, vtrunque enim in corpore eſt: Igitur duobus quoque modis factum eſt: nam aut rudi, vt nutu, & geſtu: aut perfecto, idque dupliciter: aut Pictura, aut Scriptura: vnde apud Græcos vterque artifex dictus eſt communi nomine γραφεύς. Ergo rerum notiones à rebus in mentem primum per ſenſus ſine medio humano profectæ ſunt: intelligo autem per ſenſus omnes, eaque ſcientia αὐτοδίδαξις dicta eſt: aut per medium humanum, quoniam non ab rebus, ſed à notionibus, quæ eſſent in docentis intellectu, prodiere in duos ſenſus, Auditum per locutionem, Viſum per ſcripturam: vnde poſtea in intellectum ipſum inſinuarentur. Quemadmodum autem res naturam non mutant: ſed eædem apud omnes ſunt, ita & earum notiones, tam enim Equus ipſe, quàm eius ſpecies apud omnes eſt: neque homini ſolùm, ſed quibuſcunque animalibus tribuit natura aptum ſenſum ad percipiendũ. At nomina rerũ, & literæ nõ eędem ſunt

omnibus. Sicut igitur imagines rerum sunt notiones intellectui: ita voces sunt notionum illarum notiones, & vocum ipsarum scripta quoque sunt notiones, vt talis ordo naturæ sit: Equus, equi species in intellectu, equi nomẽ in voce, equi repositio in scriptura. Prima igitur duo à natura sunt: nam equi principium & forma, & materia, & finis natura est: Equi quoque speciem ab equo eductam intellectus agens in intellectũ possibilem impressit. At altera duo ab arte, aut casu sunt: quanquam enim natura fecit vocem loquentis, & atramentũ, calamum, manum: tamen & voci flexuum, anfractuũ, articulorum, temporum, spirituum, ordo ac sedes fortuita fuere: & eodem modo scribentis manus cursus, mora, series. Multa sunt in operibus nostris naturalia: vel ipsa Ambulatio: at fortè fit, vt tantũ faciam spatiorum, vt rectà incedam, vt properem, vt subsistã, vt alternem, vt diuaricem, vt vacillem, vt suspẽdam gradum, vt reuertar. Possum etiam hæc aliquando simul miscere, quæ coire queant. Itaque equi crus semper suo loco est: at Q, litera in nomine equi, apud Græcos nulla. quare arbitrio eius qui hoc primũ nomen inuenit, factũ est, vt sic appellaretur. Ex his itaque definimus Dictionem. Nota vnius speciei, quæ est in animo, indita ei rei, cuius est species, secundũ vocẽ, pro arbitratu eius, qui primo indidit. Dico, Notã vnius speciei: quoniã oratio multarum specierũ est: & dictio composita rei compositæ est: omne autem compositum pro vno accipitur: ita eximitur hæc dubitatio. Sed quæremus etiam super definitione, vna

enim

enim est res omnis definitio:non copula,non alio instrumento,sed natura:neque enim aliud est, Animal rationale, mortale, quàm Homo. Quare si in definitione vna est notio, & plures dictiones, videbitur dictio notionis pars,non totius tota imago. Sic est respondendum: In rebus singulis esse multa suapte natura, quæ vnum fiunt ab vna forma: vt esse, vegetari, sentire, intelligere: hæc omnia ab vna anima vnum fiunt in homine: in quo ita sunt, vt vnum alterum complectatur, & capiat: quam seriem & in octauo historiarum, & in XII. Metaphysicæ satis declarauimus. Ergo definitum vnum est & re, & nomine: ipsa enim res est, vt est, definitio autem vnius rei & vnum dicens,quia dicit definitum:sed per multa dicens illud vnum, quoniam vnum illud per mula est constitutum. Non rectè verò veteres definiuere,qui Dictionem partem orationis dixere.Principiò malè factum est, cùm per partem definiuere: est enim dictio etiam extra orationem: itaque coacti sunt addere, Constructæ: ergo non constructa oratione Dictio nulla erit. Præterea est dictio quædam, quæ etiam sit oratio perfecti sensus, ac quidem tota,vt imperatiua, *Lege*,*Scribe:* & interiectiones, *Heu*. Postremò pessimo consilio fecere, vt adderent, minimam: quis enim dicat minimam partem hominis manum? Nam sicuti in multis rebus naturalibus,ita in oratione partes sunt, non vniusmodi:aliæ enim sunt diuisibiles: aliæ non, vt literæ. Diuisibiles autem duplicis sunt naturæ: quædam diuiduntur in consimiles, quædam in condissimiles: vt,

ſanguinis pars ſãguis eſt,& oſſis os: at pedis pars, non eſt pes. Hæ partes non poſſunt minimæ dici in homine, quia in alias vltimas ſecãtur partes: ita neque dictiones in oratione:quare coacti fuere ſeipſos interpretari: Minimas, inquiunt, intelligemus quo ad ſenſum. ergo malè omiſere in definitione, quod per interpretationem addendum fuit. Dubitare poſſit aliquis ſic: Nomina, quæ notiones ſunt figmentorum: non eſſe dictiones: rei enim nullius ſunt notæ. Hoc ſic eſt accipiendum. Hoc quod dicitur *Ens*, aliquando verum eſſe: vt *Deus:* aliquando non verum, & hoc dupliciter: aut enim eſt Priuatio, aut eſt Fictio. Priuatio, vt Vacuum: Fictio, vt Phœnix. Itaque ſanè horum nomina non ſignificant eodem modo ipſa, quo modo Deus, Deum: ſed priuationem per habitum ſic: Quia Plenum ſignificat locum tactum vbique à corpore: eius contrarium Vacuum ſignificabit: quod quanquam non eſt, tamẽ per illud, quod eſt, intelligitur. Ficta autem facilius percipiuntur, ſunt enim quaſi orationes falſæ: idem enim eſt Phœnix, & oratio hæc Auis rediuiua, ſui cauſſa. Dictionem Græci λέξιν, vnde noſtrum Legere, & ab hoc Legati, quorum ſcilicet officium eſſet, dicere.

CAPVT LXVII.

Vtrum Dictiones à natura ſint, an arbitrio inuentoris

VErùm quod diximus, ita indita eſſe nomina, vt inuentori libitum eſſet: neque nunc primum à nobis inuentum eſt, & olim commouit huius ſentẽtiæ autor Ariſtoteles quoſdã Platonis de-

defensores, cuius sententia in Cratylo videtur esse hæc: Sermonem rem esse naturalem, non ab arte. Id quod cogebantur ita sentire, quippe qui nihil scientiarum adipisci nos profiterentur, sed reminisci tantum. Quod & ex eo dependebat, cùm dicerent animas in corpora alia atque alia transmigrare, quemadmodum è Pythagoræ institutis referebat ipse Plato in Atlantico. Habebant autem etiam, vt sibi videbantur, rationes: nam loquendi instrumenta & materia sunt naturalia, Pulmo, Septum, Guttur, Palatum, Lingua, Aër, ergo & ipsa nomina. Trahi præterea nos à rerum caussis, quibus moti ductique, sic potius, quàm sic loquamur. Quòd si cõtingit vt eandem rem aliter nos, Græci aliter appellent, nihil mirum: diuersæ enim caussæ sunt eiusdem rei, quarum vna illi, altera nos agamur ad nomina imponenda. Verùm hæ moræ defensiones errorũ sunt. Atque equidem sæpenumero miratus sum mortalium vel audaciam, vel pertinaciam, qui tuerentur errores, quos ij, qui commisere, si viuerent, emendarent. Neque enim errasse turpe est: est enim initium sapientiæ: si non ei ipsi qui fallitur, at aliis non fallendi. Verùm errores fouere, id verò vel extrema dementia est: vel vt isti faciũt, qui semel atque iterum deiecti, malũt confodi, quàm conciliari. Principio argumẽtum est nullum: Materia & instrumenta sunt naturalia, ergo & figura imposita. Quis enim dicat, currus, aut carpenti figuram naturalem esse, nisi Anaxagoras? Is ita licebat, Nisi carpenti figura fuisset in ligno, non fuisse futurum vt inesset. Sed nugabatur: neque

enim inerat,ſed ineſſe tantum poterat. Itaque à maioribus noſtris Facies dicta eſt à faciendo: fit enim,quod non eſt:itaque etiam pretium perſoluitur artifici. Et Accidens à Latinis appellatur, quoniã caſu factum eſt, vt Dei imago potius fieret,quàm ſcamnum è ficu Horatiana: ſi enim naturalis facies fuiſſet illa,omnibus ficubus ineſſet. Sic etiam Vocem eſſe naturalem fatemur: item Flexus,& Tempora,&Modos:ſed eorum ſeriem, aut miſturam forte,aut arte factam conſtat. Si enim natura eorum eſſet autor,vnus omnium modus eſſet,vna enim natura: velût in auiculis manifeſtum eſt: eæ enim ſua in ſpecie æquè idem cantillant omnes. At quòd ab arte eſt,& diſcunt, & dediſcunt. Quod autem aiunt in rebus eſſe quædam peculiaria,id ſanè verum eſt: at cùm addunt iis nos excitari ad certas voces creandas,falluntur.Nam quæramus ſic:aut nota ſunt nobis ea propria & peculiaria, aut non ſunt. Si non ſunt, non ducimur: ſed non ſùnt nota maxima ex parte: nam quotus quiſque rerum ipſarum naturas compertas habeat: fatemur ſanè nos, non pauca eſſe dicta à certis cauſſis: ſed ipſæ cauſſæ, quæro porrò,an cauſſas habeant. Si non habẽt,ergo nomina erunt fortuita: ſin habent,ad vltimas tandẽ procedendum erit,quæ præterea nullam habeant. Si dicant ab effectionibus cõparari nomen cauſſæ, ergo erit circulus, vt cauſſa ab effectu,effectus à cauſſa dicatur: quare vtrunque erit fortuitum. His rationibus repulſi aiunt, à Prouidentia regi nos.Nugæ.Si enim in rebus ciuilibus,in bellis,in re diuina, deſtituimur rectis conſilijs,atque adeo

illa

illa Prouidentia: ſanè putida illa fuerit, quæ maximis in rebus neglectos nos, apprehenſos manu trahat in nominum veras cauſſas. Sanè verò pulchram Prouidentiam, quæ Canis & Vrſæ etiam (ſi dijs placet) caudatæ nomen in cœlum tulit. Quid Cani cum cœlo? quia herbas exurit. At neque exurit Canis, neque herbiuorum animal eſt. Atque vni quidem rei diuerſa nomina impoſita ſint, vt Ventum à veniendo dixerint Latini, à ſpirando ἄνεμον Græci. Eſto: diuerſi inquiunt, affectus totidem nomina exegêre, At diuerſas res quare ijſdem vocibus diſſitæ nationes appellarunt? Quænam? inquies. Illyrica, Arabica, Iudæa, Germanica, Latina, Scythica. *Air*, vocant Scythæ quam pro calamo aromatico circunferunt: at Veneti arborem quandam, quam puto eſſe albam populum, non enim memini, ſed arbor eſt. *Zith* oleum dicunt Arabes, at Græci ex hordeo potum. *Gelon*, Hebræis migrans, at cùm migrabant flebant: Græcis autem ridens. *Mane* eſt illis numerus, nobis pars diei. *Num*, eſt nobis interrogationis particula, illis piſcem notat. *Bagoa* nomen eſt Perſis & Medis impurum: at in eo apud Hebræos eſt & celſitudo, & excellentia: Cantabri autem ſic appellant glandem ſaginam: pulchræ verò cauſſæ cohærentes ijſdem principijs, *Rex*, *Glans*, *Eunuchus*. Illyrij Fluuium eodem nomine vocant, quo Itali diuitem. Nolo dicere quid Mauris ſignificet *Zub*, ſed longè diuerſum eſt ab Illyrico ſignificatu, Dentes enim ſic appellant. *Abba* eſt nomen quo Deum veneramur, Syri appellant ſic τὴν ςολὴν. *Rub*

Liguribus Taurinis numerum significat. Vicenumquinum, Illyrij mappam intelligunt. ΠΑΣ Græcis quid sit, etiam pueri sciunt, Illyrij Canem sic vocant. Vaccam ijdem *Crava* vocant, at Ligures sic Capram. Agè verò quot Latina aliter accipit Germanus: *Araneam* vocat *Spinam*: *Vicem*, *Malum*: *Altum* nominant senem: *Album*, quod nos medium: *Glut*, appellant prunas, nos collan: carbonem, *Collum*: Quid quòd etiam contraria ijsdem vocibus sunt comprehensa? Nam Germanis est *Caldum*, quod nos, frigus. Sed iam modus sit, vt etiam intelligat certis nationibus Illyricis, & Cantabris notas affirmatiuas, alijs gentibus negare. quare etiam eandem vocem contraria significare passi sunt Latini, *Vescum* & *Obesum*, & alia. Et ijdem Pythagorei mutanda nomina suasere malefortunatis: propterea quòd cum eorum genio iam imposita non conuenirent. In quo si nos illa prouidentia deserit, quanto magis despicabitur, cùm matellam poscemus?

CAPVT LXVIII.

Vtrum nomina sint penitus fortuita, an certo consilio.

Cvm igitur nomina à rerum natura non fluxerint, rectè definiuimus, notam esse rerum Dictionem, vt libuit inuentori. At libido duplex est vno modo, cùm impetu actus primum quodque obuium sumam: altero, cùm iccirco libitum mihi fuerit ita facere, quia id ratio quæpiam persuasit. Ergo cùm priores orta cum rebus nomina cōtenderēt, sunt explosi. Alij cōsultius accepere:

Natura

Natura quidem non ortas, sed arte, ac prudentia factas Dictiones. Nam substantia, inquiunt, sensu non apprehēditur, sed affectiones: puta, Magnitudo, Qualitas, Motus, Actio, Passio. Quare his affectibus moti atque instructi nomina imposita sunt. Afferunt igitur exempla duo: Lapidis, & Petræ. Nam Lapis, inquiunt, à pede lædendo dictus est, habuit igitur nomen à duritia, & actione: Petra verò, quia pedibus teratur, ab eo quòd patitur inuenerit appellationem. Hinc deinde digressi, multa millia monstrorum conficiunt. Alij contrà, omnia casu facta nomina, multò audacius affirmant: Nimirum quibus vniuersi mundi compago, series, temperatio, casu, ac temere orta constituuntur, seruantur constituta. Atque hos posteriores, postremos esse sinamus: neque enim merentur dici homines, qui ipsi esse nolunt. Nam quod ad vocum attinet rationem, quis mētis compos, ab amando amatorem negabit esse, dictum? Illis autem sic respondeamus: Principio non necessariò concludere tribus quatuórve exemplis omnium naturam vocum: Deinde, ridiculè attribuere pro caussis Latinas appellationes. Lapis enim, & Petra, vtrunque Græcum fuit, λᾶς, & πέτρα: nam Laterem, pro quo solo barbarè petram capiunt, πλίνθον Græci vocant. Sic igitur cēsemus: Multa nomina temerè extitisse primùm, sine flexu, sine ornamento. quo tempore nondum rerum naturæ cognitæ fuissent: ab his multa simplicissimè ducta, vt flexiones: alia immutatis particulis, vt denominatiua, & alia eiusmodi: nōnulla distorta sunt cōpositione. Quòd autem in quædā

principia deducantur, in quibus necesse sit siste-re intellectum, id & ex rebus patet naturalibus, vbi nullum est infinitum, & in vocibus ipsis sic constabit, Amaritudo ducetur ab Amaro, Amarum à Mari:Mare vnde deriuabitur?ab Hebræo, *Marath*. Quæro porrò, vnde sit hoc. Vt fingas quod velis, diuertendum est ad vnum, in quo conquiescas, quòd aliorum caussa sit: ipsius nulla sit caussa.

CAPVT LXIX.

Plures esse voces primarias.

SI igitur ad certas voces cæteras referimus, operæpretium fuit quotnam essent illæ, inuestigare. Etenim si, quemadmodum res ab re, ita nomen à nomine procedat:ab hoc nomine *Deus*, potissimum, omnia deducerentur:at ab hoc pauca deducuntur. Duo igitur modi restant principiorum:vnus in Materia, & forma : adde etiam si vis τὴν στέρησιν, siue Carentiam, vt delicatiores, siue Priuationem, vt ex Topicis M.Tullij colligere potes, voces. Verùm extra hæc omnia, inuenias multa, Calidum, Magnum, Filium, Armatū, atque alia eiusmodi. Alter modus est in decem prædicamentis : sed neque à substantiali nomine deducas substantiale, neque à relatiuo relatiuū, neque ab aliis generibus eiusdem generis alia. Nam à Cæsare cùm dicis Cæsarianum, potes tam prudentiam intelligere, quam equum. sic à patre patrimum cum deducis, à filio eadem lege non potes. & quæuis dictio in prædicamento relationis est, est enim nota, cuius est. verùm hoc

hoc ipſum nomen relationis, non eſt relatio: neque ab ipſo relatiua ducta ſunt. non enim quis, aut qualis, Quicquam cum verbo refero, tãquam cum origine ſui, habet affinitatis. Certus igitur atque finitus primogeniarum vocum numerus eſt: ſed nunc quidem, non autem ſemper: multa enim finxere veteres: vt etiam apud Pindarum inauditum aliàs conquerantur Grammatici, τὸ ἶπος, pro eo quod alij πίεσμα dicerent. Satis autem nobis ſit, ſcire, multa à Græcis deducta eſſe, in quorum principijs ſani fuerit hominis acquieſcere.

CAPVT LXX.

Non eodem modo rem ab re duci, & nomen à nomine.

QVę verò deducuntur, non neceſſario rerum ordinem ſeruabunt: vt quemadmodum res ab re, ita illius nomen ab huius nomine excipiatur. Nam quantum à quantitate eſt, ſi rem ſpectes. at contrà quantitas à quanto dicta eſt, vox à voce, non quantum à quantitate. Ratio huius rei eſt, propterea quòd cognitio noſtra contrarium habet ordinem, quàm natura: prius enim natura notam habuit quantitatem, quàm eã poneret in quanto. Contrà, nobis ea, quæ concreta vocant, notiora ſunt ijs, quæ abſtracta nominant. Itaque antiqui, *Quale*, dicebant: *Qualitatem* non dicebant. M. enim Tullius primus eam vocem commentus eſt. Et adhuc in multis abſtracta deſiderantur: vt in pingui. neque enim ferè ante Plinij tempora, *Pinguedinem*, legimus. Nunc quoque animum hoſtilem dicimus: *Hoſtilitatem* an dicat quis, non memini. Illud ſcimus,

à probatis autoribus *Ingratum* vſurpari, *Ingratitudinem* explodi. Harum legum rationes cùm ignorarent recentiores falſò putarunt, eũdem ordinem deberi nominibus ſignificantibus, qui ſignificatis rebus ineſt.

CAPVT LXXI.

Dictionis affectus.

DIctionis affectus ſecundùm definitionem ſunt exequendi: ac primùm ſecundùm materiæ rationem: nam ſicut in ſyllabis literarũ numerus recenſetur, ita in dictionibus ſyllabarum. Accidit autem vt dictio ſit vel monogramma, vel polyſyllaba. Exempla autem ſunt eo initio, atque ordine. A, *Amor*, *Amator*, *Amatores*, *Amatorie*, ad ſuperlatiuorum, atque adeo dithyrambicorum vſque numerum: neque enim Græcorum audaciæ lex vlla certa poſita fuit, qui vel ipſos pedes poëticos ad octonas ſyllabas produxere. Patiuntur quoque dictiones ſicut & literæ, & ſyllabæ: commutantur enim, & appellatur in genere ἐναλλαγή: quemadmodum cùm ponitur declinabilis pro indeclinabili, & è cõtrario. Flos apprima tenax, & μέμνηϲο καλὸς ὤν, pro εὖ. &, καλὸς ποιῶν, pro καλῶς. Dico autem in genere: nam ſi particulas ipſas ſpectes dicitur ἀντιμερεία: vt cũ nomina pro nominibus, verba pro verbis, & alia ſuo quæque in genere, ſuis congeneribus ſupponuntur, de quibus omnibus locis ſcriptum eſt. Item tranſponuntur, vt ſi quis dicat, *Plebis Tribunus*, *Patriæ Pater*, *Conſcriptos Patres*. Et quomodo ſyllabæ præponebantur dictioni-

ctionibus, aut poſtponebãtur, aut interponebantur: ita & dictiones orationi. Anteponitur à Iureconſultis, *Ecce:* ſic, Precium ob cauſſam datum, cauſſa non ſecuta, condici poſſe, vt: Ecce Meuius decem dedit, vt tutò ſibi in foro eſſe liceret. Citra illam vocem, *Ecce*, oratio perfecta erat. Sic adduntur pronomina ſine emphaſi: Ego amo, vos militatis. In medio, coniunctiones completiuæ, Tu quidem aberas, ego ſeriebã. Et in fine, apud M. Tullium ad Atticum. Triginta erant dies, ipſi. Geminatur, Ah Corydon, Corydon. Eximitur, Quos ego. Mutantur autem vt literæ ac ſyllabæ, quatenus illæ quoque mutantur. Ad hæc & diuiduntur, vt apud Ennium, *-(ere, diminuit, brum.* Et è contrario componuntur, *Maleſanus.* Et ſicut literæ atque ſyllabæ incolumes coniunguntur interdum, interdum verò vitiatæ: ita & dictiones. Nam aut ex duabus integris vna fit: vt Manucapio; aut duabus corruptis: vt, Mancipi, aut integra & corrupta: vt, Cumprime. aut è contrario: vt, Omnipotens. Hoc autem fit, aut in duabus Latinis: quales eæ ſunt. aut duabus Græcis: vt, Menelaus. aut Latina & Gręca: vt, Muſtela, aut Gręca & Latina: vt, Epitogium.

CAPVT LXXII.

Dictionis ſpecies, qua ratione ſint inueſtigandæ.

SI igitur dictio rerum nota eſt, pro rerum ſpeciebus, partes quoque ſuas ſortietur. Videamus ergo in magna autorum controuerſia, quot, quæve ſint. Quod Græci, ὄν, vocant: apud nos autem vſitato potius, quàm Latino caret nomine:

id partim significat res permanentes: vt, equum, album, decempedam: quarum natura postquam perfecta est, diu perstat: Partim fluentes, quarum natura est, esse tandiu, quandiu fiunt; vbi verò sunt absolutæ, non sunt amplius. In hac partitione tota vis orationis nostræ consistit: complectitur enim etiam Deum: nam postquam perfectus est, diu est: hoc autem diu fine caret. Constantium igitur rerum notam, *Nomen* dixere: eorum verò, quæ fluunt, *Verbum*. Nam tametsi nomina quædam rem fluentem significant, vt *Annus*, at non rei fluxum. Quin hæc vox, *Fluxus*, quanquam videtur actum fluendi indicare: non tamen mensuram ipsius fluxus connotat. id quod verba ipsa faciunt. Quoniam verò hæc omnia ad orationem comparata sunt, quæ quippiam alteri inesse ostendit, vt Amorem in Cæsare, id aliquando seiuncta nota signatur: vt, Cæsar currit. aliquando propius ac felicius naturam imitari instituimus: sicuti nanque Cæsar ipse, & ipse cursus vno eodemque corpore continetur: ita inuenta est à priscis nota idem efficiens suo significatu, quæ quasi insitione quadam vnum statueret. Quare velut ex Equa & Asino fit Mulus, seruatis vtrinque aliquot vtriusque naturæ particulis: ita ex Nomine & verbo confectum est Participium: quod sic appellarunt, vt hac quoque in parte Græcos qui μετοχὴν dixissent, imitarentur. At enimuerò vocabulorum ratio diuersa est: nam Græca vox actionem significat: vt, ἐποχὴ apud Mathematicos, cœli pars, quæ sidera continet: & Pyrrhonis affectio, qua in dubitando mẽtis cursum inhibebat.

Ve-

Verùm participium non ſic videtur: Analogia nanque alia eſt in Mancipio, paſſiua ſcilicet quòd manu caperetur. ſed fuit ſicut Municipium. In oratione autem etiam pro modo vſque loquendi deerat adhuc aliquid: interdum enim nomine nō ſuppetente, aut iam ſemel dictum ne repeteremus, nutu aut digito indicauimus aliquid: exempli gratia, *Lanceam* ſi petam, & imminentibus hoſtibus clade ſociorum turbatus præcipitē conſilia ſuppetiarum, nomen non edam: ſed indicatam petam: huius quoque rei nota inuenienda fuit, nutus ſcilicet ipſius, atque indicationis. Quare Pronomen inuētum eſt, quòd eſſet Notarum, id eſt nominum, nota: ſicut indicatio digito aut capite facta, erat nota lanceæ. Niſi enim ſic inueſtiges, non potes, quin veterum errorem cōmittas. Quorum definitionibus nequeas Nomen à Pronomine diſtinguere. His poſitis, illud quoq; ex rebus explicandum fuit: Nam omne quod eſt, aut fit, aut eſt cauſſa, vt Deus: aut eſt effectus, vt Ridere, aut vtrunque, vt Homo. Cauſſarum igitur naturam per nomina indicabantur: at cauſſarum modus non potuit: itaque excogitandæ fuere notę, quibus hoc quoque explicaretur: quas à ſitu nimis ruditer veteres appellarunt Præpoſitiones: ſed de hoc ſuo loco. Igitur Cato cùm eſſe poſſet efficiens cauſſa, & poſſet idē eſſe finis, hoc nomē Cato efficientē cauſſam indicauit ſic, Cato ædificat, ratione verbi intelligis ipſum eſſe cauſſam: at ſine verbo ſi ſit, nihil intelligas: quare addita præpoſitione A', ſtatim efficiētem declarabit; ſic autem apponas *Ad*, aut *Propter*, finem

explices. Porrò vt his notis Nominum modi declarātur,ita verborum quoque modi, qualitatésque temperandæ fuere : Nam cùm ſignantur eæ res,quæ dum fiũt,ſunt:aut temporis finibus certis pręſcribuntur, vt Hodie lego : aut qualitatis modum recipiunt, vt Bene curro. Iccirco hic quoque notas ſuas habuere, quæ cùm verba ipſa moderanda ſuſcepiſſent, verbis ipſis appoſitæ, aduerbia dici meruere. Reſtabat etiamnum aliquid, quod in rebus poſitum deberet etiam notis inſigniri. Nam res vna eſt,aut forma, vt Animal rationale:aut accidente,vt Lac albũ:aut ſubiecto,vt Album & dulce in lacte: aut miſtione,vt oxymel:aut cumulo,vt aceruus. Ergo quæ fierent vnum, vt vnum quoque dicerentur, commenti ſunt ſapientes cõiunctiones, quarum natura ſuo loco acutiſſime explicata eſt. Sic igitur in præſentia ſatis eſt dicere, Lac eſt album, & dulce. Atque his quidem ſeptem partibus vniuerſus rerum ambitus, modúſque contineri videbatur: niſi animorum affectus quidam ſuperfuiſſent,qui neque iunguntur verbis, neque nominibus cohęrent: ſed eorum vis in animo tota ſibi conſiſtit. Nam vox hęc, *Dolor*, affectum ſignificat, ſed *Heu*, non hoc ipſum, quod dolor eſt, quin dolore affecti animi nota eſt. Igitur cùm orationes indignatione, atque dolore, atque aliis euentis interrumpi ſoleant, maluere interponere, vnde & interiectio eſt appellata. Ac potuit quidem etiam anteponi, etiam poſtponi:ſed qui anteponeret,temere nimis, nõ reddita cauſſa aut iraſci, aut minitari videbatur: qui poſtponeret

leuiter

leuiter dolere. Itaque & consulto interposuere, & perturbationi animi seruiere.

Ex his vt patet partium numerus, ita excluduntur falsò ascripta: etenim Appellatio, idem quod nomen: Articulus nobis nullus, & Græcis superfluus, nisi cùm rem notam repetit subijcere intellectui. at nunc est relatiuum. Idem enim est, ὁ δοῦλός μου, quod δοῦλος ὃν οἶδα: alioqui otiosum loquacissimæ gentis instrumentum est. Infinita quoque verba à verbis réceptis separanda non esse, ex definitione constat. Præpositiones autem idem esse quod Coniunctiones, negamus ex his, quæ diximus. Nam vocabulum qui addidere, ne meriti quidem sunt, vt refellantur: genus enim est vt Dictio, non nominis species, vt ineptiunt. Nihil enim distat à voce Vocabulum, nisi quia flexus atque articulos in voce habet. Idem enim est Mendicus & Mendicabulum, Saburra & Sabulum, Statio & Stabulum. Erunt igitur Dictionis species octo, Nomen, Verbum, Participium, Pronomen, Præpositio, Aduerbium, Interiectio, Coniunctio.

CAPVT LXXIII.

Qua ratione inuestigandæ sint species, quæ inflectuntur: & quare non plures sint aut Personæ, aut Numeri.

HArum autem partium quædam cùm inflectantur, quædam eædem eadémque facie perpetuò sint: quæ & quare ita afficiantur, deinceps dicendum erit: si prius inflexionis ipsius rationes, atque necessitates eruamus. Elocutio ab

vno, pluribúsve proficiſcatur, nihil intereſt:ſed vnū pluráve ſignificet: ſcilicet vnius, pluriúmve nota ſit. Forma enim orationis, Significatio eſt: Significatio autem, à re eſt, non à loquente: loquens enim efficiens eſt. Omnis autem numerus ternione continetur: nam Vnum numeri initium tantum eſt: Dualis primus numerus imperfectus: Ternio autem primus numerus verus. Quòd enim æquales in partes poteſt diuidi, Finiti habet rationem: quod non poteſt, Infiniti. Et Ternio ipſe & numerum continet, & numeri principium: at Dualis non niſi in principium, ídque vnum, reſolui poteſt: itaque Potentialis potius numerus ſit: quippe numeri potentiam, id eſt, Vnitatem bis continens. Ternio autem actualis, qui quidem diuiſibilem fecerit indiuiſibilem. Quare Græci quoque ἀρτιόν nominauere: Nēpe quem ſi diuidas, inuenias infiniti habere aliquam imaginem, quæ ſuperſit. Ergo in rerum natura ſeparatus in corporibus non reperitur puncti fluxus, vt lineam efficiat, quæ prima dimenſione obtinet vnitatis proportionem: neque lineæ fluxus, vt ſuperficiem ſeorſum deſignare nobis liceat, verùm cùm ad Tertium perueneris, vt ſuperficiem ducas in ſeipſam, corpus efficies, pręter quod nihil eſt, quod quóve metiamur. Videmus igitur omnia principio, medio, fine contineri: ſanè hæc tria ſunt. Motus præterea, aut eſt à centro, aut ad centrum, aut circa centrum: neque ab his vllus eſt alius. Nam qui in animali inuenitur voluntarius, ex his compoſitus eſt. Sed & in ſacris tam veteribus, quā noſtratibus, ter pleraque

raque aut fiunt, aut dicuntur. Et vnam Dei substantiam tres, neque plures personas esse verò credimus. Et grammatici ipsi genus illud, quod tres caperet articulos, omne genus appellarunt. Quare cùm de duobus loquimur, dicimus, Ambo: cùm de tribus, Omnes. Hæc ita sunt Tria. Sed & hęc eadem tria, duo sunt. Namque principium numeri vnum est: Numerus autem ipse, plura. Ergo in oratione quod significatur aut vnum est, aut plura: quare duo tantum numeri inuenti sunt, quibus dictiones afficerentur. Nam Dualem Æoles vt superfluum omisere. At ordo significandi accepit Ternionem, à caussa efficiente: ea enim cùm sit principium, rectè Prima dicta est: itaque cùm de se loqueretur, Primam constituit personam. Finis autem eius est, communicare quod sentit cum quopiam: ergo Secundam rectè dixit. Materiam autem ipsam, de qua loqueretur, Tertiam. Est igitur Prima efficiens doctrinæ: doctrinæ enim caussa oratio: Secunda Finis, docetur enim: Tertia materia, de ea enim agitur: Oratio autem Forma, sunt enim Propositiones forma conclusionis. Quarta autẽ sub tertiæ ratione cõprehensa fuit, propterea quòd à prima semper esset tertia: pro materia enim habebatur. Verùm Personæ vocabulo abusi sunt veteres: nam Primam quidem vt loquentem, Secundam vt audientem agnoscimus: hæ sanè personæ sint. at Tertiam quare personam dicam, quæ muta res sit: hoc factum est propter rei nobilitatem. Est enim Homo sibijpse omnium rerum regula quędam, si sese

intueatur, quare etiam Paruus mundus appellatus est: itaque de seipso semper loquendum præcepit, quasi de re cognita sub ratione regulæ, cuius mensura cætera cognoscerentur. icirco personæ nomen ad ea, quæ persona carerent, non temere translatum est. Sanè Persona intelligitur status hominis ab animo, aut fortuna. Neque verum est, quod aiunt, significare indiuiduam substantiam rationalem, vt vulgo vtuntur, cùm Itali numerant turbam nomine personarum: sed accidens notat, vt seruum liberum, ingenuum, Heroëm, Senatorem, fœneratorem, militiem. Itaque cùm definiuimus ab Animo, virtutem & vitia comprehendimus: quum Fortunam, libertatem & dignitatem, & contraria. Sic enim semper locuti sunt probati autores. Nam M. Tullius in octauo ad Atticum in epistola ad Pompeium cùm dicit: Mea persona ad improborum ciuium impetum semper habuisse videtur aliquid populare: nõ intelligit suum corpus simpliciter, sed virtutem, ac fortunam suam, quæ meritorum nomine iam commemorat. Itaque in primo Rhetoricorum loca à personis explicat, nomen, naturam, victum, habitum, & alia eiusmodi. & in oratione pro Sylla sic locutus est: Si mihi propter res meas gestas hanc imponis personã. Cùm dixit Mihi, intellexit substantiam: cùm dixit Personam, intellexit accidens: cũ dixit Res gestas, intellexit caussam personę, & circunscriptionem. Et, Suscipere personam boni viri: &, Sustinere, idem alibi sæpe dixit. at neque suscipit substantiam neque mutari potest sine interitu.

Igitur

Igitur idem est, si dicas, Persona Ciceronis: &, Status consularis: sic enim ad Atticum scribens, cùm negat esse è dignitate consulari, dicta quædam iacere in Clodium, possis interpretari, non pertinere ad personam eius. Vnde autem dicatur, contrà quàm Gellius senserit, quótque significatibus aucta sit, in libris Originū amplissimè narratum est. Fuit & aliud imitandum, quod extabat natura: siquidem intererat, vt quod mas, fœmináve esset, & quod præterea neutrum, indicaretur. Quare quòd per marem fœminámque propagarentur genera, genus id dictum fuit: quod autem extra hæc duo esset, non directò significatu generis nomine accipi debuit (vt iocatur super ineptijs Grammatici lepidissimè Ausonius) sed per negationem. Neutrum enim, genus est, quia non est genus: ipsum enim nomen indicat, non esse genus. Hoc igitur est, quod non est. Hoc enim habent negationes, vt non ponendo ponant, veluti cùm dico, Nullus homo venit: hic actio est, sine persona: si enim non subest homo aduentui non erit actio. Nam præceptores mei hoc errabant, cùm more medicorum Neutrū genus ex vtriusque participatione constituebant. Temporum autem rationem fuisse necessariam intelliget, qui motum, quid sit, scit. Sed illud fuit animi officium, opúsque perspicacis. Nam cùm affectus varij sint in functionibus humanis, puta, Optandi, Imperādi, veritatem designādi, verba ipsa: quæ actiones significarent, inflexêre, eósque flexus Modos appellauere: propterea quòd aliter, atque aliter animi propensiones

temperarent. Videndum est igitur has dictionis affectiones, quę, quótve partes orationis, quibúsve de caussis sibi vindicent.

Substantias, quæ seipsis constant, easdē semper esse, qualicunque animi affectu notentur, manifestum est. Nam *Equum* pronunciaro vel optando, vel imperando, non mutabo: itaque cùm neque mei animi mutatione, neque temporis mensura mutetur, quin idem equus sit: neque nomina, neque nominum notæ pronomina, tempore aut modo variabuntur. Simpliciores autem notæ, quæ vincula tantum essent orationis, non magis potuere mutari, quàm vinctio ipsa in rebus. Si enim Cæsar cum Catone bellū gerit, neq; personam possis ei hosticæ conuentioni, neque numerum, neque alia apponere, vt varietur: idem enim semper est τὸ ὑπάρχειν ἐναντίον. Sic reiectæ sunt Coniunctiones, Præpositiones, Interiectiones: nudæ enim, & simplicis rei notæ sunt. Vnum venit in controuersiam, Aduerbium: nempe cùm dico Heri, Cras, videor tempora discernere. Sed non ita est, haud magis, quàm cùm dicam, *Dies*, *Annus*: tempus enim significat primo statim significatu: at verbum nō tempus, sed sub tempore. Itaque non vna eademq; voce, sed diuersis diuersa tempora sunt aduerbiis significata: itaque etiam à numeris exempta sunt: cùm enim essent temperamēta quędam verborum, verborum numeros sequi satis fuit.

Erunt igitur Nomina variata per Numerū, & Personam, sicut & Verba: peculiaria autem illis alia, alia his, de quibus suo loco. Nunc enim caus-

ſas declinabilium,& indeclinabilium vt perſcrutaremur, ſatis hæc hîc habuimus declarare.

CAPVT LXXIIII.

Affectus ſpecierum dictionis alterius modi.

Atque his quidẽ affectibus rerum ratio explicabatur: ſed & alij fuere potius, vt ita dicã, materiales: Figura, & Caſus. Caſus enim ad diſtinctionem intellectionis ſunt inuenti, non ex ipſarum rerum mutatione. Figura autem non ſemper à re. Nam quoniam vel miſtæ, vel compoſitæ eſſent ſubſtantiæ, compoſita quoque nomina fuere quædam, vt Tragelaphus, Vulpanſer: aut ſubſtãtia & accidẽs, vt Equiferus. At quędam fuere figuræ, quæ nihil oſtenderent in re compoſitum, vt perſonare, inſiſtere, & alia talia. De ſpecie autem dubitari poſſit: nam quemadmodum qualitas intellecta per ſe, à nullo tunc dependet, puta *Iuſtitia*: at in Cæſare eam ſi contemplemur, videtur ab eo & conſtitui & pendêre, iccirco videri quoque poſſit deriuatum nomen *Iuſtus*, ſubſtantiam ipſam tanquam ſui principium conſignificare. Illa omnino eſt in verbo materialis, Coniugatio: nihil enim refert quodnam in elementum abeat, modò actio, aut paſſio ſignificetur: quare diuerſæ inuenias Coniugationis idem verbum, *Lauo*, *Denſo*: *Lauare*, & *Lauere*: *Denſare*, & *Denſere*. Ordo verò, neque à re ſumptus ſeruatur, neque immutat orationem, niſi certis modis tranſponantur: neque enim eodem dicas modo, Omne viuens eſt animal: &, Animal eſt omne viuens: ſed ſtructura

omnino non mutatur. An autem sit proprius affe-ctus cuiuspiam, suo loco dictum est.

Hinc colligere possumus, cùm alij sint è rebus nati, alij materiam ipsam vocis potius sint secuti, ex quibusdam constare necessariò veritatem, ex aliis non necessariò: nanque vitiato tempóre falsa fit oratio: vt, Vergilius iterum nascetur. Si autem vities genus, non fiet falsa, Vergilius bona. Figura autem etiam falsam facit orationem, vt si dicas, Vergilius est poësis. Modorum autem solus Indicatiuus pertinet ad veritatem. Sed de his suo loco.

CAPVT LXXV.

Quòd Persona, & Numerus accidat omnibus partibus, & quomodo: & an Sexus Verbis addi debeat.

STatuæ intellectio non vniusmodi est, ita nec voces: statuam enim interdũ agnoscimus, vt est signum Cæsaris, interdum vt marmor est: posteriore modo, percipitur vt substantia: priore, vt refertur. Sic imago in speculo & res est quædam per se, & signum alterius rei. Eodem modo cùm voces rerum signa sunt, earum quoque naturam imitantur: vbi verò per se accipiuntur, ipsæ quoque tanquam res quædam intelligũtur. Quare tum Aduerbia, tum Coniunctiones, aliæque eiusdem modi, cum Nominibus Verbísque & secundas personas, & tertias obtinebunt: sed non eodem modo: nam Nomina Verbáque res significant, personas consignificant: Coniunctiones, atque cæteræ tales partes, rerum modos signi-

ſignificant, perſonas non conſignificant, ſed ipſæ ſub perſona conſignificantur. Exemplum rei huius hoc eſt: tractabo naturam huius coniunctionis *Quanquam:* in ea narratione ſemper apponam verba tertiæ perſonæ. Exclamabo ad ipſam oratorum more: vt in fabulis, O' cœlum, ò terra, ò maria Neptuni, quæ nihilo melius reſpondebunt mihi: apponam ſecundæ: conficiam Proſopopœiam, addentur primæ. Eodem quoque modo vox hæc, *Patres*, erit numeri pluralis, cùm ſignificabit: cùm ſignificabitur, ſingularis: qua ratione etiam pluralis numerus, dicetur ſingularis. Sed reſtat quæſtio, Quamobrem Verbo ſexum non addidere, id quod fecerunt Nominibus. At fieri debuiſſe vel ratione videtur poſſe comprobari: Nam cùm Verbum ſub tempore id ſignificet, quod Appellatio ſine tempore: ſicuti Appellationes ſecutæ ſunt fixorum naturam, ita etiam Verba ſequi debuere. At Appellationes ſexum, iuſta ſexum nominum fixorum, id eſt, ſubſtantiuorum, mutant: igitur etiam Verba mutare debuere. Curro enim curſum ſignificat ſub præſenti tempore, & albeſco, album. Si igitur rectè dictum eſt, mulier alba, quo in loco, album, mulierem ſequitur: eodem modo *Albeſcit*, quoque mutare genus debuiſſet. Satis igitur eſt colligere, fieri potuiſſe: breuitati autem conſultum eſſe, cùm factum non eſt. Quare Verbum, cùm tranſiit in Participium, facilè ipſum genus recipere quiuit.

Diuiditur igitur in Declinabilē, & in Indecli-

nabilem, quaternis diſpoſitis ſpeciebus: ibi Nomine, Verbo, Participio, Pronomine: hîc aduerbio, Præpoſitione, Interiectione, Coniunctione.

IVLII CAESARIS SCALIGERI

DE CAVSIS LINGVÆ LATINÆ, LIBER QVARTVS.

CAPVT LXXVI.

Nominis eſſentiam, tam ab appellatione, quàm à re ipſa, ſtatuit.

HACTENVS poſt partes, dictionis Subſtantiam ipſam venati ſumus, eiúſque Affectus: tum Species, earúmque affectiones in cõmuni: quibúſque eſſent cauſſis in vſum profectę. Nunc iam deinceps ſingulis libris ſingulorum ratio explicanda eſt, eodem ordine, quo res ipſas, quarũ notæ habebãtur, ſunt ſecutæ. Nomẽ igitur primùm exequamur: eſſe enim notam rei permanentis, ex iis quæ ſuprà diximus, ſatis conſtat. Itaque in ipſa appellatione comprehenſa eſt vis quædam actionis: quaſi ipſum eſſet cauſſa quædam notionis. Nam vt à Moueo, moui, motum, Mouimen, Mo-

Momen:ſic à Noſco,noui,notum,Nouimẽ,Nomen:eſt enim imago quædam,qua quid noſcitur: inſtrumentum quaſi quoddam cognitionis: ac veteres quidem rectam viam inſtitêre,cùm dicerent,quaſi notamen. Verùm minus rectè bonam ſententiam explicarunt: Notatum enim poſterius eſt,quàm Notum: ſic Notamen, quàm Nomen:vt è contrario ab hoc illud potius ſit. Fuit prius Noo,à quo Noſco: vt ἠρεμάω, à quo ἠρεμάσκω,apud Theocritum: Æoles enim ſic loqui cõſueuere.Multo minus audiendi ſunt, qui à Græco ὄνομα, quod παρὰ τὸ νέμειν,ſicut & νόμος,deduxere, quoniam quo pacto lex ſuũ cuique tribuit: ita & nomen ſuam cuique imaginem rerum reddit.neque enim rectè deductum intelligas ex ipſa,quam temerè auferunt,vocali. ſed ὄνομα rei vt titulus fuit,à iuuando. quaſi ὀνέομα:cuius vſu rem agnoſceres. Hæc eſt vocis origo. Res autem ſic ſe habet in definitione. Dictio declinabilis per caſum,ſignificans rem ſine tempore. omnes enim partes ſiue ſpecies dictionis, per genus ſuũ, ſcilicet per dictionem ſunt definiendæ: vt conſtet error grammaticorum , qui eam partem grammatices appellaſſent.Aliud enim eſt grammatica , aliud grammaticæ ſubiectum Dictio, ſiue Oratio.Sicut neque verum eſt quod aiunt alij,qui Grammaticæ partes quatuor fecere,Literam,Syllabam,Dictionem,Orationem.neque enim eſt grammaticæ pars Oratio , ſed totum ipſum argumentum quod vocant ὑποκείμενον.Quis enim dicat Architecturam diuidi in ædes?Differentiæ autem illæ neceſſariæ ſunt. nam Præpo-

ſitio non declinatur: Verbum remouetur per caſum, Participium per temporis priuationem: Hac tamen definitione non differt à Pronomine, niſi adhuc aliquid agas, ſic primò, vel ſine medio rem ſignificans. Nam pronomen hoc, *Qui*, Cæſarem ſignificat, ſed non ſtatim: primùm enim refert ipſum nomen hoc *Cæſar*, deinde rem ipſam. veteres autem vt in ceteris definitionibus, falſi ſunt, cùm dixere ſignificari, ſubſtantiam aut qualitatem, propriam, vel communem. Nam etiam aliud quàm ſubſtantiam ſignificant, vel qualitatem quippe quantitatem, relationem, ſitum, priuationem. τὸ ἔχειν, τὸ πῶ. Illi verò etiam ridiculi ſint, qui in nominis definitione rem à corpore diſtinxere, nihil enim infelicius grammatico definitore. Nominis affectus etiã accidentia appellauere, quoniam Græci συμβεβηκότα. verum ita intelligas, non κοινὰ, ſed ἴδια, quæ Quintilianus rectè propria vocat: ſunt autem ſex, Species, Genus, Numerus, Figura, Perſona, & Caſus. Atque horũ quidem quinque à veteribus confeſſa ſunt, perſona autem turpiter omiſſa. Principiò, ſi iccirco reiecere, quia eadem vox ſine vlla variatione, quamlibet cõſignificet perſonam, etiã à pronomine auferẽda erit: neque enim hoc pronomẽ *Ipſe*, vt primam aut aliam notet, variatur: neque hoc pronomẽ *Ego*, aliam, quàm primam indicat. Sed hîc quoque acrius iudicandum eſt: nam Pronomina perſonam ſignificant. At aliud eſt ſignificare, aliud cõſignificare: vt hoc nomẽ *Tempus*, ſignificat menſuram motus, verùm non cõſignificat motum. at nomen hoc *Perſona*, id quod ſu-

prà

prà diximus significat,sed personam certam non consignificat. sic Pronomen hoc *Ego*, personam significat quamlibet,pro quolibet enim nomine ponitur,sed primam tantum consignificat:quare cùm per personas non varietur, nõ assignabit affectum personæ Pronomini.Postremò id falsum videmus esse,quod de Nomine afferunt:idem enim nomen vt alio flexu casum, numerum, figuram mutat,sic& personam.Nam secundæ personę quinti casus omnes sunt,quos dixere Vocatiuos. Verùm neque hanc subtilem sententiã illi intellexere, & omnino tertiæ tantùm personæ nomina putarunt, adeo ineptè, vt nisi adiecto Pronomine,negarint posse dici,Homò curro. At ô bone, quod Pronomen agit, vicarius quidam: herus ipse, Nomẽ scilicet pro quo illud ponitur, non aget? ergo non Pronomen à Nomine, sed Nomẽ à Pronomine dependebit. At fuit aliquãdo,cùm nullum esset Pronomẽ: tum miseri mortales de seipsis nihil poterant enunciare.Concedunt pudẽtiores vsum verbi substantiui,& similium,Homo sum,homo fio, homo nascor, homo dicor:at quid est,Homo curro, aliud,quàm Homo sum currẽs? Itaque paulo modestius alij sunt nugati,Appellatiua huic vsui concessere.Propria sustulere:vt non nomini in suo genere competat variatio per personas, sed eius speciebus aliquibus:proprio autẽ non.Verùm qui intelligat,quid grammatica sit,facilè eorum reprimat audaciam. Est enim Grammatica scientia loquendi ex vsu: neque enim constituit regulas scientibus vsus modum:sed ex eorum statis, frequẽtibúsq; vsur-

pationibus, collegit cõmunem rationẽ loquendi, quam discentibus traderet. Igitur cùm tam apud Græcos, quàm apud Latinos prima verbi persona cũ proprijs nominibus posita sit: ídque & à probatissimis, & frequẽter factum sit: debuere ab illis isti leges accipere sibi, nõ de suo fingere potius, quàm figere. Omitto illud Euripidæ, ἥκω πολύδωρος. & in oratione Demosthenis contra Midian, παμμένης παμμένους ἔπαρχος, ἔχον χρυσόχοεῖον, ἐν ᾧ, & καταγίγνομαι & ἐργάζομαι. Venio ad nostros: Ouidius sic loquitur, Hospita Phyllis queror: in epistola Heroina. In fine comœdiarũ Terentij verba illa sunt: Calliopius recensui. Suetonius C. Cæsaris verba refert: Tantis rebus gestis C. Cæsar condemnatus essem. T. Liuius in primo, Romuli hæc: Hæc tibi victor Romulus Rex regia arma fero. Idem in persona Annibalis: Annibal peto pacem. Sallustius in oratione C. Cottæ consulis: En C. Cotta consul facio. Neque verò subest ratio, qua possis dicere, Homo lego: & nõ possis, Cęsar lego. Imò verò multo rectius: Cęsar enim ego sum, non alius. at alius homo æquè, atque ego. Quare in tertiam potuit transferri appellatiuum: proprium autem remansit mihi in prima. Est & illud validissimum argumentum, Nomen esse notam rerum. siue igitur tempus inspicias, siue dignitatem, primùm seipsum nominauit homo: at in homine, primo persona, & ab eo alijs communicata. Quid illud? si Nomini, in communi, vt nomen est, cõpetit casus: & tamen casuum variatio defecit aliquot nomina: ergo quid dicendum? Respondebunt, & re-

ctè: casus quidem esse, vt in nomine *Cornu*, sed per diuersa elementa non esse manifestos. Ita etiam nos, personarum ordinem in nominibus esse indiscretum, quem in vocatiuis apertè postea explicarent. Ex his constat Linacri lapsus; qui ita scripsit, Sine certæ personæ adsignificatione significare: quintus enim casus certam secundam præscribit. Et ipse in participij definitione dicit, Capere à nomine numerum & personam. Est autem persona primò nominis affectio; secundò verbi, quod ipsum sit Nomen secutum; vt diximus, quod, Prima: ad quod, Secunda: de quo, Tertia. Efficiens, finis, materia. Hæc est igitur nominis essentia, significare rem permanentem: at prisci id esse proprium eius ridiculè prodidere: qua inscitia etiam in alijs substantiam cum accidente confudere.

CAPVT LXXVII.

Quò quisque ordine affectus tractandus sit.

ORdinem quoque horum affectuum veteres inuertēte: nā vt quisque à Nominis ratione enatus fluxit: ita debuit explicari. Ac nemo debet dubitare, quin & Numerus, & Persona primas sibi sedes occuparint: sed numerus prior fuit. Nam primum & secundum, quod est in persona positum, est relatiuum: prima enim dicta est, propter secundam. At Numerus non est relatiuus, sed absolutus: absolutum autem prius relatiuo. Post Personam autem Genus editum est: videmus enim in pronominibus primitiuis genera confusa. Post Genus emersit Casus, quē expressit

ambiguitas: cùm primum sic essent locuti, Cato interficit Cęsar. Itaque vt distinguerent orationem flexum apposuere. Vltimæ fuere Species, & Figura: ac Species quidem multo magis necessaria, itaque Figuram præcedet, sine Figura enim constabit oratio, sine Specie non omnis constabit. Neque enim dices, Cato est iustitia. Atque ipso quidem Casu Species fuit præstantior: materiæ enim affectio simplex casus est: Species autem etiam ipsi rei necessaria est ad significandū: mutat enim Species modum significationis, Casus autē nō mutat. Sed serò & à philosophis ipsæ sunt Species introductæ, Denominatiuorum, & eiusmodi: at Casus vsu tantum exorti facilè sunt, ac propterea priores fuere. Sic igitur recensebūtur: Numerus, Persona, Genus, Casus, Species, Figura, Sed prisci ita peruerterunt: sicuti cùm ante Verbi aliarúmque partiū definitionem, propria eorum narrant.

CAPVT LXXVIII.

De Numero.

AC de persona quidem iam dictum est: coacti enim disputatione id fecimus: de Numero autem est hîc agendum. Numerus est quātitas, quæ per se ipsa diuisa ac cumulata vltimo termino ab aliis distinguitur. Est enim Binarius numerus duæ vnitates, Ternarius tres: quæ sua natura non sunt simul, sed cumulatione, siue aggregatione, siue appositione dicas, nihil interest. Distinguitur autem omnis numerus ab alio numero vnico tantum termino, eóque vltimo: vnā enim

enim habet dimensionẽ quantitas discreta, quippe longitudinem: fluit enim vnitas discõtinuata: neque enim rectè dicitur fluere. Cùm igitur omnis numeri vnitas initium sit, non different numeri inter se hoc termino vnde fluunt, sed eo in quo sistuntur. Hoc enim Quaternio à Ternione distat, vnitate scilicet postremo apposita loco. Occupatum autem est consuetudine, vt Vnum, etiam numerus diceretur: quare id quoque secutũ fuit, vt numerus alius diceretur Singularis, alius Pluralis: neque enim mediũ vllum est inter vnũ & plura: quoniã plura ex vno frequẽtato facta sunt. Quare Iones non rectè fecere, qui Dualẽ numerũ à plurali discerpsere: atque iccirco seueriores Æoles neque recepere, neque in Latinos transmisere. & nugacitas illa Ionũ in multis temporibus verborũ personas aliquot non potuit eruere in eo numero: in nominibus autem paucu-los casus expressere. His autem, quæ diximus, infelicissime grammatici obstrepunt: egressi enim è septis suis non possunt quin ineptiãt. Singularis, inquiunt, numerus verissimus numerus est, propterea quòd repetitus facit numeros, inque eum ipsi resoluuntur. Principiò, hoc est disputatũ in diuina philosophia, Vnitatẽ non esse numerũ, sicut neque punctũ quantitatẽ: neutrũque esse in prędicamento quantitatis, nisi tanquã principia. Multis autẽ argumentis deijciuntur de statu suo. Si enim numerus est quãtitas discreta, id est quãtitates diuisæ per superficies, & coniunctæ per comprehensionem, imò vero ipsa quantitatum ratio cõprehensarum: non erit Vnitas numerus,

non enim diuidi poteſt: idem enim eſt diuiſum, & diſcretum:ſicut idem concretum & indiuiſum. Sumptis quoque eorũ principijs, directo aduerſus eos colligamus. Numerus,inquiũt,ſingularis rectè dicetur: quia geminatus, aut multiplicatus cæteros omnes creat. Ergo numerus non eſt:hac enim ratione punctũ eſſet linea,linea ſuperficies, ſuperficies corpus.præterea Binarius,Ternarius, Quaternarius, non eſſet vnuſquiſque numerus ſeorſum: ſed Binarius, duo numeri: Ternarius, tres: non eſſet igitur quantitas, ſed quantitates: numerus enim quantitas eſt,ergo numeri quantitates.Nihil verò mirum hoc erraſſe,qui eum male iam definiuerant, Numerus eſt dictionis forma, quæ diſcretionem quantitatis facere poteſt. Principiò male aſſignarunt dictioni: neque enim competit dictioni, vt dictio eſt: omnibus enim competeret dictionibus : hoc autem eſt falſum. Deinde formam dixere, cùm tamen numerus ſit accidens.Et male dixere, diſcretionem quantitatis facere: ſed potius diſcretæ quantitatis modũ, aut differentiam notare. neque excluduntur Aduerbia illorum definitione: Nam Bis, Ter, formam habẽt dictionis,qua diſtingui poteſt quantitas.Proprium autem eſt Singularis, finitum eſſe:id eſt,certum: quia ſcimus quantum ſit hominũ,cũ dicimus, Homo.At pluralis infinitus eſt, non quòd fine careat, nihil enim in natura infinitum: ſed quia ſit incertus. Si enim dicas,Homines: quot ſint, neſcias: itaque additur aliquid præſcribens,vt Decem, viginti. Accidit autem interdum, vt eadem voce diuerſus numerus intelliga-

telligatur:quemadmodum eſt in ſecūdo caſu ſingulari ſecūdę inflexionis,& in primo plurali eiuſdem:in neutris pluralibus tribus,ac ſingulari fœminino : vt, *Sacra*. In quibus autem eueniat, in capite de caſu dictum eſt. Secutus autē eſt numerus grammaticorum, ſuijpſius naturam in rebus ipſis. par enim & diſpar, vt diximus, non ſimul adſunt eidem numero: ſic neque pluralis, & ſingularis: ſed ſatis eſt alterutrum vni voci ineſſe.Ac quemadmodum numerus quiuis addita vnitate acquirit rationem pluris, ita aut numero ſyllabarum,aut temporum, plurales numeri noſtri maxima ex parte,ſingulares ſuperarunt: *Poëta, Poëtæ: Dominus, Domini: Pater, Patres: Cornu, Cornua:* pauca enim aliter inuenias. Sed & in alijs caſibus ferè idem inuenies. Quare cùm idem numerus non poſſit eſſe vnus, & plures, & idem nomen vtrunque ſignificare queat, vt *Amor, Amores*, conſultum eſt huic rei, vt per ſyllabarum aut temporum appoſitionem, idem nomen eſſet ſeipſo maius,& aliquo modo à ſeipſo diuerſum. Hoc autem, vt diximus, maxima in parte nominum eſt, non in omnibus. Sermo enim temere inter agreſtia ingenia primùm ortus refragatur aliquando legibus doctiorum. Igitur quædam ſunt nomina eiuſmodi, vt numerum vtrunque obtineant, qualia diximus: nonnulla ſemper ſingularia: quædam ſemper pluralia: & in his quædam pro numeri natura numerum reddentia: quædam non: ſed alia ſingulari numero plura ſignificantia: alia plurali numero,ſingula. Semper igitur ſingularia, aut ſemper pluralia

vt essent, effecit aut natura, aut vsus. Natura sunt singularia, quæ certa sunt indiuidua, vt Sol, Cæsar. Item pluralia, quæ multa sunt, vt sunt hoc, quod esse dicuntur, vt Gemini, Pisces. Dico autem, Et sunt hoc, quod esse dicuntur: propterea quòd collectio illa plurium singularium maxima ex parte pendet ab intellectu: vsus autem tyrannide extortum est, vt quædam sine ratione essent singularia, vt fumus: nam quare non dicam duos fumos? & duos sanguines? Hæc igitur sine ratione. Quin etiam contra rationem: etenim Puluerem, & Arenam dicimus, totum illum cumulum, cùm tamen ipsarum partium minutarum potius esse debuisset. Pluralia autem quare dicas vnum diem, Saturnalia, Floralia, ratio subest. Comprehendit enim & ludos, & ioca & mercatus, & comessationes, & alia. At Ceruices quare dicebant, cùm Collum quoque dicerent: aut quare Colla, vnius tantum hominis? Emendat tamen sese aliquando publicus vsus tollendo quod statuerat, probatorum autoritate: quibus aliter placuit postea dicere: vt Ceruicem primus Hortensius pronunciauit: item Farra, & Mella, & Vina alij & quibus placuit idem nomen proprium diuersis imponere: vt mihi, & Iulio Cęsari Dictatori. Eadem quoque autoritate coacti sumus verum singularem in plures diuidere. Vna Gallia est, singulis vtrinque mõtibus, totidem maris limitibus, & fluuio Reno præscripta. quare igitur in tres, quatuórve Gallias diuisimus? cum vna Græcia, vna Italia diceretur. Ac sanè commodius Italia in plures potuit distingui: nam vetus

Auso-

Ausonia, quæ & Oenotria, & Italia nominata fuit, ne Tiberim quidem attingebat. Postea Romani ne Barbari essent, vi extorsere, vt ad Rubiconem vsque fines extenderentur. Octauius rerũ potitus, etiam nominum dominus esse potuit: atque etiam, si Dijs placet, ad Varum vsque propagauit: vt Alpes ipsas quoque, quas natura fixerat communes, à barbarie vindicatas, Latino nomini attribueret. Sanè verò, qui Nicæam in Italiam transtulit, potuit Italiam ipsam, ad sociam & participem vel nominis, vel gloriæ Romanæ Massiliam prorogare. Sed de his aliâs. Est & illud contemplandum: Nihil referre, vnum pluráve sint: an vnum pluráve putemus. Ita cùm ex diuisione prouinciarum ac præfecturis, Transpadanam, Cispadanam, Cisalpinam, Transalpinam, Belgicam, Celticam, Aquitanicam dixere, propterea quòd ita esse arbitrabãtur: sic philosophorũ quidam cùm plures Mũdos, Soles, Lunas intellexere: quod à nobis numero singulari prolatum fuerat, ab illis non est vitiosius in verbis quàm in rebus multiplicatum. Itaque Ioues etiã dicimus, & Veneres, & Cupidines. Itaque scribunt, Orbem terræ: &, Orbem terrarũ. Nam Terra nomen proprium est in singulari vnius elementi, quæ Elementum est, atque idem semper in sui similes partes diuiditur. Cùm autẽ in plurali ponitur est idem nomẽ literis, & materia, sed non substantia. Neque enim ex proprio fit appellatiuum, vt dixere: sed aliud est re, licet voce conueniat. Sicut in Casibus & Numeris idem quoque euenit: Nam; sacra generis fœminini,

numeri ſingularis,non eſt eadem vox cum pluralibus neutris:accidit enim,vt iiſdem ſcribatur elementis. Terræ autem diuiſionem auſpicati ſunt à familiaribus occupationibus, & ius ipſam iniuriam appellarunt: neque enim melius Terra debuit alij atque alij attribui,quàm aër. Itaque natura vindicat ſeſe, & mortuos Tyrannos non maiore tegit tumulo, quàm vnum ex oppreſſis, ſeſe omnibus æqualem oſtendens matrem. Quæ verò ſingulari numero plura ſignificant,naturam ipſam in euentibus rerum ſunt imitata: quippe vnus cumulus,vnus aceruus dicitur: at id vnum, plura ſunt:ita Populus, Turba, non ſine ratione ſimplici numero,multiplicem ſignificatum comprehendere. Nam Thebæ,& alia eiuſmodi,ſecuta ſunt conuentum libertatemq́ue ciuium: quorum omnium nomine,non vnius gererentur res: alibi enim appertius hoc declaratur: vt in Commentariis Cæſaris, Heluetij, Menapij, Aruerni. Multitudo enim in populis, non mœnia in vrbibus explicantur. Harum autem vrbium numerus cum ſingulari flexu profertur, vt apud Statium, Theba,ſequitur vnionem ipſam in ſignificando. Quæ igitur pertinent ad numerorum naturam, affectus,vſúmque,hæc ſunt.

CAPVT LXXIX.

De Genere.

NAturalia quoſdam habent affectus propter ſe:vt,mouentur animalia,quia ſentiunt:ergo vt euitent noxia, & vt commoda conſequantur,mouendi facultate prædita fuere. Alios affe-

ctus

ctus habent propter alia,non propter se: vt excre menta, sunt, vt cuius sunt, ipsis exonerentur.neque enim aliqui pili quibusdam in partibus hominis vllum propter se finem habent: nulli enim vsui sunt: sed vt fumosis exhalationibus illis vacet intus ibi corpus. Est & alius modus, vt generatio. affectus enim animalis est non propter ipsum, sed propter speciem. Nisi enim indiuidua certa producerent sibi simile,interiret species ipsis deficientibus.Quare generandi facultas eis data est:atque aliis quidem alio modo:perfectis autem,per sexum:in quibus mas, & fœmina distinguerentur. His de caussis,quæ voces sexus essent notæ, qua ratione id iudicarent, eam rationem Genus appellarunt, à potestate earum rerum, quæ significarentur. Sexus enim est alterutra potestas generandi. Neque rectè antiqui dictioni attribuere: Trium enim tantùm partium est,non autem Dictionis. Sed ipsi falsi sunt,cùm non esset nomen positum ei generi, quod peculiariter has tres solas partes capit. Alij addiderũt sic,Dictionis declinabilis:sed falsò:neq; enim Verbi est. Est igitur illius subalterni: sic enim media vocant:generis affectus terminatione sexum notãs. Sita enim est in fine vocis,vt Cæsar, Musa. Neque verò impedimento est, quòd etiam masculina terminatio cum fœminina concurrat: vt Murena,Aurata,quæ sunt cognomina virorum. Hoc enim accidit à cognominibus animalibus: sic Sylla,à prudentia, quasi Sibylla: & alia, quorum ratio fuit hæc secuta. Neque Barbara obsunt, Iugurtha, Iuba: illis enim ea fuerit terminatio ad

hoc officiũ, vt nostra nobis. Quòd si qua est vtrique sexui cõmunis, non destruitur iccirco definitio: vt, Leges, & Felix: intelligis enim vtrũque genus includi, quod nõ facies in *Lectus*, *Lecta*: aliter enim terminatur. Iccirco sapiẽter diximus, Notãs, non autem distinguens: nõ enim sẽper distinguit, ob verborũ scilicet penuriam: sunt enim res plures, quàm vocabula. Cætera autem, genera aut non sunt, aut hæc sunt. Ac de Neutro quidem diximus: nomen enim hoc, Neutrum, negat ipsum esse genus. Cùm enim dicis, Neutrum genus est, significas ipsum esse, quia non est. Sicut ἀνώνυμα quædam herbæ dictæ sunt: quæ quia nomen non haberent, nomen inuenere. Est autem Neutrum duplex: vnum, quod vtrunque simul reijcit genus: vt, *Scamnum*, neque enim aut mas, aut fœmina est: Alterum, quod neque reijcit, neque statuit: vt, *Mancipium*. Addidere autem, quod Incertum vocarent: vt, Dies: sed hoc ab ipsa re, neutrum quoque est. Sexus enim non nisi in animali, aut in ijs, quæ animalis naturam imitantur, vt arbores. Sed ab vsu hoc factũ est, qui nũc masculinum sexũ, nũc fœmininũ attribuisset. hoc itaq; nõnulli etiam Dubiũ appellarũt. At illud ferendũ non fuit: cùm animalia quædã suis generibus nõ notarẽt: hãc negligentiam Græci vocarũt genus ἐπίκοινον, pessimè: nã κοινόν, id quod Duo comprehẽderet genera nominabãt. hoc autẽ Alterutrũ tãtùm cùm recipiat, non potuit habere præpositionẽ ἐπί: addit enim quãtitatẽ mathematicis. vt ἐπίτριτον. Nostri melius promiscuum, quòd differret à communi: quoniã cõmune idem æquè caperet

vtrun-

vtrunque sexũ, & esset vox generica aut specialis capiẽs indiuidua: vt homo, cui aliquãdo fœmininum: aliquãdo masculinum apponeres adiectiuũ vt homo bon⁹, homo bona. At Promiscuo nõ itẽ: sed alterutro sub sexu captæ voci, vtrũq; sexũ assignares: vt passer albus, etiã de fœmella. Is autẽ defectus cùm in vsum furtim irrepsisset, timiditatẽ quadã fotus est. Nã vt Mulus, Mula, Ceruus, Cerua, quare non Aquilus, Aquila, & cùm haberes θῦνος, θυνὶς, quamobrẽ nõ dixisti, Thunnus, Thũna. Nã quę admittũt cõmunes terminationes, ausim ego cõmuni quoq; genere insignire: vt hic & hæc ouis potius dicatur, quàm aut hæc, aut hic vel hæc, vt etiã veteres pronunciabant. Atque illi quidẽ, cùm Taurum rectè dicerent, etiã ad cõuiciũ *Taurã*, cõmenti sunt. Quare igitur voluptatis diuerticula quęsiuere: necessitati aũt nõ inseruiere? verùm nulla ars repẽte perfecta extitit. Ille verò in multis vocib⁹, sic in vocũ terminatione fatalis defectus fuit, cùm tria genera vnica vnius vocis terminatione comprehensa sunt: vt *Felix*: vna enim vox est, materiã si spectes: at si formã introspectes, tres sunt vna facie. Illud quoque ex antiquis est cautius accipiendũ: Nã cùm discrimẽ generũ statuunt, per notã Pronominis, à posteriori accipiunt cognitionẽ: neq; enim Cæsar, est generis masculini, quia ei præponitur hic: sed cognoscitur ita esse quia ita præponitur: pręponitur autem, quia est. Hæc de re ipsa. eorum autẽ voces etiã sunt declarãdæ. Nã *Mas*, *Osca* dictio fuit cõcisa à Mamerte: Mamers enĩ & Mauors, & *Mars*, fortem apud illos significarunt: non quòd magna

vorteret, vt aiunt: neque enim Latinæ voces fuere. Fœmina autem à fœtu: fœtus autem παρὰ τὸ φοιτᾶν: nam hoc verbo veteres rem Veneream significarant pudenter: ſicut Latini, Coire: quid enim purius, quàm comitem eſſe? item conſuetudo: ſic Græci συνεῖναι, & συγγίνεσθαι, & alia multa, quæ in libris hiſtoriarum diligenter annotauimus. Diſputarunt autem Grammatici Maſcula genera, an Maſculina dicenda eſſent: & Feſtus in XII. Maſculina mauult, quoniam Græci quoque ἀρρενικὰ καὶ θηλυκὰ, non autem ἄῤῥενα, & θήλυα. Idem Feſtus in primo, Fœmineum dicit Genus, non Fœmininum. Recentiores delicati malunt dicere, Generis neutrius, quàm neutri. ſed antiqui ſic inflexêre, Vter, vtri, vtro: ſicut, Vnus, vni, vno, vnum, vne: vt eſt apud Catullum. & Terentius, Mihi ſolę. Et vt nomen generis differat à cõmuni illa voce negatiua, prudenter, qua potuit, effectum eſt. Proprium autem Generum eſſe, pati mutationem, ſatis patet ex genere incerto, vt etiam Armentas, dixerit Ennius, quæ nos Armenta. Sed de his in hiſtoria originum ſatis dictum eſt.

CAPVT LXXX.

Caſus.

NVnc eo ordine, quem pręcepimus, de Caſibus agẽdum eſt, operoſo ſanè negotio. Caſus igitur, per veterum definitionem, quid ſit, nõ ſatis cognoſci poteſt: quippe, & Nomen per Caſum, & Caſum per nomen cùm definiant, neque hæc inter ſe ſint relatiua, circularis erit cognitio: ſic

ſic enim vocant philoſophi, cùm ignotum per ęquè ignotum explicatur. Nam ſi nomen eſt declinabile per caſum: Quæro, quid ſit caſus. Eſt declinatio (aiunt) nominis. quare per hæc nihil notum mihi fit. Sed addidere, Vel aliarum caſualium dictionum, quæ maximè fit in fine. At verò Caſus non eſt declinatio: Declinatio enim duo ſignificat: Actum illum inflectendi primo ſuo ſignificatu: motum enim notant eiuſmodi verbalia, vt ambulatio. Id non eſt caſus: non erit igitur hoc modo declinatio. ſecundo, ſignificat caput quoddã, ad quod reducuntur eiuſdẽ flexionis nomina: vt primã, ſecundam, & alias dicimus: ne ſic quidẽ erit caſus, declinatio. Caſus enim ipſi ad ea capita reducuntur. Quod autẽ ad aliquid reducitur, nõ eſt cum eo idẽ. Reducere enim notat motum: at omnis motus ſtatuit priuationem: igitur ſi idem eſſent, idem careret ſeipſo. Voluit igitur intelligere declinationem ipſam mutationẽ terminationis: ſed Caſus nõ eſt illa mutatio, ſed hoc ipſum quod iam mutatũ eſt: Caſus enim Vocatiui eſt, *Bone*, quod iam eſt mutatum à *Bonus*, non nũc mutatur. Itaque vox hęc, *Caſus*, eſt pręteriti temporis, declinatio præſentis. Præterea Species eſt declinatio nominis, hoc modo per terminationem: vt à Iuſtitia Iuſtus: hæc enim eſt definitio Denominatiuorum. Quid, quòd illa verba, Quæ maximè fit in fine: perturbant, non declarant. Nam vox hæc, Maximè, accipitur pro eo, quod eſt potiſſimum. At potiſſimum remittit interdum amplitudinem ſignificati: vt cùm dico, Potiſſimum hyeme pluit: ſignifico

non ſemper ęquè pluere:quare oſtendunt ea verba, euenire aliquando, vt Caſus non fiant in fine vocum,ſed alibi quoque.Quòd ſi eò confugiant, vt dicant, Maximè,idem eſſe quod, Semper: adderent potius vocem manifeſtam, Semper. Verùm ne id quidem faciunt docti: Definitiones enim ita ſunt natura comparatæ, vt hoc aduerbione,egeāt.In ipſis enim ſigna vniuerſalia,tum numerorum, tum temporum neceſſariò, & ſemper intelliguntur. Idem enim dicas, Homo eſt animal:&, Omnis homo eſt ſemper animal. Cùm enim à ſubſtantia confiant definitiones, ipſáque abeſſe nequeat:& de omnibus, & ſemper dicentur:erit igitur caſus terminationis effectus diuerſus à prima impoſitione:eſt enim idem nomē alteri⁹,atq; alteri⁹ caſus,quia alia atq; alia terminatione mutatus eſt.Is autem affectus eſt in pręedicamento Qualitatis, in capite de figura. Intelligo figuram mathematicam, non autem iſtam falſam de qua mox. Eſt enim Figura terminus quantitatis:igitur hæc vox *Poëta*, quantitate certa,& figura eſt:A,enim vocali clauditur.At vox hæc *Poëtarum*,alia quantitas, alia figura terminatur. Eſt autem affectus is Nominū primò,& verò:Pronominum autem,quatenus illorum vicarij ſunt:Participiorum, vt in ipſis Nominum natura ineſt. Sicut ego ſum calidus, quia ignis calidus eſt, qui in me eſt: ita proprium accidens alicuius,poteſt eſſe hoc modo commune:quoniam ſubſtantia illa,cuius eſt proprium,eſt ſubſtātia imperfecta,& comparata ad vlteriorem finem, quàm ſuum: cuiuſmodi ſunt elementa, quæ non ſunt popter ſe,

ſicut

ſicut neque materia prima. Illud in memoria habendum eſt: Si quæ voces caſu diſtinguuntur, quę tamen non ſunt mutatæ, vt *Muſa*, in Recto, & Vocatiuo, hoc defectu materiæ, non formæ euenire: Quæ fuit ratio, vt etiam æquiuoca nomina orta ſint. Dico autem diuerſam à prima impoſitioné: inuentores enim nomen indidiſſe Recto patet ex vſu loquentium, qui præſentis temporis primam perſonam, θέμα appellant, & Rectum ipſum θέσιν nominis.

Caſus eſſentia hæc eſt: igitur de numero eorũ, déque appellationibus nũc agendum. Cadere dicimus moueri deorſum naturaliter: intelligo naturaliter, ſecundùm graue. Nam alia, quæ ingreſſu, aut volatu, aut alio quouis modo deorſum mouentur, non feruntur naturali motu grauitatis, ſed voluntario: quo motu etiam ſurſum ſubeunt. At naturalis motus ad vnum tantùm fit. Quare palus erectus, aut columna cum ruit, cadere dicitur: non quia tota deorſum feratur, ſed quia plurima eius pars. Tranſlatum eſt deinde, vt quoties aliter quid aut eſſet, aut eueniret, quàm aut prius erat, aut ſperabatur, verbum hoc vſurparemus: vt, Cadere cauſſa, in qua erat: Cadere ſpe: Excidere memoria. Corporis enim ſolius intereſt naturaliter moueri: ſed ad res corpore carentes tranſlatum fuit. Huius verbi origo tota Græca eſt à præterito medio τοῦ χάζεσθαι. quo ſono integro præſentis etiam nunc Vaſcones pronunciant. Cùm igitur apud Homerũ dicãtur verba excidere ab ore, à mente quoque cadant neceſſe eſt. Quare cùm à cadendo Caſus ſit, paſſiua forma, vt Occaſus

Sol, quemadmodũ suprà diximus, qui iam occidisset, in XII. tabulis legebatur : Casus appellatione etiam Rectum ipsum afficere ausi sunt, quia à mente caderet imponentis. Sed cùm nos de affectu nominum scribamus, non erit ea recta sententia : reliquæ enim quoque partes Casus dicerentur : igitur nõ esset nominum affectus ex mutatione finali, sed sine mutatione cuiusuis vocis: vt *Heu:* vt appareat, quàm negligenter sibijpsis isti aduersentur. Sed ferendi eò erant, quòd vera dicerent, quanquam non secundùm ea, quæ proponerentur. At contrà, qui ita sentiunt, Casus omnes esse Rectos, quia à generali cadunt nomine: sanè ineptiunt. nam quid est hoc, quod generale nomen appellant? *Nomen* ipsum? At quis dicat, *Cæsarem* à nomine cecidisse, in quo nunquam fuit: quis *sputum*? cuius ne vnam quidem habet syllabam. Materia igitur huius, ab illius non cecidit. Quòd si hoc ab illo contemplantur, quia illius species sit, sanè non cecidit: quis enim dicat speciem à gènere cadere? in quo est vt pars comprehensa prædicatione : & in qua illud est vt pars constituens essentialis, vt omittam tempora verborum futura casus, quoniam à verbo generali cecidissent. Ergo alij subtilissimè dixere, Rectum esse Casum, quoniam ipse est qui cadit, cùm desinit esse Rectus, & fit Casus. Si enim Rectus est, qui declinatur, qui flectitur, nempe erit Casus. Itaque Aptota vocata nomina, in quibus rectus non caderet. Verùm ne hi quidem sunt audiendi: Nam quæro, Rectus antè quàm cadat, Casúsne sit? si est casus ante quàm cadat, ergo sine caussa,

sa,id est, sine mutatione & flexione erunt obliqui casus. Sin hi casus sunt,ille non fuit:mutatum enim non est idem. Quidam vbi deiecti sunt his rationibus, ad alia commenta confugêre: eũdem esse posse & Rectum & Casum: quia stylus è manu postquàm cecidit,rectus adhuc est. Hîc fallacia est Recti & Erecti: iccirco duplex fuit vox, εὐθεῖα, & ὀρθή.interpretamur primam vocem rectam,alteram erectam. Rectæ ratio est à partibus, ne extremorum tenorem egrediantur: nam qui sic definiunt, Breuissima extensio, per proprium, non per essentiam definiuere.Erectæ autem ratio est à situ, & relatione vniuersitatis:cuius scilicet partes extremæ non egrediuntur lineam mundi perpendicularem. Ita etiam curuus stilus poterit erectus esse, & stilus rectus, iacens: opponitur enim Recto Obliquum, Erecto autem Iacens. Iccirco dicimus in definitione Erecti,cuius extremæ partes non exeunt lineam mũdi perpendicularem.quoniam etiam curua erecta esse possunt. Verè autem Erectum sic intelligas: nam Nutans licet non sit Iacens,non tamen verè Erectus est: sed est, vt aiunt, in fieri:definitiones autem rerum sunt perfectarum. Hinc Nominatiuum vocabimus εὐθεῖαν Rectum, quia breuissima nominis extẽsio est: vt linea recta:iccirco εὐθὺ apud Græcos significat statim ὀρθὴν autem, quia stat: neque dum flexa est:erectum dicas, si lubet. Cæteras autem partes inflexi nominis, à Recto quidem Obliquas,ab Erecto autem casus.Sed rectius fiat,vt obliquorũ nomẽ omittas:nullo enim modo potest competere ratio curuitatis. Casum

autem appelles illam terminatam mutationem, exemplo Aristotelis, τῇ πτώσει διαφέρειν τὰ παρώνυμα τῶν πρωτοτύπων.

CAPVT LXXXI.

Enumerantur Casus: explicatur vsus: recipiuntur Nomina.

CAsus, voce largius cum recto quoque communicata, videamus quot sint, & qui, & quare non plures, quàm à veteribus traditi sunt, neque pauciores. In omni actione est id quod agit, id quod fit, id quod factũ recipit, priuatio, & finis cuius caussa fit. Quinque casus fuere necessarij: Agens, Rectus: quod fit, Secundus: cui fit, id est finis, Tertius: quod recipit, Quartus: priuatio, Sextus. Agit enim faber, facit formam freni in ferro, facit Cęsari, recipit formam ferrum, quod carebat ea. Ita constitues orationem, Faber cudit ferrum Cæsari ex catena. Interroges igitur, Quid facit ferro? Formam freni: ex catena. in catena enim non erat. Ac quanquã videtur forma illa esse finis: imposita enim forma, cessat artifex: tamen non est finis vltimus: est enim finis operæ, id est, actionis, non autem operis. fit enim propter equum Cæsaris. Sic & super Quarti natura poterat dubitari: videtur enim formam nõ materiam significare, cùm dicimus, Aedifico domum. At rudibus philosophiæ hoc veniat in mentem: Domus enim & materiam dicit & formã: Vocabulũ igitur hoc facit, non autem casus. Cuius rei signum est, dicam, Cædo lapides: hic nihil est, præter materiam: Cæsura autẽ forma est, puta Iouis, aut Cæsaris. Ita in domo, si formam à materia intellectione distinguas, sic dicas, Lapides cuius sunt?

ſunt? Domus:à forma enim hoc habēt, vt ne ſint, Pontis, aut alterius rei. Mutantur autem locutionibus Caſuum rationes: aliter enim accipias in paſſiuis: ſed ſimplex inuentio rerum talis ab ipſis principijs fuit. Quoniã verò ſermo inſtitutus eſt, vt dicebamus, quo cum altero ſententiam noſtrã communicaremus: iccirco Quintus caſus inuentus eſt, cuius officium vocandi eſſet. Sapientius autem à nobis fit, quàm ſit factum ab antiquis: cùm ordinis nomen indimus caſibus, Primum, Secundum, Tertium, non autem officiorum. Nã cùm in varios vſus fuſi eſſent, non ſolùm diuerſa nomina, ſed etiã ſuperuacanea ſunt ſortiti. Quid enim Vxorium caſum dixerunt Secundum? modeſtius alij Patrium, prudentius Poſſeſſorium. Nam Hectoris Andromache, non eſt Vxorius, ſed Maritalis: ſicut apud Valerium, Terentia Ciceronis. Ita cùm dicis Cæſar Syluij pater, Filialis ſit, ſi ſit Patrius ibi, Syluius Cæſaris. Sic enim Cicero: Cato, huius pater, qui Vticæ ſeſe interfecit. Qua ratione etiam Genitiuum nominarunt. Quid? non'ne erit etiã Carpētarius, cùm dicã, Carpentum opus Epei? Sed grammaticis nullus finis ineptiendi. Datiuum non ineptè dixere, Acquiſitiuum melius: nam quòd contraria natura inuenitur: vt, Aufero tibi librum: hîc etiam acquiſitionem intelligamus: nam recipit ablationē. Accuſatiuũ peſſimè Latini, Græci mitius αἰτιατικὴν, vt cauſſa ſit, non accuſatio. nam ſic oportet dicas Sextum caſum, Defenſorium: nam quemadmodum eſt, Contra Vatinium: ſic erit, Pro Vatinio. Sed & ridiculum ſanè: etenim vt eſt, Accuſo

Clodium:ſic,Defendo Clodium:potior autem de fenſio eſſe debet. Salutatorium etiam Vocatiuum,non malè: ſed hoc generalius:etiam ſalutâs, vocas:neque enim Vocare primo ſignificatu fuit, arceſſere, aut ciere:ſed, vocem edere: poſtea fuit, nominare. Sic Clamare,vocem contentam edere, poſtea appellare : vt apud Plautum tranſitiuè, non abſolutè, Clama hominem, καλεῖν. Ablatiui quoque nomen non ſemper ſeruit, ſed etiam dat: A Cæſare datur regnum Antonio : niſi dicas,auferri ab eo quod dat,id quod datur,& rectè. Septimus autẽ à Sexto non magis diſtat, quàm Genitiuus à ſeipſo cùm aliud quàm gignere, & Datiuus aliud quàm dare ſignificat. Is autem caſus Septimus,vt voluere,vt nos Sextus,habuit rationem inſtrumenti:nam hoc quoque inter cauſſas numeratum eſt. Ac Platonici quidẽ,inter quos etiam Galenus fuit, inſtrumentariam cauſſam ab alijs diſtinctam poſuere : at Peripatetici(vt omnia)ſapientius , ad genus cauſſæ efficientis : eſt enim Malleus efficiens Annuli : neque ipſe ſine Aurifice , neque ſine ipſo Aurifex ; ſed ita , vt ſi Malleo non agat , agat alia re, quæ illius loco ſit. Adeo vt Ariſtoteles etiam ipſam motionem inter efficientes numerarit.Igitur in recto non potuit eſſe,propterea quòd ſimplex eſt. In ſexto caſu fuit , quomodo eſt efficiens in paſſiua locutione: vt idem ſit, A Cæſare, & à Lancea vulnus factũ eſt:vtrunque enim eſt agens.Itaque & à Lancea , & Lancea : quare cùm neque Cæſar ſine Lancea , neque Lancea ſine Cæſare vulnus poſſit facere, & tamen Cæſar multò potior ſit,quippe

pe agens à ſeipſo. tenuit priſcus vſus, vt præpoſitio hæc *Cum*, adderetur: ſicut, Theſeus cum Hercule. Verùm quia non erat ſocietas ęqualis, ſed verus motus actiuus in agente, motus paſſiuus in inſtrumento, ſuſtulerunt præpoſitionem, qua verus comitatus in alijs indicaretur. Ratio igitur, & vſus ſequens rationem priſcus ad hunc modum fuit. Nunc verò cùm grammatici negant inueniri dictum à doctis cum præpoſitione, falluntur. Nam in quarto Faſtorum, in antiquis exemplaribus Florentinis ſic ſcriptum fuit:

Hæc modò verrebat raro cum pectine terram.

Verùm ita in codicibus doctiſſimi viri Gryphij emendatum inuenimus:

Hæc modò verrebat ſtantem tibicine villam.

Nec diſplicuit feſtiuitas priſcæ vocis, fulturáque caſæ tenuioris. Sed is loquendi modus fuit peculiaris illi poëtæ: cùm alibi, tum in primo Trāſformationum,

---Concuſsit térque, quatérque
Cæſariem: cum qua terram, mare ſidera mouit.

Plinius quoque in lib. IX. de mollibus loquēs piſcibus, ſic ſcripſit: Cæteri cirri, cū quibus venātur. Proprium autem eſt Sexti, & Secūdi mutuò ſubire ſedes quaſdam. Quædam enim verba æquè ipſos reſpiciunt, vt Egeo, & eiuſmodi: ſed & alio vſu loquendi: vt, Imperator miræ fortunæ: & Mira fortuna. Vbi ſi multa iungantur cola, idem caſus ferè repetitur: Bonæ indolis, ſummæ ſpei, raræ fidei. Plinius variauit lib. VII. Chormandorum gentem ſylueſtrem, ſine voce, ſtridoris horrendi, hirtis corporibus. Alius dixiſſet, Stridore

horrendo: vbi etiã vocẽ à ſtridore oris malè ſeparauit. Sed & Cicero eodem modo elegantiã condiuit varietate: Lentulũ noſtrum, eximia ſpe, ſummæ virtutis adoleſcentem. Vbi ſemper inuenies adiectiuum: nam exemplum ex inuectiua in Salluſtium falſò addúcunt, ſic, Quos protulit Scipiones, & Metellos, ante fuerint opinionis. legunt enim docti, Tantæ, & rectè.

Rectus autem, & Quintus apud Atticos idem fuit: quos etiam poëta imitatus eſt:

Corniger Heſperidum fluuius regnator aquarum.
& in pleriſque vocibus tam Nominũ, quàm Pronominum, atque etiam Participiorum adhuc ita eſt. Iccirco in oratione vtrunque ſimul iunctum inuenimus: vt apud Plinium in VII. Salue omnium primus, parens patriæ appellate. Nam ea verba, Primus, & Appellate ſimul coëunt in conſtructione. Illud autem ex Virgilio,

Nate, meæ vires, mea magna potentia ſolus,

Nate patris ſummi, qui tela Typhoëa temnis:
duobus modis aptari poteſt, vt eximatur ex eo modo dicendi: primò, vt ſolus ſit magna potentia: ſecundò, qui ſolus temnis tela.

CAPVT LXXXII.

Caſuum ordo, quare talis ſit.

EX his patet ordo: Nam efficiens, cùm ſit omnium primum, Rectum habuit: & quia primam habuit poſituram. Secundum locum forma occupauit: eſt enim ſtatim in animo efficientis, vt materiæ eam imponat: quippe, vti dicebamus, operæ finis eſt. Proximam huic ſedem vindicauit is, qui vltimum finem ſignificauit. Reliqui erant duo:

duo: alter materialis, quem Accusatiuum dicebant: alter, qui signaret priuationẽ: iccirco merito huic illum præposuere. Vocatiuus autem postremo loco fuerat collocãdus. verùm Sextus cùm totus Latinus sit, atque ab ipsis, cæteris additus, omnium vltimus fuit. Neque enim verum est, quod aiũt, ἐμέθεν, σέθεν, Sextum fuisse Græcis: non enim flectitur: sed est, sicut apud nos, cœlitus. Itaque etiã alios sic inuenias, οὐρανόνδε, οὐρανόθι. quare etiam plures casus sint. cæterùm aduerbia loci sunt, vt θύραζε. Quid quòd illa addita terminatio non semper distinxit. nã etiam præpositio addita est, οὐρανόθι πρό. sicut & φι, quæ particula omnibus additur casibus, neque ipsos variat: & omnibus numeris: id quod ab Vrbano diligentissimè ex Homericis obseruationibus collectum est.

CAPVT LXXXIII.

De ijs, quæ vnico casu constant, & pluribus. & an Aptota inueniantur.

QVemadmodum igitur interdum videmus nomen quodpiam, verbúmve voce conuenire: vt, face: neque tamen eadem est natura: ita quanquam quidam casus eiusdem vocis, limitibus ijsdem contineantur, nihil tamen impediet, quin sui quæque vox Casus naturã vsúmque seruet. Sunt enim quædam nomina per omnes Casus variata, quæ iccirco Senaria dicta sunt, vt Solus. Quędã per quinque, vt Pater: quę, Quinaria. Quaternaria: vt, Puer. Ternaria: vt, Turris. Simplicia, quæ vnũ tenorẽ semper obtinent: vt Frugi. Binaria autem, siue Bipartita quidam fecere, addũtque

exemplũ à Genu: propterea quòd in Secundo,& Tertio, & Sexto producat, in Recto, Quarto, Quinto corripiat vltimã syllabam. Apud poetas tamen eam semper productam inuenias:

Nuda genu,nodóque sinu collecta fluentes.

est Genu,Quarti casus,sicut & Sinus fluentes. Neque necesse est inueniri defectus hos in omnibus numeris: vt quoniam sint, Singularia, & Ternaria,& deinceps,etiam Binaria statuãtur.casu nanque, non consultò hæc euenere: quin etiam si consultò factum esset,ad id non cogerentur.sicut in natura animalium,sunt Bipedes,sunt Quadrupedes, Sexpedes, Octopedes, Tripedes autem non sunt. neque in arte. nam culinarij Tripodes sunt:quadrupedes vt essent,non placuit.

Antiqui igitur sic minutatim collêgere. Senaria Modum habent vnicum,vt Solus.Quinaria duos,Rectum eundem cum vocatiuo: vt, Mater. is primus modus est:Alter,cum idem est Tertius cum Sexto:vt,Marcus. Quaternaria sex:Primus, Genitiuùm cum Datiuo, & Vocatiuum cum Ablatiuo:vt,Æneas. Secundus,Nominatiuum cum Vocatiuo,Datiuum cum Ablatiuo:vt,Aper. Tertius,Genitiuum cum Vocatiuo,& Datiuum cum Ablatiuo: vt, Iulius: Genitiuum enim vnico I, scribebant. Quartus, Nominatiuum cum Vocatiuo,& Genitiuũ cum Datiuo:vt,Dies. Quintus, Nominatiuum cum Genitiuo, & Vocatiuo, Sextus,Nominatiuum cum Accusatiuo & Vocatiuo:vt,neutra,Sidus, Scamnũ. Ternaria quoque sex fiunt modis:Primus,Nominatiuum cum Genitiuo, & Vocatiuo: Datiuum cum Ablatiuo: vt,

Turris.

Turris. Secundus, in ijs, quæ ſunt ſicut *Portus*. vbi antiqui Datiuum eodem ſono, quo ablatiuum proferebant. Tertius in ijs, quæ ſunt ſicut *Poëta*: nihil enim habent præterea, niſi *Poëtam*, & *Poëtæ*. Quartus in ijs, quæ ſunt ſicut *Thiſbe*: in quibus idem eſt Nominatiuus, Genitiuus, Datiuus, Vocatiuus, Ablatiuus. Quintus, in Græcis fœmininis in, o, antiquorum more. Sappho, Sapphonis, Sapphoni. Sextus, vt in neutris Secundæ, ſcamnum.

CAPVT LXXXIIII.

Veterum dicta examinat diligentius.

HAs minutias omittere aliquando in animo fuit: ſed nequid deſideretur, appoſuimus: ſimul vt veterum errores caſtigaremus. Primùm, ſingulares tãtum caſus ſunt proſecuti: at enimuero plurales aliter ſonant: iccirco tota hæc via non ſolùm inutilis, ſed etiã falſa. Præterea capita quoque ipſa non omnia vera ſunt, inter quæ illa emendes: nam Ternariorũ ſecũdus modus idẽ eſt cum primo: nam in Portu, & Turri, ijdem ſunt caſuum modi, ſi literas ſpectes, Nominatiuus, Genitiuus, Vocatiuus, vnus: Datiuus, vt priſci, *Portu*, & Ablatiuus vnus. & Tertius, accuſatiuus. At enimuero differt Genitiuus, Portus, à nominatiuo ſuo ſyllabæ finalis productione. Itaque ad maiorem numerum referenda hæc erunt: ipſi enim Binaria agnoſcebant, ex eiuſdem vocalis diuerſa quantitate. Quare Tertius quoque modus Ternariorũ reijcietur in Quaternaria: nam *Dea*, aliter ſonat in Nominatiuo, aliter in Ablatiuo,

Quartus verò etiam ridiculus est. Quis enim dicat in *Thisbe*, eundem esse vel Genitiuum, vel Datiuum cum Recto? quem ab eo diphthongus longè diuidit: vt suspicari libeat, iam Diomedis tempore desitas esse diphthongorum pronunciationes. Quintus quoque modus explodendus est: Nam si veteres sequimur, vt Sapphonis, & Sapphoni dicamus: etiam Sapphonem, etiã Sapphone, addemus. integrum enim declinabant. Sin cultioribus sæculis obsequamur, in aliam mox formam erunt redigenda.

Hæc igitur omnes sibi habent casus, eorum enim vsus omnibus præstò est: at casuum formam desiderant: verùm inueniuntur nomina multis defecta casibus. quædam etiam omnibus, præter vnum: vt, *Sponte*. is enim Sextus casus cùm sit, sui vsum cum aliorum nullo communicat: quare hæc Græci rectè Μονόπτωτα dixere. alia verò quibus duo tantum relicti essent, Diptota: vt, Iuppiter, rectum tantum & vocatiuum habet, reiectis antiquorum, Iuppitris, Iuppitrem. alia, Triptota: vt, Iouis, Ioui, Iouem. reiecto Recto antiquorum, eo versu,

Quem Iouis ipse tremit. In quo Apuleius secutus est vetus carmen, quod recitatur à Martiano.

Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Et Tetraptota, & Pentaptota, à numero quoque dicas, si inuenias: vt pronomen Ego, caret enim Vocatiuo. Hexaptota autem etiam Παντάπτωτα nominauimus, quoniam omnes casus complectèrentur.

Si igitur, vt ostendimus, aliud est, esse Bipartita,

Tripar-

Tripartita, Quadripartita: & aliud Diptota, Triptota, Tetraptota: satis constat, veteres non rectè inuexisse, Aptotorum appellationem. Nam, Frugi, & Nihili, non carent casibus, vt dixere: sed Nihili, Monoptotum est, casus scilicet Genitiui: vt sit Homo nihili, sicut homo nullius precij: & Frugi omnium casuũ est. omnibus. n. casibus iungitur, licet voce non varietur. Si enim id tolleret casuum naturã, non posses dicere, Turris magnæ: quoniam Turris in nominatiuo ius sibi certum occupasset, quo excluderet Genitiuum. Verùm, vt dicebamus, materia tantum, id est voce sola cõueniunt, forma autem distant: vt homo pictus, & homo verus. Illa verò etiam ἀπόδειξις est inuicta: Si nominis definitio est, per casus variari: ergo casus est, aut essentia nominis, aut ab essentia fluens: Omni igitur nomini competet. His autem capitibus vsi sumus appellationibus vulgaribus, Genitiui, Datiui & aliorum, ne si Primum & Secundum, & Tertium, vt polliciti fueramus, dixissemus, confusa esset oratio, in qua identidem eadem nomina inculcanda erant, Primus modus Secundus modus.

CAPVT LXXXV.

Singulorum casuum ratio, quæ pertinet ad terminationes.

CAsuum ortus, vsúsque is est. Verùm nõdum acquiescit animus: reddenda enim caussa est ipsius terminationis: siquidem casus Terminatio est. ac pleraque sanè ad Græcos referre, nobis satis sit, à quibus penè vniuersa lingua fluxit. Tres igitur ordines declinationum potissi-

mum secuti sumus. Nam ex prima & secunda vnam conflatam videmus: ex eorum tertia, secundam nostram: ex quinta illorum, tertiã, quartam & quintam. Igitur tertium casum vt illi per diphthongum spuriam scribebant: sic nos per legitimam ποιητῇ, μούσῃ, poëtæ, musæ. Quartum casum, Æolice pronunciauimus, ποιητὰν, Θήβαν. Poëtam, Thebam. Secundum autem quare non secuti sumus, sanè miror. Nam in v, ποιητοῦ, vt Genu, esse potuit. Musas, autem in secũdo, sicut Æoles, non diximus, quia concurrisset cum plurali Quarto: atque illi distinxere sic, vt is vltimam produceret, Quartus autem corriperet. exempla sunt petenda ex Pindaro, & Theocrito. Et sanè veteres Latinos sic quoque locutos constat: quod etiam patet ex Vergilio in vndecimo, -*Nihil ipsa, nec auras, nec sonitus memor.* Sic enim legendum: non vt imperiti mutarunt, *Auræ.* Cùm igitur ex duabus vnam fecissent, quam ob caussam potius vocalem secundæ, quàm primæ retinuere? propterea quòd rectius & facilius ex A, huius Recti *Poëta*, facies *Poëtæ* quàm *Poëtu.* Plurales autem casus duo integri sunt, Rectus & Quartus, ποιηταὶ, ποιητάς. Tertius autem abiecit è diphthongo priorem vocalem ποιηταῖς, poëtis. Quum tamen Æoles valde amarent diphthongum illam φαισὶ pro φασὶ, & Αἰσκληπιός, pro Ἀσκληπιός, vt diximus. Secundus autem casus, vt euitaret consonantiam cum quarto singulari, distortus fuit, ποιητὰν, poëtam: ποιητᾶν poëtarum: propterea quòd accentu nõ potuere apud nos distingui: neque enim vltimas accentu afficimus.

Itaque

Itaque ſecuti ſunt alterum modum eorundem
caſuum, ποιητάων: ſed effugere hiatum illum dum
volunt, R, interpoſuere: maximè enim accedunt
veſtigia huius elementi ad hiatum: nam etiã qui
ipſum non poſſunt plenè pronunciare, idem ſo-
nant, quod obſcurus hiatus. Secundæ autem de-
clinationis caſus penè omnes Græci ſunt: ſolus
ſecundus effugit illã obſcuritatẽ ipſius V, vt Ho-
meri potius, quàm Ὁμήρου diceremus: ſed ita pu-
to efferri ſolitum, ſicut in *Optimus*, vt aliquid eſ-
ſet, quaſi etiam in *Optumo*. Nam in veteri exem-
plari Terentiano, quod vidimus in manibus præ-
ceptoris noſtri Cœlij Rhodigini, ſic ſcriptũ fuit,
Appollodoru. Quartum autem pluralem contrà
euenit, vt pronunciarent: Cùm enim ex Ὅμηρος
feciſſent Homerus, contrà ex Ὁμήρους, fecere Ho-
meros: ſic enim proferebant, vt diximus, Æoles
Ὁμήρως. Secundi autem caſus ratio eadem quæ
in prima, & altera longè maior. nam cùm dicerẽt,
Ὅμηρον, nos Homerum, & Ὁμήρων in ſecũdo, no-
bis nõ licuit ſeruare. eadem enim fuiſſet vox, ita-
que caudam illam addidere, Homerorum, ſanè
inſuauem, quam etiam caudata litera explerent,
R, ſcilicet. ac per initia quidem, vt Græci loque-
bãtur, ſic Nos locutos puto: vt cenſeã, & Meûm,
& Deûm, & Liberûm, dixiſſe, pro Meorum, Deo-
rum, Liberorum: adeo, vt contra omnes ſentiam,
non per Syncopen ſic enũciari, ſed integras fuiſ-
ſe voces. Tertia maximè, vt diximus, à Quinta
pendet, ſed exilem literam maluimus nos: πατρὸς,
patris: ſicut etiam in Quarto patrem, ex πατέρα:
addito illo mugitu ex priſcis, vt opinor, opicis: ſic

enim Græca ſuauitas fuit contaminata. Pluralis autem ſecundus nō coactus fuit exire in caudam illam, neque enim cum quarto ſingulari conueniebat. Sed ea infelicitas contigit Tertio plurali, vt *patribus*, barbaro ſanè exitu dicerent. nam *patris*, non potuere: erat enim iam occupatus ſonus à ſecundo ſingulari. Quarta autem declinatio ſub hac fuit per initia ipſius linguæ. Sic enim dicebant, Anus, anuis, anui: poſtea etiam breuioribus vocibus, Anus, anus, anu: ſed miſta fuit cum Secunda, Anum enim dicunt. Sic etiam in plurali cum Tertia conuenit, Anuum, anubus. At quinta longè diuerſa fuit: nam terminatio quoque ipſius Recti, ſua ipſius priſcæ Italiæ fuit, Dies, Fames, Spes. Secundo caſu plurali ſecundæ declinationis terminationem eſt ſecuta. Tertio autem caſu, Tertiæ, Diebus, vt Patribus: ſicut etiam Secundo ſingulari, Secundam: Domini, Diei: quam tamen bis mutarunt: nam & Dies, & Die, in eodem caſu dixiſſe, autor eſt doctiſſimus vir Gellius: vt vel hinc pateat, arbitrio loquentium & naſci nomina, & interire.

CAPVT LXXXVI.

De Specie.

SPecere vetus verbum fuit. In compoſitis nūc inuenitur, & in ſuis deductis: vt, Specula, Speculari: vox ſanè ipſa militaris. Cùm poſitis inſidijs aut è ſpecubus contemplarentur agreſtes olim Latini prælia normal inituri: aut ſupra Specus ipſas, edito ſaxò ſtantes obſeruarent, quid rerum agerent pro-

procul hoſtes. Specus autem Græcum eſt, σπέος. Inde Species, pro re viſa, ſicut facies, pro re facta. Ipſa igitur imago rei quæ in ſpecēdi inſtrumentum reciperetur, Species dicta. Ergo ſi res erit primi ſtatus, eius imago ſpecies primaria dicta eſt: vt, nomen *Ilus*, Regem Troianum repræſentabat, qui primus ita dictus eſt: iccirco Primitiuam ſpeciem appellarunt. Quæ verò flueret à priore, Deriuatiuam, quoniam nomen alterum à priore per eius vim deriuaretur: vt, ab *Ilus*. *Iulus*. Quòd ſi figura eſt decompoſita, quæ à compoſita deducitur: erit ſanè vltra ſpeciem Deriuatiuam alia ſpecies, cui nomen non poſuere, propterea quòd ad eam animum non aduerterant: à, *Iulus*, *Iulius*: & item alia, *Iulianus*, & alia porrò, *Iulianius*: Verùm de figura illa, mox. Hìc autem conſultius dicamus, multos eſſe modos, ordinèſque in deriuatis, vt quædam primo ſint: quædam deinceps. Duobus autem modis Primum dicitur: aut quod ante alia omnia ſui ordinis eſt: aut ante quod nihil, licet poſt ipſum, nihil. Ita etiam primaria, ſeu primitiua: aliqua enim ſunt à quibus nihil deductum ſit. Quòd ſi hæc duo inter ſe comparentur, præſtantiore ratione dicatur Primum, ante quod nihil eſt, quàm quod alia præcedit: prior enim ratio eſt abſoluta, & longè validior. Deus enim antequam quicquam crearet, erat Primum, priore ratione. Nomen tamen tam Græcum, quàm Latinum poſteriorem rationem indicat: & facilius Græcum πρῶτον (eſt enim πρὸ, τόν) etiam in duobus poteſt eſſe. vnde & πρότερον, πρὸ ἕτερον,

sic enim orta sunt comparatiua, ab, ἕτερον. Latinũ autem morosius, superlatiuum enim est: nam Pri, vetus vox fuit, sicut NI. postea latiore vocali fusæ sunt, Ne, Præ: vnde aduerbium, pridem: comparatiuum, Prius: superlatiuum, Primum: nam ab aduerbio Pridem, Primum qui ducunt, errant.

CAPVT LXXXVII.

De Figura.

Γράφειν dixere, lineas ducere. Pictura primùm ab Sole & vmbra orta est, vnde μονογράμματοι postea addidere lucem & vmbram: à potiori Latinis visum est denominare. vt à φέγγος, dicerent Fingere, & detracta aspiratione, Pingere. Est igitur fingere, exprimere imitatione veram rem: iccirco dicta Figura in signis, & tabulis: atq; hinc porrò in grammaticis. Figuræ phisicis sunt. quæ extrema quantitatis eiusdem subijciunt aliter, atque aliter oculis, quatenus extrema sunt. Rei naturalis diuina definitio. Principiò in plurali definiuimus, vt facilius intelligeretur. Et diximus, Quatenus extrema sunt: quia colores aliter atque aliter etiam obijciunt quantitatem oculis. Et quanquam etiam tactu comprehenditur figura: tamen primarium obiectum oculorum est. In re literaria modus idem: Nam sicuti coniunctione certarum partium corpora coalescunt, ita notarum notionúmve coniunctione voces componuntur, ita, vt alterius modi fiat alia vox, ex *Magno*, & *Animo*, *Magnanimus*. quare *Magnum*, Simplicis figuræ dixerunt, itẽ *Animum*: at vtrũ-


que

que iunctum, Compositæ. Dubitatur: Si nomen est nota rei, an nomen compositum sit nota rei compositæ. Duplex est cōpositio: vna vera, altera non vera: & prior huius posterioris regula est. Connectuntur enim interdum res duæ, vt Animus, & Magnitudo: ergo nomen compositum, coniuncta illa tanquam vnum significabit. Alter modus est in ijs, quę sunt, sicut *Indoctus*: significat enim compositionem, positionis & priuationis, quæ in re non sunt: intellectus autem eas non potest apprehendere, nisi aliquo componat modo.

CAPVT LXXXVIII.

Non rectè addi Decompositam.

HÆc sic veteres: quæ à nobis sunt perspicacius contemplanda. Igitur etsi crescit quātitas, non tamē necesse est, vt mutetur figura. veluti cùm additur quadrato Norma, quam Græci γνώμονα vocant: augetur quantitas figura nō mutatur. Interdum verò mutatur, vt si eidem quadrato apponatur Triangulum. Eodem modo aliquando crescit vox eadem, neque mutatur figura: vt Magnanimus, eadem facie est, qua magnus animus; licet maiore. Si autem addatur Animitas, fit diuersitas à diuerso: neque enim semper compositio figura mutatur. Quod etiam in rebus liquidis, & in prima Elementorum mistione constat. Quare hoc quod appellarunt veteres Figuram, mihi potius vocanda videtur Species, id est facies quædam: quanquam enim vsu, Animitas, non dicatur: at Analogia hoc non respuit, sicut Pietas, Felicitas, & alia. Quare duæ tantum



erunt quantitates:Simplex, & Compoſita. Decompoſita verò, quæ à Græcis dicta eſt παρασύνθετος,non video,quare tertium faciat membrum. Neq; enim Magnanimitas à Magnanimo deducitur:ſicut neque ab Impio Impietas,ſed ex In,& Pietas,factum eſt. Quædam enim ſimplicia non inueniuntur,quæ inueniuntur compoſita. Exemplo eſt Egpitogium : non enim Togium dicitur. Igitur non erit compoſitum, cùm partium altera nuſquam extet ſeparata,Item alia multa eiuſdem modi ſunt : Muſtela, Conſpicor : quarum partes deſiderantur, Sed fac ita eſſe, vt voluere : ſpecies erit quædam potius deriuata à Magnanimo, non autem Figura diuerſa, ſi ſpectes compoſitionem: nihil enim priori voci additum aut demptum eſt. Quare decompoſitum eſſet aliter : cùm priori compoſitioni, aliqua vox apponeretur porrò: vt, Incuruiceruix.

CAPVT LXXXIX.

Redit ad ſuperiora,ob Figuræ vſum.

QVa ratione componerentur dictiones, inter earum affectus commemoratum eſt : is verò affectus totus nomini competit, quanquam non ſoli. Euenit duobus integris : vt Iuſiurandum.Duobus corruptis:vt,Beniuolus.Integro,& corrupto:vt,Extorris. Corrupto,& integro:vt,eſ ferus. Componuntur autem nomina & inter ſe, vt diximus , & cum aliis. cum Verbis , Lucifer: cum Participiis , Omnipotens:cum Pronominibus,Eiuſmodi: cum Aduerbiis, Beneuolus : cum Præpoſitionibus, Imprudens: cum Coniunctionibus,

nibus, Vterque: cum Interiectionibus, Vaeiouis. Partium autem numerus in compositis, à duobus ad plures, Semiuir, Imperterritus, Cuiuscunquemodi: & illa faceta vox, nulli Græcarum cedens, Incuruiceruicumpecus: vnica enim dictio est, non duæ, vt putarunt: & illa vetus, Solitaurilia: non vt sunt interpretati malè veritatem, Sue, Oue, Tauro: neque enim in voce hac, Soli, est Ouis: sed sic fuit per initia, Sue, Soloce, Tauro: sic enim pecudem lana tectam prisci appellarunt, quam ad sacrificium egregiam habebant, id est è grege segregatam: integram, non tonsam: vnde & nomen, quoniam cum tota lana esset. Solon enim Osci dicebant totum, vt Græci ὅλον. Igitur non in simplices solùm, sed in compositas quoque partes resoluentur: sicuti dictiones non in literas tantùm, sed & in syllabas: & naturalia corpora non in materiam modò & formam, sed etiam in' Elementa. Quoniam autem tam Recti quàm Obliqui inter se promiscuò componũtur. Rectus flectetur, Obliqui non flectentur. Quare falsò excepere, *Alteruter*, quoniam in secundo casu faciat, *Alterutrius*. Nam tametsi in Quinquaginta libris, itemque apud alios legitur, vt in libris Originum dictum est: at M. Tullium, & in Protagora & in Epistolis, ipsúmque Catonem in oratione de Ambitu, alteriusvtrius scripsisse constat. Itaque cùm dicimus, Alterutrius: vox illa Alter, hoc loco non est Rectus, sed Genitiuus casus, & prisco modo amputata vocali cùm sibilo. Sarti' tectis, tecti' fractis. Ergo non debuit excipi ab ea lege, qua dicebant,

Rectum ſemper flecti. Illud quoque errarunt: ſic enim aiunt, Obliquũ hoc Alterutrius, ſiue fœminin⁹ ſit, ſiue à neutro Recto, neceſſariò excluſiſſe ſyllabas poſtremas prioris vocis, *Alterius*, quoniã iam idem fecerant in Recto. ſic Alterutra, & Alterutrum, non Alterautra, & Alterum vtrum. At enimuero hoc ridiculum eſt: Nam quòd in Rectis facta ſit colliſio, paſſa eſt vocalis & conſonans M, id quod patitur altera vocali ſubeũte: At diſſimilis ratio in Obliquis: quod etiam ſua ipſorũ ratione debilitarunt. Nam in rectis ob hiatum euitandum, eliſam aiunt vocalem, ergo in obliquis cùm nullus ſit hiatus, nulla eſſe debuit eliſio. Neque enim quia elides ſic, Patrem eius, vt dicas in carmine, Patr'eius: iccirco pro Patris eius, eodem modo audeas, Patr'eius. Quid quòd hę voces duplici vſu receptæ ſunt: nam Alter fuit, & fuit Alterus: ἄλλος ἕτερος. Itaque in fœmininis etiam durauit, Altera, alteræ vt diceretur aliquando apud priſcos: quare ſoni commoditati ſeruientes molliſſimam quãque flexionem ſunt ſecuti, vt Alteruter, potius dicerent, quàm Alterusuter: & Alterutrius, ab eo quod eſſet Alteri vtrius. Eliſionis autem exemplum habeas ex Amphitruone Plauti, Culeſt qui donum dedit: pro, qualis eſt.

CAPVT XC.

An alia ſint nominum accidentia, ſiue affectiones.

HÆc ſunt ab antiquis Accidentia numerata. An verò ſatis fecere? Atque equidem puto eos vnum omiſiſſe: Nam cùm declinatio ſit affectus genericus quatuor partiũ: imò verò differentia

rentia essentialis, habuit etiam aliam significationem. priore nanque modo communis est tam Nomini, quàm Verbo: est enim mutatio quædam terminationum. At in verbo, & in nomine aliud quiddam & vtrique suum & peculiare. Quorum alterum, quod esset Verbi, vocarunt Coniugationem. quod esset Nominis, Declinationẽ. Est autem declinatio non illa sola inflexio communis, sed certa & propria: vt aliter dicatur Poëta, aliter Dies declinari. Ergo affectus nominum quidam est, sicut & species. Quare cùm Verbo attribuerint coniugationem, & rectè: Nomini Declinationem cùm non assignarunt, inconsultò fecere cùm frustra timerent, ne quod esset genericum, Nomini ascriberent.

CAPVT XCI.

Nominum species venatur ex Elementis philosophiæ.

Statim post definitionem Nominis, eius affectus posuimus merito, antequam species enumeraremus. sicut animalis affectus sunt, moueri voluntariè, & sentire, priores ipsis speciebus, Homine, Ostrea, Leone: in quibus postea per differẽtias disponuntur. At veteres more suo in hoc quoque nobis negotium exhibuere, cùm Species nominum prius, quàm ipsorum affectiones tractant. Nos igitur his castigatis, eas deinceps, earúmque origines atque caussas contẽplemur. Rerum numerum penè immensum totidem vocibus cùm assequi nequiuerit humana mens, necessario comparauit, vt nõ solùm quæ eiusdem substantiæ participes essent res, eodem quoque no-

mine signarentur, vt Equus & Homo animalis nomine, cuius natura constarent communi: sed etiam quæ re ipsa diuersa essent, veluti, Canis cœleste sidus, & Canis animal. Quarum sanè rerum substantiæ apud Auerroëm, vt aiunt philosophi, etiam plus quàm genere differunt. Nos autem quid sentiamus, alijs libris dictum est. ὁμώνυμα Græci vocant: nostris recentioribus aptissimo vocabulo Aequiuoca libuit appellare: quasi vocis hæreditate æquali rem inæqualem repræsentarent. Siquis Vnonima velit dicere, nihil vetat, sed Græca appellatio magis sapit, ὁμῶς enim simul significat, non autem ἴσως. Nam profectò vt in re non sunt eadē, ita nominis significato alio, atque alio sunt. Itaque sic verè possis dicere, Canis non est Canis: id est, res Cœlestis, nō est res Terrestris: at nomē & materiā habet, ipsas literas, C, A, N, I, S: & formam, id est significatum: ergo Canis cœlestis materiā eandem habet Elementorum, quam Canis terrestris: formam autem, id est significatum, non habet: ergo non est idem nomen, à forma enim est, quod est: iccirco Græci ὁμῶς: at Latini non ita rectè, cùm æquitatem illam interserue. Itaque commodius fortasse nos, Vnonima: vt vnà, sit aduerbium, simul. Hæc autem non vno modo orta sunt: sed quædam temere, atque vt fors tulit: qualia sunt Alexander, & Achilles, tam in Regibus, quàm in Nautis nequam. Alia autem consultò: vt, cùm cuiuspiam similitudo ad imponendum idem nomen alteri simili traxit: ea similitudo fuit aut Substantiæ: veluti cùm dicimus, Xiphian piscem, & herbā ab instrumento bellico.

Aut Quantitatis: vt est in prouerbio, Montes & maria polliceri: & apud Callimachum, ὃς οὐδ᾽ ὅσα πόντος, ἀείδει, in hymno Apollinis: & Marc Solomonis Aut Qualitatis: vt cùm metallo & præuiæ diei parti, fulgoris nomen inditum est Græca voce, αὐρόν: prisca enim est quod testatur αὔριον, scilicet sequens mane: quod & Germani imitati sunt, & Hispani, & Itali. Item ab alijs prædicamentis: vt cùm arbores masculas aut fœminas, & Thura mascula, & vires masculas, & nigra toxica, ab actione, & relatione: & Regem, diuitem quempiã, παρὰ τὸ ἔχειν: & Delphos, orbis vmbilicum. Hæc omnia nomina sibi aliqua imitatione sunt consecuta. Ac reliquis quidem generibus euenire fatentur. Substantiam autem hoc vt admitteret, dubitarunt. Cùm enim non intendatur, non remittatur, non videbatur dari gradus ad similitudinem in ipsa. Verùm facilè id intelligimus, eandem substantiam non intendi: sed genus commune multis, arctari in species multas: quare non potest fieri, vt æquales sint illæ: æqualitas enim in substantia, est identitas. Quod & in octauo Historiarum dixit diuinitus Aristoteles: Species sub eodẽ genere coniunctione quidẽ generis illius vnum esse: differẽtiarũ autẽ successione hærere. Esse enim tum in materia, tum in forma, tum in compositis certas aut affectiones, aut differentias inter se vicinas, & inæquales. In materia, vt ossa in Homine, in Leone, differre per medullam: in Delphino paululum abesse: in cæteris piscibus pro osse spinã: in Sepia esse aliud: in insectis aliud: quod nomine careat. Sic & in formis: Rationem

Morgẽ. Mannana. Dimmane.

in anima Hominis: Instinctum naturalem in Formicę anima. Sic in compositis: Artem in Homine: in Ape quomodo dicas vim illam fauificandi: in Psittaco mirificum nidum texẽdi? Itaque species sunt æquales in genere: inter se autem comparatæ, inæquales ab ipsarum differentiarum inæqualitate, Adeo enim sunt inæquales, vt altera vnũ genus interdum cõstituat subalternũ altera in multa distribuatur genera. exempli gratia: Corpus diuiditur per differentias, Mortale, & Immortale: hoc cœlum tantùm constituit: Mortali autem cætera omnia cõprehenduntur. Sic intelligas Vniuocum, quod idem genus dispertit, æquè omnibus: vt animal. Analogum, quod non æquè, sed ordine quodam: vt sapere. Æquiuocum, quod nomen solum communicat: vt, Prata ridere, Mare irasci. Hæc postrema diximus, quomodo appellarentur. Analoga autem à Latinis Proportionalia: sicut ciuium ius non idem omnibus, sed suum cuique attributum, Senatori, Equiti, Plebi. Quod C. Cæsar dicit, Pro rata: nos, Pro portione: Vt cuiusque res fert: id est, rata pars, siue portio. Ditiores enim plus obibant muneris. vnde apud Athenienses, ἀντίδοσις. Vniuoca autem à Græcis συνώνυμα, prudentissimè: cum nomine enim rem communicabant: non enim τὸ συν, coniungit ea sub nomine: sed nomen & nominis rationem. Latinè Cognomina rectissimè dicas. Cùm autem res non omnes eodem modo sint: sed aliæ per se, vt Substantiæ: aliæ in alijs, vt Accidentia: atque hæc dupliciter. vt hoc sunt, quod sunt: & quomodo sunt, quod sunt: nam Albedo etiam sine niue

aliquid

aliquid eſt:intelligimus eſſe,quod eſt: & Albedinē appellauimus percepimúſque eſſe Vniuocam, quia eadem genere eſſet in niue,& in lacte. Aliquando intelligimus ipſam eſſe, quomodo eſt:licet enim aliud ſit à niue:tamen non poteſt eſſe ſine aut niue,aut alio corpore. Is igitur eſt modus, per quem eſt, id quod eſt: quoniam inhęrentia, eſt eſſentia accidentis. hoc quoque opus habuit nomine aliquo:iccirco ab Albedine, Albū deductum eſt:nam id quod eſt, poſterius eſt, quàm id quo eſt.igitur etiam nomen hoc ab illo ductum. vnde orta ſunt τὰ παρώνυμα,quæ παρὰ ἕτερον deriuarentur, ſola terminatione à priore differentia: Latini Denominatiua commodè vocitarunt. Cōtraria autem Æquiuocis quædam ſunt: nam vt illa vnam vocem multa habent:ita multas voces in his vnum:Enſis,Spatha, Gladius. Græci hæc πολυώνυμα:quidam è noſtris συνώνυμα falſò fortaſſe autem explicatius eſſent locuti Græci ſi μονώνυμα appellaſſent, quæ ſolo nomine extarent indicantia res diuerſas.

Igitur colligamus ſic: Communes res,quæ aut ſua natura per ſe ſunt, vt Homo: aut licet ſint in alijs,ſi intelligātur ſine eo in quo ſunt,vt Albedo, Vniuocis nominibus ſūt indicatæ. Sin quomodo in alijs inſunt,accipiātur, Denominatiuis:vt Albū.πολυώνυμα autē eadē ſunt quæ Vniuoca. Res autē ſingulares quarū natura ab alijs diſſita eſt, ſi eodē nomine,quo illæ appellentur: nomen illud erit Æquiuocū: vt, Cæſar:neque enim quicquam mei, in altero qui dicatur Cæſar erit: neque ſolæ ſubſtantiæ, ſed etiam accidentia, quæ in ipſis in-

diuiduis ſunt, vt hic rubor, hæc cicatrix, Æquiuoca eſt, propria Cæſaris vnius: ſicut & ſubſtantia in qua eſt. Quare tam nomen hoc Cæſar, quàm hoc, Cæſaris cicatrix · plurali carebit: ſed eius pluralis numerus erit vagus: velut quũ dicis, Homines: at, Hic homo, caret numero plurali: ἄτομα enim facta ſunt, apud Græcos: apud nos, Indiuidua. Itaq; in Declinationibus, quod præponitur prænomen nominibus, Hic homo. Hæc cicatrix, non eſt nota indicans, & præſcribens indiuiduum, ſed ſexum tantùm. Nã quo modo hæc cicatrix indicata, poteſt fieri cicatrices. Quinimo ne in eodẽ quidem Cæſare ſi plures ſint, poſſis iccirco flectere ad numerum pluralem. Etiam fac vt cætera paria ſint, Tempus, Qualitas, Magnitudo: at loco different. Cõ nunia autem, ſiue Vniuerſalia loco non præſcribuntur. Hæc omnia tam Vniuoca, quàm Æquiuoca veteres Subſtãtiua, ſanè ambiguè, vocauere. Subſtantiæ enim appellatione abuſi ſunt, pro Eſſentia: ſicuti Græci nomine ὀυσίας, in prædicamẽto. Nanque ὀυσία, etiam conuenit rebus extra prædicamẽta, vt Deo. At Subſtantia neque extra prædicamenta, neque in omnibus: ſed in iis tantum, quæ ſubſtant accidẽtibus. quare nomẽ hoc Albedo, non erit Subſtãtiuum, quia ſubſtantiã non ſignificat: iccirco alii Fixũ dicere maluerunt, propterea quòd rem indicaret, quæ nõ mutaretur alio atque alio ſubiecto. Sed anceps ea quoque vox fuit: nã Fixum videretur eſſe indeclinabile, opponitur enim Mobili. Itaque nos longè conſultius Eſſentiale nomẽ appellauimus: quippe quod tam ſubſtantiæ, quàm accidẽtis hoc ipſum quod ſunt, ſigni-

ſignificaret. Denominatiua autem eadẽ quæ Adiectiua: quæ etiam Accidentalia dicere poſſes, niſi nomina differentiarũ impedirent: nã à Ratione, Rationale duces: hoc eſt Denominatiuũ, ſed non eſt Accidẽtale. An verò ſit Eſſentiale? Iccirco intelligendũ eſt, ὐσίαν ſiue Eſſentiam triplicem eſſe: Materiam, & Formam, & Compoſitũ. Forma igitur dicitur Eſſentia, quia dat eſſentiam: Materia, quia dantem gerit: ſed propriè ὐσία eſt totum ipſum: à qua quod Subſtantiuum vocabant, nominauimus Eſſentiale. Denominatiua intellexere variari, ac propterea Mobilia vocitarũt: vt cõueniat idem nomen viro & mulieri, ſi ſit variatũ: Albus, Alba. Hac de cauſſa in oratione ſẽper Denominatiuum poſterius eſſe debuit Eſſentiali: vir fortis, equus celer: verùm vſus obtinuit elegãtiæ cauſſa, vt aliter quàm vulgus loquitur, loqueremur. Neque verò penitus temere factũ eſt: nanque vt equus poteſt celer, & nõ celer, ita celeritas eſſe poteſt & in equo, & in non equo: quare quod ſubibit moderabitur. Quod ſi eſt Denominatiuũ proprium, vt Sentiens, eſt proprium animalis: nihil refert vtrum præponatur: paria enim ſunt, ſed natura ipſa Eſſẽtiale prius eſt. ridiculè enim profeſſi ſunt, Fixũ ſequi Mobilis naturam, ſi præcedat Mobile. idem enim eſt, Animus peruerſus: &, Peruerſus animus. Sed ita intelligebant differre, ſi dicamus, Corrupta mente & corpore: &, Mente & corpore corrupto. Verum hoc non eſt, Fixũ ſequi Mobilis naturam: neque enim mutatur: ſed ex duobus fixis diuerſis genere, & numero, alterum apponi ipſi adiectiuo, quod ei ſimile ſit. Verùm

ridiculè negatur posse dici æquè Corrupta mente:&, Mēte corrupta. Neque verum est, Substantiua obsequi Adiectiuis: sed contrà, Adiectiuum prospicere ad vtrunque Substantiuum, aut ad id, quod propius est: & ipsi cōtra hanc malè explicatam sententiam etiam ex Ciceronis Philippica dicendi modū obseruauere. An verò Adiectiuum & Substantiuum sit affectus, aut species solius nominis, in sexto libro declaratum est.

Nominis igitur vel Fixi, vel Mobilis hęc ratio est. Fixum autem aliud Proprium, quod vnius tātum est: aliud Commune fecere: atque hoc Appellatiuum quare vocarint, sanè nescio. Verùm neque diuisio bona est, neq; nominis impositio. Nanque etiam Mobilia, siue Adiectiua, partim sunt communia, vt candor: partim propria, vt hic candor qui in Cæsare est. Itaque diuisio nominis in Fixum & Mobile, est sicut diuisio rei, inesse, & in modum quo est. Diuisio autem in Cōmune, & Proprium, non est Fixorum tantum: sed generica nominis: sicut diuisio rei in vniuersalē, & indiuiduatam. Appellatiuum autem quare dixere? an quia sub se vocat multa? at etiam Adiectiui id interest: nihil enim differt Concretum ab Abstracto, nisi modo significationis, non significatione: at etiam propria nomina suam rem appellant.

Hoc autem ipsum quòd sunt aut Propria, aut Cōmunia, aut Fixa, aut Mobilia, recētiores Qualitatem nominis vocarunt: eaque inter accidētia cum specie, & genere, enumerarunt. Item Cōparationem, atque alia eiusmodi, magno errore. Nā Homo & Cæsar, nō differunt qualitate: neq; albū

ab

ab homine qualitate differt, sed essentia: neque enim qualitatis qualitas est. Comparatio autem atque alia eiusmodi non sunt nominis qualitates genericæ. omnibus enim nominibus conuenirẽt. At propria non recipiunt Comparationem: neq; substantialia: sed Denominatiuorum affectio est. Sicut Patronymicum, non est Nominis qualitas, vt nomen est: sed vt Nomen proprium.

Illud quoque contemplandum est, Nomen hoc Sol, & Luna, & alia eiusmodi, Commune sit, an Proprium. Nam species prior est indiuiduo: igitur si vnum indiuiduum explet totius ambitum speciei, id quod facit Sol, erit nomen speciei, non indiuidui. Nomen enim priori inditur. Hoc sic sensere veteres falsò: nam qui nomen imposuit rebus, indiuidua nota prius habuit, quàm species. Romanus enim qui vnicum Elephãtum primus vidit, ei nomen indidit, Lucam bouem: nihildũ metitus animo vniuersalem naturam illam. Sic etiam Soli, quòd solus esset: & eius consorti operis, Lucinæ: quam postea concisa voce Lunam diximus. Est igitur nomen hoc indiuidui indiuiduo impositum per se, speciei autem per accidẽs. Itaque cum dicas ex Democrito, Mundos, & Soles, & Lunas, fiet quasi cùm appellabis, & me, & Dictatorem, *Cæsares.* aut si speciei tunc voles, vt fiat: erit. indiuiduis autem alia tibi erunt quærenda nomina.

CAPVT XCII.

Quid quoque loco statuendum: dèque Propriorum natura, atque affectibus.

QVæres, vt diximus, hoc habeant, vt ſint aliquid prius, quàm ſint alicuius ea nomina quæ eas res ſic ſignificant, primo quoque loco tractanda erunt. Quoniam autem Singularia ſunt notiſſima. Propria item nomina, quibus ſignificantur, notiſſimo, hoc eſt primo loco, explicanda ſunt, vt, Cæſar, Bucephalus, Atheſis, Roma. Igitur à Latinis quæ nomina bina, trináve ſunt vni homini conſtituta, an propria ſint appellanda? Hoc ſic agamus. Voces, quibus Romana capita recenſebantur, fuere hæ, Prænomen, Nomen, Cognomen, Agnomen, Horum autem natura, atque origo ſic fuit: raptis per initia Sabinarum virginibus, atque ea de cauſſa conflato bello, ipſo in conflictu earum interuentu vterque populus conciliatus, non ſolùm animos mutuo beneuolentes conciliauit, ſed etiam nomina communicauit. Sic aiunt: putóque ita fuiſſe in aliquibus: nam in omnibus, non conſtat: quippe ipſi Herſiliæ vnum nomen & fuit, & manſit ſolùm: item Romulo, & Tatio: Numæ Pompilio Sabino, & Metio Curtio item bina: Hoſtio Hoſtilio Romano totidem: Itaque hoc ſentio, à virtute cuiuſpiam nomen primum mutuatos, vt ab Iulio, Iulij dicerentur, quorum Iulus autor generis fuiſſet: iccirco, Nomen appellatum, vnde Nobiles, id eſt noti eſſent. Inde vt dignoſcerentur, additum aliquid notæ ab euentu: ſtatimque Cognomen ortum fuiſſe: vt Pompilij, à cerimoniis, Numæ: Hoſtilij, ab rebus geſtis, Hoſtio: Curtij, à celeritate, Metio: Herdonij, à ſtrenuitate, Turno: Proculi, ab euentu natalium, Iulio. Poſtea

ſtea nobiliores cùm liberos procreaſſent, & neque Nomen poſſent, neque Cognomen auferre vellent, aliam notam excogitarunt: quam quoniã infantibus imponerent, quos ſola ea appellarent, præpoſuere: atque iccirco dixere Nomen. Hoc inde ſatis conſtat, quòd quæ primo loco eſſent olim Nomina, poſtea ſecundo fuere: vt, Iulius Proculus: Iulius prius fuit: at, C. Iulius, poſterius. Quę Prænomina ab euentis quoque orta ſunt, aut natalium, aut alterius fortunæ: à fortitudine, *Marcus*: ab antiquitate, *Caius*, Γάïος, à terra ſcilicet, quaſi αὐτόχθονες eſſent: ab honore & dignitate, *Titus*: ab generoſitate, *Cneus*: à generis defraudatione, *Spurius*: à numero liberorum, *Quintus*, *Decimus*: à decore, *Decius*: à cultu populi, *Publius*: à tempore natalium, *Lucius*: & item alia. Quæ ſors etiam aliis obtigit nominibus. Nam *Manius*, à Mane dictum fuit. & habuit prænomen, *Quintus*. Aucta autem Republica, numeróque ciuium illuſtrium, factum eſt, vt aliorum nominum nouæ cauſſæ extiterint. quæ nomina, quòd accederent ad priora, cúmque eis vni attribuerentur, Cognomina dicta ſunt. Horum origo fuit, à corporis habitu, *Labeo*, *Craſſus*, *Longus*, *Varus*, *Valgius*, *Sedigitus*, *Bucculeius*, *Plautus*, *Plancus*, *Varius*, *Panſa*, *Ruffus*: ab euentis aliis, *Poſthumus*, *Proculus*, *Geminus*: à rebus geſtis, *Aphricanus*, *Nero*, *Celer*: ab actis, *Salinator*, *Venox*, *Seranus*, & alia eiuſmodi Quæ poſteri à maioribus ſuis honoris cauſſa accepta cùm retinerent, aliqui etiam

auxere, additis aliis insignibus, vt *Publius*, à popularitate: *Cornelius*, à viro forti, qui eam familiam primus illustrauit: *Scipio*, ab opera, quam patri præstitit seniori: addidit his vir summus ab Aphrica domita, titulum *Aphricani*: hoc quoniã tandem accessisset, Agnomen meritò appellauere. sicut Agnatos dicimus, qui familiam augent accessione sua: & Agnata membra, apud Pliniũ, quorum additamento corpus auctius factum est. Quidam recentiorum assentiti sunt negantibus vocem hanc *Agnomen*, probam esse, sed grammaticorum superstitione commentitiam: verùm à M. Tullio in secũdo Rhetoricorum posita est. Hæ sunt Romanorum caussæ nominum atque essentiæ, quæ sic definientur: Nomen, familiæ nota: Prænomen, propriũ cuiusque: Cognomen, quod euẽtu accessit: Agnomen, quod euentus accessionem notat. Ordo patet ex ipsarum vocum vi: Materia autem Nominum sic pote est, vt cùm scribuntur, cætera omnia omnibus suis elementis explicentur, Prænomina non omnibus: sed aut singulis: vt, C. aut binis: vt, CN. aut trinis: vt *Sex.* pro *Sextus*. Ex his patet, non rectè aliquos prodidisse, Nomen esse vnius illius, cuius est: rectius ab aliis Gentilitium, & ab illis ipsis nomen Familiarum. Græci Prænomine carent: sed posito nomine vnico, apponunt patris nomen. Ἀλέξανδρος ὁ φιλίππȣ. Hoc idem etiam Arabes faciunt: sed etiam autoris nomen subticent, & patris tantùm ponunt: Auen, rois. Auen, pace. Auẽ, zoar. Græci verò etiã cognomine vsi sunt, sed rariore, vt Εὐπάτωρ, Φιλάδελφος, Κεραυνὸς, Χαλκέντερος.

ρος. vt multi putent Πρίαμον & Ἀγαμέμνονα, & Ἄδραστον: & alia multa fuiſſe cognomenta à militibus excogitata: ille, quòd filij cadauer redemerit: alter, quia diu ad Troiam ſederit: hic, qui rę infecta ab obſidione reuerſus ſit, vt dicātur. Quin etiam Diis ipſis à poteſtatibus quibuſdam ſunt attributa: vt, Ἀπόλλων, Παιάν, vtraque appellatio τοῦ φοίβου: Ἐννοσίγαιος Neptuni: Παλλὰς, τῆς Τριτωνίδος: Ἀργειφόντης, τοῦ Ἑρμοῦ. Hoc ἐπώνυμον Græci, Agnomen autem φερώνυμον appellarunt. Videamus nunc affectiones. Proprium eſt Prænominis in viris iis, qui ſibi cognomen illuſtre compararunt, aliquando ſubticeri: vt, Cæſar Dictator: intelligis enim C. E contrario, poſitum, neceſſariò interdum aliorum appoſitione declaratur: vt, C. appones Cæſar: item addes, Dictator: aut, Dictatoris pater. Proprium item & id, certis familiis certa aſcita eſſe Prænomina: vt, L. & C. Cęſarum: P. L. & CN. Scipionum: L. & M. Craſſorum. Legimus etiam quædam quibuſdam interdicta: veluti M. Prænomine cautum fuit S. C. nequis Manliorum appellaretur, ob M. Manlij Capitolini mala merita in Rempub. quanquā Senatus Conſultum illud poſtea abolitum eſt vetuſtate. Illud quoque patiuntur nomina & cognomina, vt ſedem inter ſe mutent in narrationibus: inuenias enim & Cæſonem Fabium, & Fabium Cęſonem. Etiam in Pacuuij Epitaphio Prænomen poſtpoſitum eſt:

Hic ſunt Pacuuij Marci ſita oſſa.

Vt iam deſinant altercari paucę lectionis grāmatici ſuper verba Quintiliani, Victori Marcel-

le:an, Marcelle Victori scribendum sit. Illud etiã est obseruatũ, multa Nomina facta esse aliis Prænomina: vt, Iulij Dictatoris nomen, mihi: cùm ita Paulus Midcburgius, qui postea Forosempronienſium Pontifex fuit, Mathematicus incomparabilis, Diuorúmque Friderichi, atque Maximiliani & alumnus & altor, persuasisset patri. Verùm ab antiquis quoque factitatum fuit: Nam Tulli, vox fuit Regi Hostilio Prænomen: at posteris in nomen recepta est. L. Sergium legimus: hîc Gentile est: at aliis Prænomen. Etiam Romæ in monumentis sic scriptum, *Ser.* Et in lib. XXXIII. apud T. Liuium, Pacuuius Calanius: hîc est Prænomen: at Nomen est poëtæ, post Prænomen: M. Pacuuius. Proprium & illud Cognominis, atque Agnominis, si post Prænomen, aut Nomen, patris Prænomen ponatur, postremum locum obtinere: sic, C. Iulius, C. F. Cæsar: C. Cæsar, C. F. Dictator. Item duo Prænomina præponentur vni Nomini, aut Cognomini pluralis numeri: sic, M &, Q. V. Tullij Cicerones. Itaque Prænomina verè non queunt flecti numero plurali, cætera omnia queunt: sunt enim generis, non viri: nisi sit Cognomen, aut Agnomen eius cui primum est attributũ: eius enim solius est tunc. Agnomen autem ab antiquis etiam Cognomen dictum fuit: Africani enim Cognomen vocat M. Tullius in Sexto de Rep. Proprium etiam Prænominis, vt idem & patris sit, & primogeniti: vt, M. Tullius, M. F. Quod autẽ ait Probus grammaticus, Prænomina non esse solita imponi pueris antequam togam sumerent virilem,

lem, puellis antequam nuberent, falsum est: sed septimo die, quàm nati essent, cùm lustrabantur, Prænomen inditum fuisse constat. Sicut & apud Græcos, vt ait Aristoteles in septimo historiarum. Et ridiculum fuerit sex liberorum patrẽ vnum appellare, omnes respondere: hoc enim faciant, nisi nomine distinguantur. Hæredes esse non possint, quos ille nõ possit, nominare. Est etiam præter hos certos legitimósque modos, vsus alius quidam nominum communiorum. Maior, Minor, Superior. Quæ tempora perpendunt semper, virtutem non semper: vt nolint dici Dionysium Tyrannum Maiorem, sed Superiorem. An verò Inferior in ea significatione inueniatur, non sine ratione disceptatum est: Iuniorem enim dicimus, Inferiorem autem nondum memini. Ex his patet, Male à Seruio dictum, Iulo Ascanium fuisse Agnomen. patet id quoque, ἐπωνυμίαν etiã Latinis Dijs attributã, vt Græcis: Marti, Gradiui: Romulo, Quirini: Hersiliæ, Horæ.

Si igitur verum est carere plurali Prænomina, & Agnomina & Cognomina parta, excludentur etiam ab eiusmodi locutione, Alter Cæsar, Alter Tullius: virtutes enim & fortunam possis innuere, at Nomen nõ erit idem: sed sic dices, Cæsar alter à Cæsare. διώνυμα autem & τριώνυμα non rectè dices: nullum enim nomen est Binomen: sed res ipsæ. Omne enim quod est, vnum numero est. itaque Irum Ouidius, Ausonius Istrum binominem dixere. Ita Xanthum, & Alexandrũ voces. vt etiam quę πολυώνυμα suprà dicta à veteribus legas, malè sint appellata: neque enim Ensis

nomen eſt πολυώνυμον, ſed ferrum hóc: quoniam & hoc, & aliis nominibus recenſetur.

CAPVT XCIII.

De Fixis, ſiue Eſſentialibus communibus, eorúmque ſpeciebus.

FIxa communia ſunt, quæ vniuerſalis, vt vocant, rei ſunt notæ: vt, animal. Intelligo autem Commune, ſicut ſuprà diximus, ſumpta ſignificatione à ciuili conſuetudine. Quod enim aut opus aut officium faciundum fuerit omnium ciuium opera, aut impenſa, id dictum ſit, Communi ſtudio factum iri: quoniam munia ſua quiſque in vnum conferrent. Itaque id opus vt complectitur omnium ciuium functiones, Commune dictum eſt: ita nomina quæ eadem ratione vniuerſitatis præditas res ſignificarent. Hoc ſummum genus diuiſere veteres in multas ſpecies, non omnes neceſſarias, & temere digeſtas: Nam & falſò ſub Appellatiuo poſuere Adiectiuum: & incondito, ac tumultuario vocum numero rem difficilem effecere. Ac ſi omnia rerum genera, quæ Subalterna vocant, ſequi velint, & nequeant, & confundant artem: ſin nolint, ne cõgeriem quidem eam affectent. Eæ verò ſunt: Ad aliquid dictum, Quaſi ad aliquid dictum, Gentile, Patrium, Interrogatiuum, Infinitum, Relatiuum, Demonſtratiuum, Similitudinis, Collectiuum, Diuiduum, Factitium, Generale, Speciale, Ordinale, Numerale, Abſolutum, Temporale, Locale. Has dixere eſſe Communes nominum & Principalium & Deriuatiuorũ: proprias autem ſeorſum Deriuatiuorum has Patronymicum,

cum, Possessiuum, Comparatiuum, Superlatiuum, Diminutiuum, Denominatiuum in quo, aiunt, intelligimus cum multis alijs, Comprehensiuum, Verbale, Participiale, Aduerbiale. Hęc est eorum sarcina: quam vt introspiciamus, publicanorum more soluenda est.

Principiò malè dixerunt, has omnes Species esse Appellatiuorum: nam etiam sunt Propriorum: Vafritia enim Vlyssis, Adiectiuo nomine indicatur, quę ei propia est. Item eius locus, in quo est, eius solius est. Et confundũt Adiectiuum cum Substantiuo: ergo malè diuisit nomen in hęc duo, tanquam in genera. Nam si populus est nomen Substantiuum, & Magnus Adiectiuum: quare Adiectiuum fecit speciem Appellatiuorum, Substantiuum autem non fecit? Species igitur attribuêre non suo generi: & species confudere cum suo genere, cùm dicunt, Patronymicum, & Denominatiuum: est enim Denominatiuorum species Patronymicum: apertius autem, ipsum Comparatiuum: denominat enim gradũ, sicut Positiuum, qualitatẽ. Sic etiam Absolutum cùm sit genus multorum, vt Factitij, Temporalis, Localis, in eundem ordinem cum suis inferioribus redegere. Nihilo felicius genus ipsum Ad aliquid cum suis speciebus miscuere, vt Ordinale, & Patrium, & alia. Sed & illud falsi sunt, cùm dicunt, Ad aliquid dictum: nanque apud Philosophos & Metaphysicos sic excogitatum est, alia esse Ad aliquid: alia non esse, sed dici. vt hoc ipsum, quod est, Esse pater: habet naturalem reciprocam Coniunctionem cum hoc, quod est,

Esse filius: etiam si nulla extet oratio, quæ hoc dicat. hoc autem quod est, Esse caput: non habet ex seipso reciprocã Cõiunctionẽ cum Corpore: sed ex eo quod est, Esse pars, ad Totum. Itaque hoc dixere, Dici ad aliquid: non autem Esse. Quare vt res sunt, ita notæ rerum: igitur nomina quæ Ad aliquid significabunt, erunt, Ad aliquid: quæ significabunt Ad aliquid dicta, erunt Ad aliquid dicta. Iccirco etiam bis errarunt: nanque idem est, Ad aliquid dictum: &, Quasi ad aliquid: quæcunque enim nõ sunt verè Ad aliquid, sunt Quasi ad aliquid: per formam quandam accidentalem, attributam ab intellectu. Hoc autem est dici Ad aliquid: id est, referri per intellectum sub certo modo, quia reipsa per seipsa referri nequeunt. Quin verò videtur nihil dici Ad aliquid, sed esse: neque enim intellectus facit Caput, esse partem Totius: sed ipsum ex sua natura pars est. & quemadmodum Caput ipsum non refertur, ita neque Cæsar refertur: sed sicut illud quasi pars, ita hic quasi pater. Sed de his alibi: coacti enim sumus detergere horum rubiginosam orationem. Præterea si ponunt Interrogatiuum, quare non Responsiuum? hoc enim nobilius illo est: constituit enim orationem verum vel falsum significantem. Omnis enim Conclusio nobilior est ipsa Quæstione. Numerale posuit, quare nõ posuit Dimensionale? Continua enim quantitas nobilior est, quàm Discreta. Numerus enim accidit quãtitati discretæ: nãque quodcunque est, vnum est: neque enim discreta quantitas est genus distinctum re ipsa à quantitate continua, vt philosophi veteres

putauere:

putauere : ſed affectus quantitatis. Igitur hanc per Quantum, illam per Quot, explicamus. Temporale quoque cùm dixiſſent, addiderunt Aduerbiale: at Hodiernus; eſt Aduerbiale & Temporale : non igitur ſunt ſpecies diſtinctæ, ſed Temporali accidit, vt ab Aduerbio deducatur. Locale recenſuerunt: quare non Situale? vt Supinus, Pronus, Ingeniculus, quē Græci ἐγγόνατον dicunt? Quare non memorarunt alia neceſſaria? Nomen Grammaticum: vt, Deriuatiuum, Genitiuus, Modus, Figura: Nomen Logicum: vt, Conſignificatio, Concluſio: Nomen Mathematicum, Nomen Metaphyſicum, & alia? quæ alia alio modo ſignificant, quàm hæc vulgata noſtra. Poſtremò peſſimè ſenſere, cùm dicerent, priores illas ſpecies eſſe, tam Primitiuorum, quàm Deriuatiuorum. Quis enim dicat, Patriū nomen, aut Gentile, Græcus, Romanus, Latinus, Atticus, eſſe Primitiua? Vbi error maximus eorum patet, qui putarunt diuerſum eſſe Denominationem à Deriuatione, propterea quòd ſic in aliquibus inuentum eſſet: vt à Iuſto Iuſtitiam deducebant. At hoc accidit contra rei naturam: nam Iuſtitia prior eſt, quàm Iuſtus. ſed ſicut res à re, ita vox à voce: quare vt Roma prior fuit quàm Cæſar, ita à Roma Romanus dictus: vbi & Patrium, & Deriuatiuum, & Denominatiuum vnum ſunt.

Has nebulas Grammaticorum cùm diſcuſſimus, duo ſuperſunt, quæ agamus: primum emendabimus eorum definitiones, quà opus ſit, deinde exactiore iudicio ad certa capita reducemus.

P 2

Adiectiuū, inquiunt, quod adijcitur proprijs, vel appellatiuis, & significat laudem, vel vituperationem, vel mediū, vel accidens, vnicuique. Principiò definitio hæc nō est ab essentia, sed ab accidente. Essentia enim Adiectiui est, significare aliquid alicui quod insit: ad hoc, quod est Adijci accidens est: potest enim vel adijci, vel non adijci: accidit enim voci vt construat orationem: quanquam hoc accidens est proprium fluens ab ipsa essentia. Sanè etiam extra orationem hæc vox *Bonus*, dicetur Adiectiuum: nec tamen adijcietur. Itaque peruersè quoque data est definitio hæc: cum præpositum fuit hoc quod est Adiici, huic quod est Significare. Peruersa verò etiam alia ratione. Cùm enim Laudem & Vituperationem posuere, addiderunt Accidens: quasi verò ea accidentia non sint: atque est, veluti si dicas, Coruus est crocitans animal, nigrum, coloratum. Accidēs igitur siue significet σύμπτωμα, siue συμβεβηκῶς, siue ἐνδεχόμενον, genus est comprehendens Laudem, & Vituperationem, non minus quàm Album, & Nigrum, quæ ipsi pro exemplis apposuere. Malè etiam apposuere Vnicuique: non enim dantur definitiones indiuiduorum, sed solæ species definiuntur. Verùm post hæc maiorem errorem commisere: nam (omitto aliàs ineptias) sic statuunt, proprium esse Adiectiuorum, suscipere Comparationem: At hoc est falsissimum: nam quis audeat dicere hoc nomē *Medius*, intendi posse, & remitti gradu Comparationis? Quis nescit, *Hodiernum* esse Adiectiuum: quis alia multa? Negligentia quoque illa

illa non parua: etenim de ijs, quæ Quasi ad aliquid dicuntur, vbi scripsere, interponunt de Synonymis nescio quæ, & Dionymis, atque eiusmodi, & falsò vt diximus suprà, & non suo loco. Interrogatiuum, aiunt, est quod cum interrogatione profertur. Leuiter sanè nimis: quippe & Verba cum interrogatione proferuntur. Deinde dixere, Infinitum esse Interrogatiuo contrarium. profectò inanem modum docendi: Nihil enim est contrarium interrogationi: nisi non interrogare: aut sanè Responsiuum appellandum sit, vt aliquid assequamur: Responsio nanque non est verè contraria Interrogationi: quippe aliquãdo eadem: vt, Venit? respondebis Venit. Neque forma ipsa interrogandi est verè contraria formæ respondendi: alioqui quæstio esset contraria conclusioni. At quæstio nihil affirmat: ergo non contradicit. Sed vsus tenuit, vt dicamus: Contrà respondit quia ex altera parte item eum esse dicimus, qui respondet. Infinitum verò quomodo contrarium faciant interrogatiuo? neutrũ enim quicquam ponit: alterum quærit alterum nescit. Quid quòd Infinita dixit esse Relatiua? qua oratione nihil turpius. Relatiua. n. omnia Finita sunt. Fiunt autem infinita appositis verbis non finientibus: vt, Nescio qui sit is, qui tam indoctè scribit, sed ipsa Interrogatiua sunt Infinita: nihil enim statuit, qui interrogat. Diuiduum, inquiunt, est, quod à duobus, vel amplioribus ad singulos habet relationem: vel ad plures in numeros pares distributos: vt, Vterque, Alteruter, Quisque, Singuli, Bini, Terni. Omitto barbariem

cùm posuere, Amplioribus, pro eo quod esset, Pluribus, Rem ipsam agamus. Malè expressere vim horum exemplorum: neque enim hæc vox, Vterque, habet relationem à duobus ad singulos: sed à singulis ad duos transfert significatum. nam cùm dicas, Vter? vnum intelligis ex duobus. Itaque colliges ambos in responsione sic: & hic, & hic, per coniunctionem, *Que*: Vterque. Itaque non est Diuiduum, sed Diuiduo contrarium. Diuiduum potius erit, Alteruter, Vtercunque, Vteruis. Prætereà non puduit distinguere hæc, tanquam in specie, diuisa à specie Numeralium. Imò verò Numerale est genus, complectẽs duas species, Diuiduum: vt, Alteruter: & Indiuiduum: hoc autem rursus duas: Distribuẽs, vt Singulus: Non distribuẽs, vt Vnus. Itaque potius affectiones numerandi, quàm species sint: sicut & Ordinale. Hæc ita se habent. Nos autem hæc inconditã prudentius digeramus, recepta prius nominũ significatione. Omne quod est, aut est Absolutum, aut Relatiuum. Absolutum est, quod à nullo dependet. Relatiua, quæ mutuo naturæ nexu constant. Est autẽ Absoluti nomen minus consultò positum. quod enim aliquãdo vinctũ fuerit, cùm desijt vinctũ esse, Absolutũ dictũ est. Verùm verborum inopia interdũ premimur: vtemur autem receptis, vt intelligamur. Videamus igitur, an vllũ nomẽ rectè dici queat Absolutũ. Absolutũ pluribus modis intelligitur: Absolutũ à caussa: vt, Deus: à materia, vt motrices mentes orbium cœlestiũ: à subiecta substãtia, vt substãtiæ omnes: à relatione, vt quæ ad aliud non referuntur. Igitur

tur ipſius nominis natura nullo horum modorũ abſoluta eſt: cauſſas enim habet, primum ſui autorem: pro materia, vocē, ſcripturámve, aut quid ſimile. Quũ autem rerũ notæ ſint, ſiue ſigna quædam à relatione, nõ erũt Abſoluta. Nomina igitur omnia in prædicamento Relationis ſunt quatenus ſignificant. Verùm omni in relatione eſt ratio referendi, & termini ipſi relationis, & res ſubiectæ, quæ deferunt relationem: vt, Cæſar ſi Catonis filius eſt, tria hæc oſtendentur: nam ratio qua Cæſar ad Catonem vt filius, & Cato ad Cæſarē vt pater, eſt vis illa procreādi tũ actiua, tũ paſſiua. Res deferentes relationem, ſunt duę ſubſtantiæ indiuiduæ. Terminus relationis filij, eſt Cæſar: patris, eſt Cato. Igitur filius in prædicamē to Relationis eſt: ſed connotat ſecũ rem abſolutã ſcilicet ſubſtantiam. Non longè diſſimili ratione Nomen dicas ipſum quatenus ſignificat, eſſe Relatiuum. quatenus abſolutam rem ſignificat, eſſe Abſolutum. Sic dicas, Cæſarem eſſe filium militarem: vt relatiuũ filius, etiã militiã conſignificet rem abſolutam. Ergo ſic Nomina certis generibus partiamur: aut à Re ſtatim deducũtur, aut ab alia voce, A Re, aut abſoluta, aut relatiua. Si à voce, vt Hodiernus, ab aduerbio, Hodie, vocis illius naturam ſequentur. Quæ autem à Rebus deducentur, rerum naturam retinebunt. Oportet enim ſignum æquari rei cuius ſignum eſt. Itaque ſi ſubſtantiam indicabit, aut quantitatem, aut qualitatem, aut alia inde ſumet appellationem. Perſequi autem tot ſpecies, eáſque certis nuncupationibus aſſequi, difficile eſt. Summa autē genera

Relatiuorum sunt hæc: aut æqualia, vt Socius, vicinus: aut inæqualia, vt Seruus, Dominus.

CAPVT XCIIII.

Absoluta substantiua, & eorum genera, ac species.

ABsolutorum genera hęc sunt: quędam substantiam significāt: vt, Ensis. Quædā quantitatem, eámque duplicem: Continuam: vt, Magnitudinem, corpus: locum, Forum: tempus, Annus. Et discretam: vt, Numerum, Vnus, Duo. Alia significant qualitatem: vt, Candor, Facies. Ex quibus ducas nomina generum, ac reddas suum cuique: Temporale, Locale, & quæ suprà. Factitia autē ad genus qualitatis, quatenus sic sonant, Murmur, Turtur, Sibilus, Fremitus: quanquam significatus ad alia genera referatur. Sic etiā Aduerbialia dicta, non quòd aduerbium significent: sed ab origine: quo constat, has denominationes non semper à significato produci. Generale autē & Speciale potius ad dialecticum spectant. Sic Corporale & Incorporale reduces ad substantiā, & alia genera: vt, Deus substantiale est, incorporale: Candor qualitatis incorporalis. An verò id, quod aiunt, verum sit, Orationem esse incorporalem? Nam de vocali, aut scripta oratione si sic sentias, falsò intelligas. Est enim orationis Forma, significatio: Materia, papyrus, atramentum, aër ipse: Figura, structura illa.

CAPVT XCV.

Absoluta diminutiua.

HOrū affectus quorundā, Diminutio est: ita vt res ipsæ quibāt aut intendi, aut remitti.

Quare in ſubſtantia non videbatur inueniri poſſe ſignificatus Diminutionis. Verùm ab affectibus, ſiue accidentibus circunſtantibus effectum eſt, vt reciperet Diminutionem. Sicuti etiam dicimus, Maiorem equum: eſt enim quod ad quantitatem ſpectet, non quod ſubſtantiam. Igitur ſic reſoluimus, vt dicatur, Plus quantitatis in equo, non autem plus equi. Ita dicimus Homuncionẽ, & Homulum, quantitatem reſpicientes in homine, non hominis ſubſtantiam. Atque is ſanè error à vulgo, non à ſapientibus profectus eſt. Puellus autem ætatem ſignificat, non ſubſtantiam: ætas autem ſub tempore collocatur. Cōpoſita etiam ex vtroque inuenias. vt, Pumilus, & Pumilio, ex Puero & Homulo conflatum fuit. Abuſi autem ſunt veteres nomine Diminutionis: nam Minuere, eſt tollere quantitatem: Diminuere igitur, vtranque quantitatem ſtatuit in diuerſa: at ab Homine cùm ducis Homulum, decurtas potius, quàm Diminuis. Quę fuit cauſſa, vt alij conſultius Deminuere dicãt. Eſt enim Diminutio affectus conſequens Diuiſionem. Omne enim diuiſum ita minuitur, vt eadem quantitas minor dicatur, quoniam partes ſeparentur: at in nominis Diminutiui ſignificatione nullæ extant partes: ſed Deminutiuũ eſt quod ſignificat minus quàm Primitiuũ. Quoniam autem eſt ſpecies Deriuatiuorũ, & Deriuatio eſt Figura, & Figura eſt affectus nominũ generalis: igitur etiam Deminutio generalis nominũ affectus erit: iccirco & Abſolutis, & Relatiuis, & Appellatiuis, & Adiectiuis, & Communibus, & Propriis cōpetit. Quare non

inter genera nominum, sed inter accidentia propria recensendum fuit: vt, Homulus, Pulchellus, Romulus, Meliusculus est Antonilla. Nunc igitur de Absolutis.

Quantitatem quædam imitantur, quædam non, sed ei cohærent tantùm. Quare Deminutiua secundum hæc tria dicentur: competit enim maius, vel minus soli quantitati. Dicimus tamen maiorem calorem analogia quadam significationis. Igitur primò indicabunt quantitatem: secundo loco id, quod cohæret ei: tertio, quod eã imitatur. Quantitatem statim dicũt, Tantulus: & proxima huic in ipsa substantia, Auicula, Capitulum, Fraterculus, quæ ei cohærentia sunt. Sic Anniculus, non diminuit annum, sed notat paruitatem substantiæ, cuius motum, anni quantitas metitur. Ea verò quæ quantitatem imitantur, sunt sicut Regulus, cùm Regẽ paruum significat: propterea quod qui vasto corpore sunt, cæteros anteire robore videtur, item imperio: ita ii, quorum in potestate populares sunt eam magnitudinem imitantur: atque iccirco deminutione notantur.

Quum autem variis terminationibus præscribantur, eæ non sunt præsentis operæ. Sed illud animaduertendum, quædam quibusdam flexibus Deminutiuorũ efferri, quæ ad ipsum genus nulla ratione adduci possint: vt, Cuculus, & Cœnaculum, aliáque eiusmodi aliquot: nam quæ veteres afferunt exempla non omnia vera sunt. vt Auunculus Deminutum ab auo est: Abba enim auum appellabãt: item patrẽ, & patris ac matris fratrẽ. Illi igitur cùm patrui nomen quasi patrem alterum

rum attribuerent, matris fratrem quasi remotiorem pusillum auum appellarunt.

Finis igitur Deminutiuorũ is, Tollere quantitatem, aut alia quæ remitti possunt: sic Regulus, paruum regem imperio. Veraniolum dixit Catullus vrbanitate: sicut Romulum, & Sergiolũ, pueros: nõ adulatione, vt aiunt, qui id à Gręcis sumpsere: Romani enim non fuit adulari. Fraterculũ quoq; gigantum iidem malè dixere ab vrbanitate: sed respexit ad Gigantum vastitatem. Probro: Meretricula, Pusio. Imitatione: ab Angui, Anguilla. Minus rectè etiã, qui contendunt, à Recto Fidis, & Apis, Fidiculam, & Apiculam, ducta: falsa enim ratio est. Si à Fides, esset fidecula. Primùm videntur negare mutationem vocalium in deductis: Deinde satis constat commodius fieri si Rectus à secundo casu differat. Itaq; si nõ inueniatur apud autores *Fidis*, rectius facias, si neges vnquã fuisse. Et Ouidiana *Apis*, ex deteriore depropta vsu sit. Verùm ego arbitror inter vtrunque sonum pronunciari solitum: vt in *Nisę*, *Nisi*: *Here*, *Heri*. Itaque cùm Aedes, nõn Aedis: Sedes, nõ Sedis in recto legatur, tamen Aediculam, & Sediculam dictum legimus. His autem non erat hic locus, nisi huius quoque rei caussa nobis reddenda fuisset.

Ex his quæ diximus, cõstat, Nomina in *Aster*, à veteribus rectè inter Deminutiua esse collocata, temere à recentioribus ablata. Eorũ argumenta sunt hæc: Si essent Deminutiua, non fuisset à Terẽtio addita altera nota paruitatis, apud quẽ legimus, Parasitaster paruulus. Itẽ pullastra, grãdi-

usculam potius significat pullam: Præterea Apiastrum est miræ altitudinis. non igitur erit deminutiuum: quare Imitationem non Deminutionem dicent. Ad hæc sic respondemus: omnem imitationem indicare deminutionẽ: quare quod tollunt, id ipsum statuunt. Et quod additur à Terentio paruulus, significat corporis quantitatem ætate imperfectam, vt sit deminutio corporis: at parasitaster est artis deminutio: vt is sit, qui haud magna cum re parasitatur: & quia agit, siue imitatur parasitum, citra parasiti modum est. Apiastrum autem non est diminutiuum ab Apio, sed ab Apibus ductum, vnde etiam μελισσόφυλλον, id est Apifolium dicitur à Græcis, Citraria enim est: quin ea Apium neque imitatur, neque similis eius est. At quod Apiastrum est ab Apio deminutum, sanè eo longe minus est. Verba Plinij sunt in xx. libro: Nasci in Sardinia herbam syluestrẽ Apij similem, quod sit Apiastrum, Apio minorẽ. E' Sallustij historia sumptum videtur. In Sardinia, inquit, herba nascitur, quæ Sardoa dicitur, Apiastri similis: hæc ora hominũ, & rictus dolore contrahit, & quasi ridentes interimit. Pullastrã autem omnino minorem Pullam intelligimus: quippe Pulla, est Gallina iuuencula: idque tam contra eos, quàm pro eis facit: neque enim Pullastra, aut syluestris est, aut pullam imitans: vt quid enim minorem maior imitetur? aut quomodo imitatio in substantia, aut in quantitate naturali sita sit. quæ affectus animi, aut in ipso affectu posita est? Surdaster quoq; qua ratione surdũ dicetur imitari? sed enim idem est, quod subsurdus.

dus. Caussa autem huiusce terminationis à Græcis constituta est: φιλιππίζειν, ἀντωνιάζειν, est Philippum, aut Antoniũ agere: sic παρασιτάζειν, vnde Antoniaster, & Parasitaster: sic ὀγκιστὴς apud Galenum παρὰ τὸ ὀγκίζειν: sic παρασιταστὴς, & Æolice verso sibilo in literam vibratiorem. Qui igitur imitationem tantùm attribuêre, non meminerant surdastri: qui sustulere deminutionem ob Terentium, non videbant duas paruitates eidem posse euenire, corporis, & artis: qui omnino nõ putarũt esse Deminũtiua, nesciebãt imitatione significari inęqualitatem duorũ, quorum minor sit is altero, quem imitatur.

Proprium Deminutiuorum habere deriuata, non à primigeniis, Hortulanus.

CAPVT XCVI.

Collectiua, & Comprehensiua.

IN Genere quantitatis, quæ reliqua sunt, ponemus ea, quæ vocant Collectiua. verùm vox à definitione dissentit. Colligere nanque est aliquo modo vnũ ex multis facere: at, Populus, aut, Vulgus, quod dat signum nobis colligendi? potius, Vterq;, & Ambo, & Omnis, sunt signa Collectiua: illa autem, quæ sic ab antiquis sunt dicta, Cõprehensiua potius iudicabuntur. At ipsi Comprehensiua dixere his non absimilia: cuiusmodi est, Vinetum, Rosetum, & eiusmodi. Verùm hæc nihilo distant, nisi modo ipso significationis: nam Populus rem vnam è multis constantem notat: at, Vinetum, vnam rem multas comprehendentem. Non est Collectiuis dissimile, Arena, Scopa,

Scala, & eiuſmodi, quæ fruſtra plurali duntaxat numero dici debere contenderunt iccirco, quia multa eſſent. Neque illis in mentē venerat, quodcunque eſt, vnum eſſe. At quod eſt, aut eſt vnum Subſtantia, velut dicebamus, vt Homo & Equus aut Accidente, vt Homo & Album: aut Subiecto, vt Album & Dulce in lacte: aut Miſtione, vt Poſca: aut Aggregatione, vt Aceruus. Igitur in ſingulari ſi pronuncies, rectius deſignes vnum eſſe: vt, Cumulus, Grex, Turma, Theſaurus: vt etiā in plurali diuerſis locis poſita ſignifices: vt Cumulos arenę, Italicæ & Ægyptiæ: Greges, tuum & meum. Eſt præterea vnum Mathematicum: vt, quadrantalis figura vnum eſt ex multis lateribus: ſic Quadrigā debes dicere, vt & Alcibiadis, & Hieronis Quadrigas poſſis. Eſt etiam vnum Dialecticum, vel Metaphyſicum, vt Definitio, quæ conſtat, ex genere & differētia: & Species quæ conſtat ex iiſdem deſignatis à definitione: quæ tamen ſingulari numero proferuntur. Quare multo vſui nomina hæc Comprehenſiua fuere. Multóque conſultius eſt hoc excogitatum, quàm ſit admiſſus mos pluralium, vt Thebæ, Piſæ: nam ſi ſic neceſſe ſit dicere, illud quoq; neceſſe fuerit, vt ciuitates, nō autem ciuitas appelletur. Sic grege legato, vna res legata eſt, vt ait Paulus, neque pars poteſt recipi, pars ſperni.

CAPVT XCVII.

Relatiua ſubſtantiua.

RElatiua aut ſunt Subſtantiua, vt ſeruus: aut Adiectiua, vt libertinus. Itaque affectio eſt nominis aut genus vtranque complectens ſpeciē, ſubſtan-

ſubſtantiuorum, & adiectiuorum: neque mirum: neque enim ſubſtantiam ſignificant, ſed eſſentiã referendi: itaque accidentis ſemper notæ ſunt. In priore genere continẽtur Ordinalia, Primus, Secundus: aut his ſimilia. Centurio, præfectus: & alia talia quæ dixim⁹, vt Ciuis, Vicinus: Nepos: Filius: quæ vnum tantum terminum ſignificãt. Videntur autem & Gentilia, & Patria ad hæc referri ſub adiectiuorum ſpecie: neque enim dicas Græcum, ſine Græciæ intellectu: ſed tamen Gręciam, ſine Græci intellectione, poſſe dicere videris. Verùm non ita eſt. Plato Græcus fuit: Regio Attica, Gręca: ſi ſubſtantias ipſas reſpicias, nõ referes: ſi nomina impoſita, quæ gentem ſignificẽt, non poſſis, quin referas. Terra illa non eſt alicuius terra: ſed patria eſt alicuius patria: Græcia autem Græcorum eſt, & Græci Græciæ. Itaque omnium nobiliſſima fuere Patronymica, quæ in voce ſubſtantiua, adiectiuorum plenitudinem ſunt conſequuta. Adiectiua enim ſignificãt accidens, & modum quo inhæret ſubſtantiæ: quare aliqua ratione etiam ipſam connotant ſubſtantiam. Hoc etiam amplius Patronymica, quæ etiam certã ſubſtantiam conſignificant: nam incertum quidem filium vel nepotem, at certum vel patrem, vel auũ; tanta yi, vt etiam propria nomina referri penè cogant. Videtur enim Priamus referri ad filios hoc nomine Priamides: verùm non ita eſt: nam tametſi terminum nominat, non tamen eum refert ad hunc quem primario ſignificat: ſignificat enim filiũ Priami, quẽ ad Priamũ refert: conſignificat Priamum, ſed ad filium non

refert. Cæterùm eò præstant cæteris, vt diximus, quòd vtrunque terminum relationis simul statuunt voce ipsa, nō solùm significatu. Illud quoque mirum fuit, à proprio ductam vocem per denominationem, non esse Adiectiuam, sed Fixam: id quod non potuerunt obtinere Possessiua. Appellatiua autem fuere amisso iure proprietatis. Neque enim potius Hector, quàm Helenus intelligetur eo nomine *Priamides*. Non propter eam rationem, quam afferunt, Singularia non referri: hoc enim falsò dixere philosophi quidam. Nam relatiua quoque sua habent indiuidua: vt, hic filius huius patris.

Proprium verò cùm fuisset per initia Patronymicorum, Græcis tantùm in nominibus fieri: vsus Romanus ad sua transtulit commoda, vt Romulides. Falsò enim dicebant quidam Patronymici loco vsos tū Possessiuo: nemo enim hoc legit nunc. Auxere quoque inscitiam, cùm Latinorum tantùm esse dicerēt possessiuum: qui si Græca ignorabant: at meminissent ex poëmate, quod legerent assiduè, Troïa, & Typhoëa, & Euandrius. Quoniam verò etiam Mater ita refertur vt tum ea, tum Pater vnico nomine Parentis complectantur: iccirco ab ea quoq; ducta sunt: vt Coronides, Æsculapius apud Ouidium. Item eodem filo ab auis maternis, quo à paternis trahebātur: Atlātides, Mercurius. Post hæc à sororibus quoque Phaëthontiades, sorores Phaëthontis. Horatius etiam à factis, non ab sanguine Tyndaridem dixit eam, quæ Clytemnestræ more diffidisset bipēni caput virò. Moderatius veteres, qui ciues omnes

omnes, tametsi non erant à principe ciuitatis geniti, ab eo appellarunt: Cecropidas, Athenienses.

CAPVT XCVIII.

Mobilia, siue Adiectiua absoluta.

QVemadmodũ suprà diximus, Mobilia sunt alia Absolutarum rerum, alia Relatiuarum notæ. Absoluta sunt, Viuus, Exanimis, Anniculus, Sesquipedalis, Albus, Calidus, Frigidus, Circularis, Forensis, & eiusmodi: genera ipsa rerum si spectaueris. Habent autem affectus hos, æqualia esse ei, vnde sunt denominata: vt à Iustitia, Iustus: iustus enim est. qui iustitiam æquauit. Secundus affectus fuit, minus significare: vt, Bellus. Tertius, augere significatum: vt, Gloriosus, Populabundus. Proprium autem fuit Mobilium, transire in naturam Fixorum: vt, Pluuia: fuit enim per initia, Aqua pluuia. id quod etiam ex LL. libris deprehenditur, De aqua pluuia arcẽda. Eadem analogia fluuius, vt possis dicere, Fluuium Renum. Ducta enim sunt, aut à nomine, vt Candidus: aut à verbo, vt Bibax: aut ab aduerbio: vt Hesternus. Fluere igitur cum significaret ipsum accidens per se: ducta est ab eo verbo vox, quæ in alio esse indicaret, Fluuius. Itaque vehementer falsi sunt, qui scripsere, quædam Nomina esse neque Substantiua, neque Adiectiua: vt Verbalia, & alia quædam: cuiusmodi est, Ciuis: & Seruus: quæ propterea ipsi Ambigua appellarunt. Verùm res se aliter habet: Verbalia enim fuere Adiectiua, nihilosecius quàm Participia: sed breuitatis caussa omissum est Substantiuum: quis

enim neget ποιητὴν, fuisse primùm appositum, τῷ ἀνδρὶ: sicut & Homerus dicit, ἰατρὸς ἀνὴρ: sicuti πλούσιος ἀνήρ. si enim Bellare habet naturam Adiectiui, nón ne Bellator item habebit, significat enim bellandi scientiam in Cæsare, aut alio. itaque variatum fuit, vt etiam Bellatricem diceremus Camillam, & Arma victricia. Sic Seruum, & Seruam, Dauum, & Syram: & Seruum imperium, quòd alij parêret. Sic pauper Irus, Ilia, Regnum. at seorsum ponitur ab Ouidio, Pauper vbique iacet. Non sunt igitur Ambigua: nihil enim medium inter ea, quæ diximus, in rebus: ergo neque in nominibus: sed sua natura Adiectiua fuere: vsus autem non mutauit, vt efficeret Substantiua, sed Substantiua sustulit: non vt hæc essent, sed vt illa subintelligerentur. Sic dixit per initia, Pluit Deus: postea sustulit Nomen. Sic dixit, Amatur à Cæsare: postea tacuit nomen, & passus est verbo nullam certam attribui personam. Quòd autem addunt his, Ciuem, & Regem: vt dicatur, & vir Ciuis, & Ciuis bonus: & Populus Rex, & Rex bonus. hoc sic increbuit, quemadmodum apud Græcos quod per articulum declaratur, ἀνὴρ ὁ πολίτης, λαὸς ὁ βασιλεύς. quãquam Rex quoque fuit Adiectiuum primò, & Consul, & Prætor. Nam quòd vnum tantum genus obtinuerit, id non ipsius nominis, sed rei quam notaret, caussa factum est. Cùm enim hæc accidentia non nisi in viris inuenirentur: non nisi virili genere potuere enunciari: quanquam etiam Reginam dicas. Sic Autor, vtrunque genus complexum est, cùm terminatio mas-

culini

culini tantùm analogia præscripsisset. Sic Græci per initia dixere, πτῶχα λαγωόν, pauidum leporem: at vsus τὸ πτῶχα dixit, λαγωόν, subticuit. sic φοῖβον ἀπόλλωνα, Phœbum perditorem: at simpliciter ἀπόλλων, substantiui sui nomen obtinuit. sic σκάμανδρον ξανθόν, quòd pecora flauescerent eius potu: at Xanthi sola appellatione Scamandrum intelligebant: vt hoc sanè magis mirum sit, ex Adiectiuo factum Proprium substantiuum.

Secundum rerum genera cùm Adiectiua distinguantur, non pauca eorum certis terminationibus insignita fuere. Quæ igitur substantiam significarent multas facies sunt sortita: in *Aceus*: in *Itius*: in *Inus*: in *Eus*. In *Aceus*, materiam significant: Panis hordeaceus: Interdum totam: vt Messis triticea: &, Pila cretacea. Aliàs partem: vt, Ptisana hordeacea: nam etiam ex aqua constat, nõ solo hordeo. Etiam fusa significatio ad cohærentia, vt acino contentum granum, Vinaceum: quẽadmodum imitatus est Gallinaceus: quoniam ex gallinæ materia ac fatu esset. Huic proxima terminatio, Cratitius paries, & Cæmentitius: idem significauit. item materiæ cohærentia, vt Multitia vestis: neque enim Multitudo materia est, sed Linum, aut Lana: sic Multatitia pecunia, quæ ex Multa: at Multatio materia non est: sed forma potius, qua pecunia exigatur. Vt & hoc errarint, qui solam materiam, non etiam formam dicerent significari: & malè scripserint: *Icius*, non *Itius*: nam vt est à Iusto, Iustitia: sic fuit à Crate, Cratitius. Atque hæ duæ terminationes

Latinis ſunt peculiares : Alteræ duæ à Græcis profectæ, Cedrinus, Cupreſſinus, in *Inus*: & in *Eus*, Ferreus, σιδήρειος, Aeolicè: exempto, vt diximus ι, ex diphthongo. Abiegnus autem fuit paulò coactius dictum, ab Abiete. Ianthinus verò & Amethyſtinus videtur colorem, non ſubſtantiam ſignificare: verùm ita fuit, vt quaſi ex ipſa Viola, & Amethyſto confecta eſſet veſtis : quoniam ex ſuccis herbarum tincturæ perficiebantur. Quæret aliquis, An *Tribunitius*, atque alia eiuſmodi in ſuperiorem ordinem redigantur? Sanè ita eſt: etenim Tribunatus quaſi materia eſt eius loci in Republica, qui Tribunitijs debebatur: ſic Patritius Ciuis, cuius dignitatis materiam præbuerint patres.

Quæ verò qualitatem ſignificant, alia exeunt ſimplici, communíque finitione: vt, Bonus, Celer. Alia Græco flexu denominatiuorum: vt à Pythagoræ ſapientia, Pythagoreus & Pythagoricus. Sunt etiam duo alij modi verbales, πυθαγορειστής, vt Grammatiſta : & πυθαγορικτής, vt πύκτης: & συρικτής, Aeolicè. Sic neſcio quo feliciſſimo commento Franci etiam nunc poëtam, patria lingua, *Factiſtam* dicunt. qua voce nulla meliore analogia Græcam potuit & excipere, & exprimere. Enarratores Theocriti agnoſcunt inter eas terminationes differentiam ad ſignificandum, quam qui volet, inde petat. Sunt & alia quæ ipſam qualitatem ſub exceſſu quodam notant, exeúntque in *Oſus* : ea habuere originem à Græcis, vt Vinoſus, οἰνώδης, eſt enim οἰνώδης, qui plus vini appetit, quàm par ſit: aut qui plus vini obtinet.

ſcilicet

ſcilicet aut ſubſtantiæ, aut ſaporis, aut odoris, aut coloris: vt apud Homerum alia terminatione, οἴνοπα πόντον. Sic duo quoque modi ſignificãdi apud Latinos fuere: Ingenioſus, qui multum ingenij haberet: Mulieroſus, qui multum mulierum vellet habere. Trahunt autem originem à nominibus, Græcorum eorundem exemplo: non à verbis, vt putarunt: his exemplis, Stomachoſus, Studioſus, Quæſtuoſus, Sumptuoſus. Sed à Stomacho: quod apertius patet in alijs: nam à Studio, non à Studeo, habet vocalem ſuam ſtudioſus, & à Sumptu, & Quæſtu, ſuam cætera. Itaque M. Tullius ſic loquutus eſt: Non vt mihi ſtomachum facerent, quem nullum habeo. Quare à Criticis notatus fuit Nigidius Figulus, qui Biboſum, dixit. ſuam enim habent à verbis terminationem pari ſignificato, Edax, Bibax, Emax, Vendax, Loquax, Dicax: à nominibus rarò, Linguax. Et aliam infrequentiorem, Bibones, Comedones, Calcitrones: & à nominibus, Catillones, Popinones: quanquam à Catillando & Popinando quoque duci poſſint, vt à Lurcando Lurcones. Sed quædam omnino ſunt à nominibus, vt Ciliones à Cilijs, & Labeones à Labijs. Horum item Græca origo fuit: ſic enim effingunt illi nomina Comprehenſiua: vt, ὀρνιθῶνα, δαφνῶνα, πλαζανῶνα: loca plena Auibus, Lauris, Platanis. & vnum facetum ſanè, κενεῶνα, partem corporis, quæ Ilia à quibuſdam putata ſunt. quoniam igitur plus vacui ibi eſſet, quaſi multo vacuo plena eſſet, κενεῶνα ſuperiorum analogia appellarũt. Eorum autem ſignificatus alius actiuus,

vt Studiosus : alius passiuus, vt Formidolosus: alius indifferens, vt Montosus : quæ fuit caussa, vt à verbis deduci posse putarit Nigidius. Habuere autem modum significandi, vt diximus, excessum. Excessus autem omnis vitiosus : Virtus enim aut medium, aut in medio. Verùm nominum quorundam vi factum est, vt etiam virtutis limitibus continerentur : eius rei caussa fuit. propterea quòd omne bonũ difficile paratu est: vt est apud Hesiodum, & Vergilium, & Platonem,& Aristotelem. Ergo conatus ille frequentium atque affectatarum actionum intra laudis metas constitit : vt, Studiosus : nemo enim satis pro re studere possit. Quin media quoque vocabula, vt Fama, & Dolus, in deteriorem partem flexa fuere. Famosam Mœcham, Dolosum mercatorem: propterea quòd facilior habitus, deterior est. Iccirco diuinus poëta Famam, malum definiuit. Hæc pertinent ad caussas & Originis, & Significationis. Materia autem sic se habet: Quædam simpliciter deducuntur, vt à cerebro, cerebrosus : quædam cum additamento vocalis, vt à cura, Curiosus : quanquam non sine ratione : Sabina vox fuit, non vt ineptiunt, quia Cor vrat. Quirites dixit Plebem Romulus, se Quirinum, Senatum Curiam : omnes eodem vocabulo, vario flexu. Inde Curiosus dictus, qui satageret Consultorum Senatus. simùl Curæ nomen deriuatum qua diligentiores patres vocarentur. At apertissimè assumpsit Formidolosus à Formidine : Monstruosus, autem quod dicunt quidam, puto esse barbarum : nam in manu scripto

pto Martialis exemplari, quod de præda Fontarabiæ nacti sumus, sic scriptum est, Montosæ decus Vmbriæ. Tortuosus quoque & Saltuosus nihil assumpsere: sed à Tortu, & Saltu, ducta sunt: sicut à fastu Fastuosus. quanquam igitur videntur quantitatem significare, tamen non ita est, sed intentionem qualitatis: nam tametsi Mons significat quantitatem, at Montosus, habitum illum montium notat. Sic euenit etiam in alia terminatione, *Vndus*: Magnitudinem nanque indicat: Cæterùm non solius Quantitatis, immo verò, vt suprà dixi, Habitum quendam. Neque verò dubium est, quin à maris excessu naturam nacta sint; quippe ab *Vndis*. Nam *Maris* nomine antiqui pro magno vsi sunt. hinc Pelagus, quia πέλας ἄγει. Iam enim τὸ πέλας significat tractum ipsum. Et Callimachus quasi prouerbio vtitur in Apollinis hymno:

Οὐ φιλέω τὸν ἀοιδὸν ὃς οὐδ' ὅσα πόντος ἀείδει.

Et apud Latinos, Maria ac mõtes polliceri. Vulgò etiam dicimus, Maria, de re immensa. Sic Catullus cùm multa proposuisset etiam maiora fide, subdidit, Cætera sunt maria. Sed de his alibi. Eorum autem Materia talis est, vt quædam B, habeant, alia C. Populabundus, Iracundus, Rubicundus, Verecũdus: quorum origo à futuro verborum ducta significatum expressit perpetuationis: vt, Populabundus, non solùm qui populatur, sed etiam populabitur. Pauca ad præsens respexere: vt, Iracundus ab eo quod est, Irasci, exempto sibilo, quasi qui semper irascatur:

Rubicundus,qui ſemper rubricet:nō,vt vulgo v-
timur, actiua ſignificatione tranſitiua, ſed abſo-
luta,aut μέσῃ, quemadmodum cùm dicimus La-
uat, id eſt, Lauatur. & apud Poëtam, Iam venti
poſuere. Verecundus autem originem paulò ha-
buit obſcuriorem,propterea quòd abolitum ver
bum eſt Vereſcor: ſicut contrà, Adipiſcor,ſuum
primogenium amiſit. dicebant enim Apere, ἀπὸ
τὸ ἅπτειν, vnde Apex, & Apes, & Examen, cuius
ſimplex non inuenitur ſic voce primaria, ſed in
Amento. verùm de is alibi. Continuationem i-
gitur dicimus quia Rubicundum non dicam me,
ſed Silenum,cuius facies multi atq; aperti rubo-
ris ſit: Nireum non dicam iracundum, Achillem
dicam, multæ iræ, & quam ipſe præ ſe ferat. Fa-
cundus literam mutauit,ſi à fando,non ab effica-
cia ductum ſit. Fœcunda à fœtu,per conciſionē.
Rotundum quoque,ſi ab eruditioris iuditio con-
cedatur mihi, videtur non abhorrere. Neque ve-
rò habitum illum cum exceſſu ſolùm indicant,
ſed etiam vehementiam quandam, atque extan-
tem præter modum exuperantiam in rebus ina-
nimis: quaſi cùm dicas Mare fluctuabundum,
vel vt ait Gellius, Vndabundum. In rebus au-
tem voluntate præditis, etiam Oſtentationem,
ſiue Profeſſionem, atque etiam,vt ita dicam, Sa-
tagentiam. nam quemadmodum differt Verbale
à Participio, ita à Verbali genus hoc nominum.
Pugnare poteſt quiuis, atque erit Pugnans: Pu-
gnator longè alio modo idem ſignificat: addit
enim habitū ſciendi pugnas. Sic, Populās,& Po-
pulator: at Populabundus hoc apponit inſuper,
vt

vt palàm præ ſe ferat animum ac ſpiritum Populatoris. Iccirco veteres non malè dixere: cùm imitationem quandam his nominibus attribuêre, ſimul & ſimilitudinem: quippe geſtuoſa quodammodo quæ ſint. Propterea dixit Salluſtius in Iugurthino: Quaſi vitabundus: id eſt, quaſi is, qui præ ſe ferret metum, vt hoſtem eliceret, quem vitare ſimularet.

Eſt alius modus eiuſdẽ terminationis in *Inus*: nam ſuprà correpta vocali pronunciabatur, Faginus axis: & Materiam indicabat. at in quibuſdam producitur, & Qualitatem conſiſtentem ſignificat: vt Libertinus. Et in *Ilis*, Seruilis, Herilis. & vnum correptum Pugil. fuit enim Pugilis per initia, ſicut Ciuilis. Et quemadmodum ſuprà in *Itius* Materiam notabant, Cæmentitius, Cratitius: ita etiam Ædilitius, & Tribunitius, quaſi materiam, non veram: analogicè enim Tribunatus dicitur, materia dignitatis, ac ſtatus hominis. Qualitatem igitur indicant, id eſt conditionem, à materia, aut quaſi à materia, ſub ratione quadam paſſionis: vt Aſcriptitius, qui eſt aſcriptus: Fictitius, qui eſt fictus: Dedititius, qui eſt paſſus deditionem: Deditio enim quaſi materia quędã eſt Capite diminutionis: eſt enim affectus deditionis, amiſſio libertatis. Eiuſdem modi ſunt in *Alis*: vt Triumphalis, qui ex Triumpho gradum adeptus eſt in ciuitate: Furialis, furijs captus: Mortalis, eadem ratione dicitur, qui morte affectus eſt: nam quòd ad aptitudinem tranſlatum ſit, hoc vſus occupauit. Cæterùm de mortuo primùm ſic ſunt locuti, Mortalis fuit:

deinde etiam cùm ad viuentes respicerent, propterea quod essent eiusdem naturæ, eosdem quoque Mortales vocauere, sic etiam Capitale crimen dixere, quod capite lui meritum esset: quo significato etiã quę nódũ vocata essent in iudiciũ intellexere. His similia in *Orius*: Censorius, Prætorius: hæc sequutum illud fuit, Vxorius. Nam Censura ac Prætura acta certis limitibus vitæ præscribebant ciuibus: ita vxoris imperio qui cohiberetur, eodem vocis flexu significatus est. Verùm quia certa nomina eam terminationem non admittebant, aliam eundem in vsum excogitarunt, in *Aris*: Consularis, vicino sono superiori, quæ erat in *Alis*. Verùm huius modus latè fusus est: dices enim Robur militare, etiã in Remige, qui nũquam miles fuerit, quoniam in milite repertum iam ęst. verùm etiã à caussa efficiẽte ducta sunt: vt Viam militarem: etiam in prædicamento τοῦ ἔχειν, vt Sagum militarem. A'Singulo quoque Singularis dictus. & alia quædam, quæ ad philosophum spectant: de quibus exactissimè in primo historiarum à nobis est disputatũ. Alia natura eorum est, quæ in *Aticus*, habitum à natura inditum notant, Venaticus: aut etiam substantiam, vt Aquaticus: siue, vt malis, habitum in aqua, aut propter aquam agendi. Mutuatica pecunia apud Gellium, quæ actione mutui condici potest: Mutui enim naturam induit ex stipulatione, aut pacto, aut eiusmodi. Alia eorum, quæ in *Timus*, in prædicamento τοῦ ἔχειν, vt Patrimus, Matrimus, qui patrem & matrem habet: Æditimus, qui ædem: at Legitimus, potius passiuè,

passiuè, qui à lege constitutus est. Finitimus videtur relationem notare, verùm id non à terminatione, sed à significatione nominis huius finis, factum est: & significat eum qui suos fines habet. Hæc omnia corripiunt terminationem. At Bimus, Trimus, Quadrimus ab anno ducta, non facilè est dicere, salua verecundia ineptiendi, quare producant, nisi propter concisionem. In *Arius*, eundem habitum ad agendum: Sagittarius, qui sagitta vti scit: Bustuarius, qui busto præest. Quædam etiam pasśionem notarunt: vt, Tumultuarius, qui tumultu sit conscriptus. Etiam ad ætates vsus transtulit, Sexagenarius, vbi neque actio, neque passio, sed τὸ ἔχειν: sicut Centenaria vsura, de qua suo loco, quomodo Binarius, Ternarius. At carpẽtarius etiã opus facit: carrucarius non, sed facto vtitur, vt Armẽtarius. Nunc alia duo videamus: Quod aptum natũ est quippiam aut agere, aut pati, id πεφυκέναι dixerũt Græci: propterea quòd rei ipsius φύσιν sequeretur affectus ille. Duas autem habuere apud Latinos, totidem apud Græcos terminationes: in *Iuus*, actiuam: in *Ilis*, passiuam: sic Græci αἰσθητικὸν, id quod aptum natum esset ad sentiendum aliquid: αἰσθητὸν, id quod aptum natum esset ad sentiendum ab aliquo. prauè à Barbaris eæ voces translatæ sunt in Latinitatẽ: sic enim interpretati fuere inscriptionem libri Aristotelici, de Sensu, & Sẽsato. nam αἴσθησις sensus est: αἰσθητικὸν, quod sensu præditum est. eóque aptum est vti: αἰσθητὸν quod sensu percipi potest. De Sensiuo & Sensili dicendũ fuit: aut molliore, si reperias vocabulo, sed ad

hunc modulum apto: vt in libro de Inſcriptione à nobis declaratum eſt. Nam etſi Senſio, paſſio quædam eſt, tamen ſub actionis rationem recepta eſt eius ſignificatio: vt Tango, & Guſto, & Audio: ſed de his alibi. Actiua igitur terminatio Græca maxima prudentia conſtituta fuit. affinitate quadam coniuncta cum verbis illis, τυπτειω, αἰσθητιω, vt affectus à verbo, & aptitudo à nomine τυπτικὸν, αἰσθητικὸν habeant cognationem. Mollius tamẽ ducas à præterito, quaſi ſit à τυπτίζω, τυπτικόν. Noſtri in *Iuus*, vt diximus, hoc expreſſere, ſũpta occaſione ab Æolenſibus. nam quædã nomina deducta communi pronũciatione interpoſito proprio elemento pronunciabãt. Αʹργεῖος alij ipſi ΑʹΡΓΕΙ͂ϜΟΣ. Igitur vt ab eo quod eſt νότος, dicitur νότϝος, qui Auſtri vim habet: ſic ab eo quod eſt, Actio dicetur Actiuus, qui agendi habeat poteſtatem. Exempla ſunt multa: Interneciuum bellũ, quod vtrunque bellatorem necat. Fugitiuus ſeruus, qui fugit, quoniam ſuapte natura ad id propenſus fuit: Genitiua membra, apud Ouidium, τὰ γεννητικά. Tempeſtiuus quoque, non vt dixere, ſignificauit occultiorem actionẽ: ſed ſanè fuit is qui tempore temperaret. At enimuero paſſiuum qua ratione dictum fuit? Terminatio actionem, paſſionem notat ſignificatio. Græcos malè ſecuti ſunt, qui παθητικὸν, potius παθητόν. nam paſſiuum erit id, quod faciat aliquid pati: hoc autem fuerit potius actiuum. actio enim & paſſio cùm vnum tantum ſit, ſed differat ratione: vt vulneratio actio ſit Achillis, & paſſio Telephi: paſſiuũ & actiuum idem erit, quoniam & ſignificatio eſt

eiusdem rei, & modus idem : Nam & terminatio in *ſuus*, ſignificat actionem, & ipſa paſſio ab actione nõ diſtinguitur re ipſa: igitur ſignificabit rem ipſam in agente. verùm Grammatici ſerò ſapientiam cum vocabulorum vſu coniunxere. Quæ verò ſignificant paſſionem, in *ſlis*, exeunt, præeunte ſecundum verbi naturam conſonante: vt, Habilis, Facilis, Agilis, Plicatilis: in quib⁹ elementum verbi anteit: Habeo, Facio, Ago, Plico. Quædam autem à futuris ducta ſunt: vt, Amabilis: & à ſupinis, Penſilis, Flexilis, non ſine ratione: aptitudinem enim ſignificarunt, quę, non eſt neceſſe, vt in actum producatur. At recentiores audacter nimis iam actus ſignificationem attribuêre, idq; friuolis ſanè argumentis. Fictile, inquiũt, vas, quod eſt iam fictum: coctiles Lateres, qui iam cocti: atque alia multa eiuſdemmodi. Auxere errorem pertinacia: Nauis, aiunt, Agrippinæ ſolutilis, quia nõ bene erat cõſuta, ſed ſoluta. hoc autem ridiculum eſt. ſcimus enim & ſatis Nautarũ continuiſſe: & diu curſum vſque in altum tenuiſſe: ſed quia ſolui poterat, ſolutilis dicta fuit. Sic Verſatilis ſcena, quæ verſari poteſt machinis, qualis illa Marcelli fuit: quòd ſi eſt Verſatilis: quia verſatur: cum non verſabitur, verſatilis non erit. Sed Ariſtoteles in nono Metaphyſices diſputat hoc aduerſus Euclidæ ſectatores, quos ibi Megaricos vocat: ij ſic profitebantur, Non poſſe nos moueri, niſi cùm mouemur. Verùm de his amplius in Oratione de Endelechia pro M. Tullio. Qua item ratione facient, vt vpupæ criſta ipſis faueat? neque enim ſemper plicata eſt, ſed quia ali-

quando poſtquam fuerit erecta, plicari poteſt. Fictile autem, atque alia eiuſmodi, ſi talia ſunt, nónne talia fieri potuere? Omne enim quod eſt, ab eo quod verè eſt, factum fuit: Omne quod eſt, præter Deum, ab aliquo factum fuit: omne quod factũ eſt, ab aliquo fieri potuit. Coctiles lateres dicuntur, quia crudi ſic primum ſunt appellati. quoniam coqui potuere. Sic Raſiles calathi, & Tapetes, & alia. Lychni penſiles, antequam pendantur: poteſtatem enim priſtinam ſignificant: ſic Vua, Balnea, Horti, quoniam in ſuperiora eorum vſus transferri potuit. Flexiles rami, lenti: quia poſſunt flecti. hæc vox etiam additamentum paſſa fuit in formatione Flexibilis. Aurũ, aut æs ductile, quod ex maſſa in lamellas duci poteſt. Seſſiles lactucæ, quarum natura eſt ad ſedēdum poſtquam creuerint: vbi abſoluta ſignificatio eſt, non tranſitiua ad paſſionem, quaſi quas ſedere cogat natura. Anſa tortilis, quæ inter fabricandum ex directa, torta facta eſt. Apertile latus, quod quiuit aperiri. Altiles gallinæ, quæ poſſunt & ali, & non ali. Horum igitur ratio duplex: nãque poteſtas hæc, aut à natura eſt, vt flexilis iuncus: aut ab Arte, vt coctiles lateres: ergo naturalis illa vis nunquam deficit: nam etiam cùm flexi ſunt iunci, retinent nihilominus priſtinam flectendi facultatem: coniungitur enim actus cum potentia, & tales ſunt, quia poſſunt eſſe. Huius rei ratio eſt, quia ab eſſentiæ principiis fluit poteſtas illa. Scire poteſt infans Muſicã. Adultus ſcit. nunquis dicet tunc amiſiſſe ſciẽdi poteſtatem? Quæ autem ab arte proficiſcũtur, non ſic ſe habẽt: neq;.n. cocti lateres poſſunt coqui:

coqui: quoniã coctio accidés est,extrinsecus adueniés,nõ à primordiis laterũ. Sed hæc quæ arte fierẽt secuta sunt rationẽ eorũ quæ fluerent à natura.Sic.n.cõsultius fiet quàm quod à recẽtiorib. factũ est.vt quia lateres côqui nequirẽt,idemque in ipsis & coctum & coctile esse videretur:iccirco flexilem ramũ eundem putarent & flexũ: Et fissile robur idẽ cum fisso.Nã cùm Plinius inquit.Alia fissilia,alia celeriora frangi,quàm findi:nónne intellexit,aptiora, quorúmque natura præuerteretur citius fractione,q̃ fissione?Sic etiam Theophrastus,vnde ille χιστά,θλαστά,θραυστά.quæ ipse acceperat à præceptore diuino suo vbi loquitur de crustis ac testis Aquatilium.& in 8.Metaphysices.Poëtica licentia dictũ est, Penetrabile actiue:sicut Porrum sectiuum,vulgus contrà passiuè. Hinc constat malè reprehendi Boëtium à curiosis recẽtioribus,qui γελαστικὸν,Risibile interpretatus est. fecit enim exemplo eodem & analogia, qua Sessilis lactuca dicitur,absolutè.

Quantitatem autem quædam simpliciter declarant,quædam non: Nam tempus & locum sub quantitate quum intelligamus : Tempus simpliciter quædam significarunt : vt Bimùs. at locum nõ simpliciter, id est sub quãtitate, sed sub ἔχειν. neque enim Montanus,eum significat,qui montis instar est : sed qui montem habitat. sicut Intestinus loci habitũ.Hęc multas cũ aliis cõmunes habuere terminationes,in *Anus*,Syluanus:cuius affectus proprius fuit, vt ex adiectiuo fieret substantiuum Cœlestis:Terrestris: addito elemento sicut Palustris : nam Paludestris, asperum est, &

fortaſſe barbarum. Suprà poſuimus, Aquaticum, à qualitate non malè: ſequitur enim qualitas ſubſtantiam, & loci rationem. Cognatio enim eſt inter locum & locatum. ac ſanè ipſum hoc genus, τὸ ἔχειν, alij cum qualitate, alij cum relatione miſcuere: quidam neque habitum ſpeciem qualitatis à relatione: ſed hæc ſunt alterius operæ. Habes etiam alia: Litoralis, Marinus, Maritimus, Pelagius, Fluuialis, Fluuiatilis, Aquatilis, Tartareus, Aërius, & eiuſmodi. Et à partibus terrarum, in quibus etiam id diuerſum fuit: in *Enſis*, vt peregrinum incolam, non indigenam declararet: ſanè Martialis mauult librum ſuum Hiſpanienſem, quàm Hiſpanum: vt Romanus ſit, qui in Hiſpaniam animi gratia diuerterit. In aliquibus tamen Natiuum eſt: vt, Veronenſis. longè diuerſa ratione dictus eſt Cato Vticenſis, cùm Vticæ periit, non eſt natus. Et ampliore limite, vt Pratenſis. ſicut Subcinericius panis, non ex cinere, ſed ſub cinere: adiuuatur autem à præpoſitione. Græca ſunt, Tarchaniota, & Crotoniata. Priſci ita conſtituêre, vt animaduerterent, quædam excedere nomen loci: Creta, Cretenſis: quædam non, ſed alia æquare: Macedonia, Macedonicus: quædam ſuperari, Italia, Italus. Hæc à regionibus. Ab oppidis autem negarunt. Itaque à Venetia, Venetus: à Venetiis, Venetianus maluere. At Barbari quidam nihil diſcriminis faciunt inter Venetiam, & Venetias. verùm vt illorum conſilium placet, Venetiani enim à Venetis diſtinguendi ſunt, ſicuti Patauini à Venetianis: Veneti enim Patauini quoque ſunt: ita regulæ ſeruitus diſplicet.

cet. Idem enim ab oppidis quoque euenit: à Roma, Romanus: à Tiferno, Tifernas: à Camerino, Camers: quare à Lauinio oppido, & Lauina & Lauinia rectè ducas. neque à grammaticis vtrum legendum sit apud Vergilium, sed quemadmodum poëta scriptum reliquerit obseruandum. Proprium horum est pati concisionem. Sarsinas, quod fuerat Sarsinatis: & literas transferre: vt à Velitris, non Velitrenus, sed Veliternus: quanquam demptam potius iudicarim, vt fuerit Velitrerinus, deinde vsu vox expolita sit. Ex his colligitur non esse verum quod aiunt, in *Ensis* ea esse, quæ à Græcis οἰκειωματικὰ vocantur: nam etiam sunt indigenarum, Coloniensis, Lugudunensis. denique Pratensis.

Tempus autē & Temporis partes, sic: Extemporaneus. nam Tempestiuus, vt diximus, potius temporis habitum significat. sicut Intempestus: quod fuit concisum tēpestiui. Hora, habet Horarium, cùm diei partem significat: at Græci quaternas anni partes sic appellarūt. vnde Latini Hornū, quòd huius anni esset, neque in alienas trāsisset ὥρας anni sequentis. Diurnus, à die: Nocturnus à nocte: Vespertinus, Matutinus, penultima producta. itaque etiam Diutinus & Serotinus pronunciandum est, contrà quàm prodidere. A Conticinio, & Diliculo, & Crepusculo, nō sunt deducta. sed Aduerbiorum forma vtuntur. Perdius, & Pernox, cōpositione adiuta sūt, quò minus cogerentur in communem terminationē: sicut ἐφήμερον animal dictum ab Aristotele. A Mense vulgaris vox Menstruus, dura sanè: itaque emolliuit illā

Cicero,& Menſurnum fecit. Annuus non ſolùm anni habitum ſignificauit, vt reditum ſtatum indicaret: veluti quum dicimus, Annua ſacra: ſed etiam totum tempus, ídque vnicum: vt apud Iureconſultos, Annua, Bima, Trima die. Anniculus ætatem ſub tempore, ſicut Quadragenarius, & eiuſmodi.

Diſcretàm autem quantitatem ſignificant his terminationibus, Centenarius, Binarius, Ternarius, quæ etiā ſub ἔχειν reduximus: neque enim ſolùm numerum, ſed etiam habitum ponderis, aut ætatis, aut ordinis connotat, res enim valde ſunt complicatæ: neque niſi à philoſophis dignoſci planè poſſunt. ſicut Bini: Quaterni, & eiuſmodi: quæ iccirco carent numero ſingulari, quia plura comprehenſa, ad totidem referunt: ſed licentia poëtica pleraque torſit.

CAPVT XCIX.

Relatiuorum ſpecies recenſentur.

RElatiuum ſignificat, vt diximus, aut Æqualitatem: vt, Vicinus, Propinquus: non enim Locum: vt falſò ſcripſere: ſed Relationem in loco. Aut Inæqualitatem: hic ſunt ſpecies tres. Poſſeſſiuum, Comparatiuum, & Superlatiuum. Diminutiuum autem comparatiui ſpecies eſt: de quibus omnibus iam eſt dicendum.

CAPVT C.

DEnominatiuorum ſpecies cēſentur Poſſeſſiua: ſunt enim Poſſeſſiua quæ id denominăt, cuius ſunt: vt, Enſis Cæſarianus. Ac quæſitum

quidem aliâs à nobis est, quamnam ad caussam reducerentur: nam Cæsar ensis sui neque materia est, neque efficiens, neque forma: videtur igitur potius esse finis. Sic Pompeianus ager, Seianus equús, in vsum Pompeii, & Seii. Sic Olympii ludi in honorem Iouis eo cognomento: sic Circenses, & Megalenses, ad Possessiua redigendi sunt: sic Florales, & Robigales, & Saturnales primùm fuere, siue Dies, siue Ludi, siue Vacationes. deinde tenuit consuetudo, vt potius Robigalia, & Saturnalia dicerentur, propterea quòd honestiore consilio Sacra, quàm Dies intelligerentur. Quæsiuimus illud quoque An à materia: vt, cretaceus: à forma: vt, statua Herculea: ab efficiente: vt, Venus Apellæa: ducerentur. Et non videtur: sed simpliciter Denominatiua sunt: ac quanquam videtur quædam relatio, tamen non correspondent. Neque enim Creta Cretacei est, sed pars totius. Haud enim ferè inuenias præter Deum, quod non aliquo modo referatur. Omnia enim saltem ab illo dependemus: Solus enim verè est.

Differunt autem à Patronymicis Possessiua: primùm, quòd Patronymica fixa dicuntur, hæc mobilia: illa patrum aut auorum, aút omnino generis habent significationem: hęc cuiusuis rei notæ sunt: illa à proprijs, hæc à cõmunibus. Ex quibus colligi possunt rationes, & caussæ reponendarum specierum, quæ sunt à veteribus proditæ. Neque enim aut Cardiacus, aut Mathematicus, aut eiusmodi, sunt Possessiua, vt putarunt, sed Denominatiua: sicut & alia quæ sunt suprà declarata.

CAPVT CI.

Comparatiuorum Superlatiuorúmque natura, & caussæ, & vsus.

EST hoc receptum è ſcientijs tam quæ Magnitudines, quàm quæ Naturam contemplantur: è nihilo nihil fieri. Ita è rebus, quæ carēt corpore, coniunctis, nunquā quicquā corporis fieri. Nam ne coniungi quidem poſſunt. Coniunctio enim extremorum, extrema autem corporum. Quare ſi incremēta fiunt ex Quantitate, & omne Quantum diuiſibile eſt in ſemper diuiſibilia, incrementa quoque ipſa diuidentur: igitur quæ ſignificarunt quantitatem, primo receperunt modum tum incrementi, tum diuiſionis. horū imitatione item ea, quæ indicarent Qualitatē; propterea quòd intendi ac remitti poſſet. Iccirco Denominatiuorum, quæ referuntur, duæ fuere ſpecies conſtitutæ, Comparatiua, & Superlatiua, quæ Quantitatis, Qualitatísve dicerēt incrementum: & Deminutiua, quæ incrementi dicerent certam ablationem.

Occurrunt autē primo loco Deminutiua: ſi rei naturam ſpectes. poſito enim nomine Iuſtitiæ: ſiquid adiungatur acceſſionis: per propiores gradus aſcendemus ad exceſſum. Verùm quia non ſunt ſpecie diuerſa à cōparatiuo, ſed modulo tantùm quodam, atque iccirco poſterius excogitata, poſteriore loco tractanda iudicauimus. Etenim ſi dicas Meliuſculum eſſe Triticum Siligine, etiam Melius, poſſis dicere. Comparatiuum autem & Superlatiuum ſimul ſtatuemus, haud enim abſimili ſunt natura: neque enim diſtant niſi quate-

nus

nus pars à toto. vt quemadmodũ Deminutiuum modus ſit Cõparatiui, ita Comparatiuum Superlatiui: vt qui ſit Doctiſſimus, etiam Doctior ſit. An verò etiã poſſit dici Doctiuſculus? Et videtur. Toto enim partem contineri verum eſt. ſi enim qui ſit doctiſſimus, etiam doctus eſſe dicitur: etiam doctior: quare non etiam doctiuſculus, quod inter doctum & doctiorem intercipitur? Verùm res aliter ſeſe habet, Deminutiuum enim non ſolùm partem notat, verùm etiam ei certos præſcribit limites. Neque verò ſolo hoc differunt: ſed & alia cauſſa ſubeſt. Nam Superlatiuũ etiam abſolutè poni poteſt: vt, Cæſar fuit fortiſſimus. Significat enim, adeptum fortitudiné, omnes eius numeros abſoluiſſe. At ſi dicas, Doctiorem, neceſſariò quempiã, quicũ comparetur, aut ponas, aut intelligas. Prius autem comparatiuũ inuentum eſt.

Eſt igitur Comparatiuum ſpecies dictionis exceſſum ſignificans ad alterum relatum. Dico autem quantumcumque, & qualemcunque exceſſum: non, vt dixere, mediocrem: neque dico ſpeciem nominis, vt nomen eſt: ſed vt nomen eſt ſpecies dictionis. Nam & Participium & Præpoſitio & Aduerbium comparantur. Hi duo errores veterum fuere: quorum alterum mox explicabimus. qui verò contaminauit definitionem, ſic conſtat: Omnem exceſſum, totúmque etiam à cõparatiuo ſignificari, non autem mediocrem. Primùm, falſum eſt mediocrem eſſe. poteſt enim ſaltem citra ſummum, ſed proximè cõſiſtere: vt doctior tantùm ſit, cui illud tãtùm deſit, quo ſit doctiſſimus. Deinde hoc quoque falſum eſt. Nam

qui ſit doctiſſimus idẽ etiã doctior dici poteſt. vt Nigidius aut Varro, ſi ſit doctiſſimus Romanorũ omniũ, nón ne doctior cæteris Romanis eſſe poterit? Quare Cõparatiuũ à Superlatiuo nõ diſtat ſpecie, vt diximus: ſed eſt aut ſicut pars in toto, ſiue ad totum: aut idem cum ipſo in re, diuerſum autem in modo: relatione ipſa ſcilicet. Igitur ſi eius naturam acrius contemplemur, haud ſanè pro re nomen inditum deprehendemus: neque enim ſatis eſt ipſum dici Comparatiuum: multa enim ſunt nomina Comparatiua, quippe notæ Comparationis: multa Aduerbia: vt, Similis, Diſſimilis, Propinquus, Qualis, Quantus, Velut, ſicut, & alia eiuſmodi. Neque verò omnis Comparatio exceſſum ſignificat: quare ab hac differentia potius nomen conſequi par fuit, quàm à communi cum multis natura illa. Itaque commodius ὑπερθετικὸν quàm συγκριτικὸν appellari potuit. Neque enim ſuperlatiuum rectè à Græcis ὑπερθετικὸν dictum fuit. Nanque τὸ ὑπὲρ non ſignificat τὸ ὅλον, ſed ipſum habet ſuos gradus: ſed conſultius ὁλοθετικὸν, aut ἀκροθετικόν. Latini autem hoc etiam amplius errarunt, qui neque præpoſitionem emendarunt, & verbum *Fero*, immiſcuerunt, quod motum ſignificat. Græci ſapientius conſtantem qualitatem aut quantitatem, per verbum, τιθέναι. ita etiam conſtat minus prudenter θετικὸν dictum nomen vnde hæc fiant, vt Iuſtus: nam etiam Iuſtior, τίθησι: ſtatuit enim Iuſtitiam. Cuius rei ſignum eſt, quòd etiam ſuperlatiuum dictum eſt, τιθέναι ὑπὲρ τὸ θετικόν. prætereа qui Iuſtus eſt, poteſt eſſe Iuſtiſſimus. Omnem enim

enim Iuſtitiæ habitum habet. Itaque ἀόριστον potius dici debuit. Indefinitum.neque enim declarat graduum præſcriptionem, Comparatiuum autem, ὑπερθετικὸν ſuperatiuum. ſuperlatiuum autem, ἀκροθετικὸν à Græcis, à nobis aliquo nomine,quod vltimum exceſſum indicaret.

Ex his definitionibus videmus,veteres nō rectè dixiſſe, Comparatiuum ſignificare poſitiuū, cum Magis.Primùm peſſimè locuti ſunt. Neque enim Denominatiuum ſignificat nomen, vnde ducitur, ſed rem alio modo: ſic Comparatiuum rem, non nomen ſignificat. Deinde, *Magis*, eſt Comparatiuum: quare idem reſolueretur in ſeipſum, atq; eſſet reſolutio infinita. In quod enim reſolueretur ipſum Magis? vbi ſiſteret reſolutionem? Neque verò prudenter negarunt, Magis, eſſe Comparatiuū. Nam Magnus fecit,Magnior Magnius & Magius, ac tandem Maius. Aduerbium autem voluerunt variare, retenta litera priſtina,ac fecere,Magis. At quod argutant,non differre Aduerbium à neutro in aliis: fatemur. Quod addunt,ne in hoc quidem eſſe faciundum: ridemus. Libenter enim in aliis item feciſſent,ſi quiuiſſent. Fecere,vbi potuere,vſique ſunt & libertate,& commoditate.Errarunt quoque in Superlatiuo, in eius intellectu ineſſe *Multum*, aut *Valde.* Nam multum magnus eſt, cum qui maior,quàm qui maximus. At Valdè, quid eſt,niſi Validè? Igitur Validiſſimus erit validè validus.Bis igitur validus.At Superlatiuum ter validū potius ſignificat. Id quod Galli neq; temere neque imprudenter in patriam linguam receptū

etiam nunc retinent. Hæc igitur ipſorum Nomina, atque Naturæ: nũc Cauſſas, ac tandem Affectus videamus.

Ergo materiam à Grȩcis mutuati ſunt Latini in Comparatiuis, imitati ſonum ſub R, litera: σοφώτερος, Sapientior: & in Aduerbio adhuc propius, Sapienter. Superlatiui autem terminationem Grȩcã repudiarunt propterea, quòd conueniebat cum paſſiuo participio. Nam vt à σοφὸς, σοφώτατος, ſic ab eo quod eſt Incitus, deduxiſſent, factum eſſet ſanè Incitatus. Itaque alius flexus placitus eſt. Geminarunt autem ſibilum ſic, Incitiſſimus: iccirco quia etiam Græci produxere mutatam vocalem, quæ eſſet breuis poſt breuem, vt ſuperiore in exemplo patet. Tractus enim vocis longioris id exigere videbatur. Quare eodem exemplo etiam aliam terminationẽ conſtituêre, Vberrimus: tãto facilius, quòd iam alteram literam ex geminatis ibi inueniebant. At in tertia terminatione, quare recentiores vnica tantùm liquida pronunciarunt, ſic, Similimus? cùm tamen proprium eius fuerit geminari ob ſoni lenitatem, & producatur apud poëtas ſemper, & in antiquis exemplaribus omnibus ita ſcriptum ſit, & ſubſit, tum analogia, tum analogiæ cauſſa, quare ſit geminanda. Communis autem terminationis cauſſa etiam à Grȩcis quandam habuit originem: τρόφιμον enim eſt altile, quod ſcilicet nactum ſit naturam, vt alatur. Naturam igitur eam cùm plenè poſſideret, mutuauit ſimilem ſonum aliis, quæ ſummum illud adepta eſſent. Fiũt igitur à nominibus incrementum ſuſcipiẽtibus.

Quare

Quare à significantibus substantiam non fient: nam αὐτότατος, & Ipsissimus, mera licentia poëtica fuit. Nationem verò indicantia ita demũ exoriẽtur, si non statum hominis, sed gentis ostendent mores: vt quia Pœni perfidi legemus Pœniorem apud Plautũ. aut etiam ab alio significato. Quare &, Neronior, non à Neronis substantia, sed à sæuitia comparabitur ad significandum. Confessum etiam ab omnibus est, Comparatiua duci ex aduerbiis quibusdam: vt, Doctus. Nec deest ratio: verborum enim qualitatem significant Aduerbia. Ab cæteris autem partibus negant. A'participiis non fieri, quia transeant in nomina: neque à Prępositionibus, quia amittãt vim, qua casibus præponuntur. Nos cum his aduersus veteres dicimus, à verbis non duci. Exempla enim falsa sunt: Nam à verbo Potiri, est ridiculè deductum Comparatiuum Potior, & Superlatiuum Potissimum: neque enim significata valde cohęrent. sed à Potis, siue Pote, fiunt. Par inscitia, cùm Detero verbum ex sese aiunt gignere Deterior: quippe Deterior, passiuam habet rationem significandi, vt quod sit plus detritum, deterius sit. & vox vetusta fuit, Deter: sicuti, Dexter, Citer, Exter, apud Catonem, & Statium: quæ nunc exoleuere. Cõtra hos autem cum veteribus vicissim sęntiamus, A'Participiis duci: siquidẽ non omnia participia in nomen transire posse. nam Expugnare significat actionẽ sub tempore: Expugnator, sine tẽpore: Expugnãs, sub tẽpore. Cui si addas casum nominis, nõ verbi, amisso tẽpore nomẽ fit, retẽta sola Participij terminatione: vt, Expugnãs vrbiũ,

ſicut Expugnator vrbiũ, nullum tẽpus deſignat. At Participia paſſiua quomodo nominũ naturã aſciſcant? neque enim ſimili ratione caſus nominis apponi poteſt: itaque Expugnatum, ſemper præteritum indicabit. Et Honoratiorem, atque Honoratiſſimum, nunquam de alio tẽpore, quàm de preterito pronuncies. Immo verò quibuſdam horum nominum etiam caſus verbi additur: vt, Expugnatus à Cæſare: ita etiam Expugnabilis à Cæſare: tãtum abeſt, vt Participiis ipſis derogari id ius poſſit. Sic locutus eſt M. Tullius ad Cornificiũ: Cæteris, inquit, omnibus rebus habeas eos à me commendatiſſimos: id eſt, qui maximè à me commendentur. A Præpoſitionibus quoque deriuari, multis exemplis conuincuntur, in quibus manet vis Prępoſitionis caſum exigentis: vt apud Liuium in primo: Duo corpora propius Albam. Neque ſine ratione: Interuallum enim in partes ſecari poteſt: Cuius interualli conditionem ipſa Præpoſitio declarabat. Ex quibus, vt diximus, acutius contemplanti conſtat: Comparationem eſſe differentiam, qua genus ſub dictione conſtitutum complectitur non ſolùm Nomen, ſed etiã Aduerbium, & Præpoſitionem, & Participium, quæ inter ſe differunt ſpecie. Idémque de Superlatiuo intelligendum.

Affectus autem eorum vſu continetur, verùm non ſine controuerſia. Cùm enim neget nemo, caſum Sextum deberi Comparatiuo, Secundum Superlatiuo & pluralem ſemper numerum: Dubitatum eſt, An pluralis caſus Secundus Comparatiuo apponi poſſet. Quare non defuere, qui

Com-

Comparatiuum inter duos tantùm, cùm Secundo casu poni posse contenderent: ídque Horatij exẽplo, qui dixit: O' maior iuuenum. Sextum autem inter plures duobus diuersi generis: vt, Cæsar fortior Gallis. Nos verò sic sentimus: Cõparatiuum cùm semper aliquo modo referatur, non semper tamen ad sequentem referri casum: sed ad eum, qui subintelligitur. Igitur si dicas, O' maior iuuenum, directa oratione ad duos Pisones, non redditur casus ille secundus Comparatiuo. Neque enim fieri potest, vt alter Piso maior sit, quàm sint iuuenes: sed refertur ad fratrem alterum sic, O' alter iuuenũ, qui altero maior es. Sic etiam dicimus explicatius: Elephantorum Indici maiores Afris: etiam si Afris, subticeatur, constet oratio. Exponitur autem ad hunc modum: Elephantorum alij Indici, alij Afri: quorum Indici maiores Afris. Sicut ergo casus ille, Quorum, non est Comparatiui, sed Distributionis: ita erit in exemplo quoque superiore. Ex hac natura constat ratio, Quare poni queat cum præpositionibus *Inter*, &, *Ante*: vt, Inter alios doctior. Ac sanè cùm in comparatiuo duo sint, Relatio, & Excessus: prępositio *Ante*, non abhorreat ab eius natura. Altera verò quæ est, *Inter*, languidiorem operam præstat: nisi enim multa suppleantur, non exprimit vim excessus, sed potius æqualitatem: vt, Cicero inter ciues suos doctior: potius enim tendit ad Naturam absoluti, quàm Comparatiui: nisi subintelligas distributionem ad singularia, quemadmodum in Secundo casu exemplorum, quæ suprà diximus:

cuius Secundi casus natura partitionem item dicit in constructione Superlatiuorum: quæ fuerit caussa, vt semper inter congeneres fiat significatio. Quæ verò partiuntur, quæque distribuuntur, eiusdem generis esse necesse est: quemadmodum si dicas: Cæsar clementissimus Romanorum: intelligitur Cæsar vnus è Romanis, qui aliis clementior sit, quoad fieri potest. Quare videmus eorum fallaciam, qui negant, Dictionem *Omnem*, cum Superlatiuo poni posse. Si enim dicatur, inquiunt, Cæsar doctissimus omnium: Cæsar non excluditur ab ea vniuersitate, quin vnus omnium sit: igitur fieret, vt se quoque esset doctior. Atque hi falsi sunt, cùm non intelligerent Secundi illius casus partitionem. Idem nanque est, Doctissimus hominum: &, Doctissimus homo. Comparatiuum verò cum Sexto casu ne sic statuas, quemadmodum poëtæ tum Græci, tum Latini ausi sunt: Cunctis doctior. hic enim fit relatio doctrinæ ad cunctos: non autem sola partitio sine comparatione. Itaque vocem excludentem addendum est, cuius vi res comparata excipiatur. Id quod fecit doctissimus poëta: -*Ante alios immemor omnes.* addidit enim *Alios*, ne sub voce *Omnes*, Pygmalion quoq; comprehenderetur. quanquàm idem alibi subticuit, cùm scripsit: -*Sed cunctis altior ibat Anchises.* Præpositiones igitur ipsæ attulerunt vim partitionis, non solùm *Ante*, & *Inter*, sed etiam *Ex:* vt apud Liuium primo: Sextus filius eius, qui minor ex tribus erat. non enim potuit dici, Minor tribus. Tres enim tantùm erant: ipse enim secum compararetur: essetque seipso

minor.

minor. Illud etiam aduersus veterum sententiam est animaduertendum: Si ad secundum illum casum referatur Superlatiuum: aliam quoque ab iis, quas suprà posuimus, caussam esse, propter quam illi superlatiuum male interpretati sunt per *Multum*, & *Valde:* neutrum enim horum aduerbiorũ refertur. Postremò id quoque falsò eos prodidisse constat, Græcos arrogantia quadam commisisse, vt non nisi ad idem genus Superlatiuum referatur: quoniam prę se vnis, cęteros omnes barbaros appellassent. At enimuero in sua tantùm gẽte id obseruassent: nunc verò videmus etiam inter Barbaros legis rigorem tenere. Sed id in caussa, vt diximus, fuit, Partitio ac Distributio. Itaq; hoc loco, vox hæc *Genus*, non solùm gentem aut nationem indicauit: sed etiam diffudit significatum ad alia multa: puta mores, artes, & eiusmodi. Dicam enim, Epeum solertissimum fabrorum. Sic in primo de Oratore M. Tullius, de Crasso, & Scæuola: Alterum parcorum elegantissimum: alterum elegantium parcissimum. Neque enim ad diuersa genera relatum est: in vtroque enim erat elegantia cum parcitate. At Martialis in duodecimo, multo effusius:

Non es, crede mihi, bonus. quid ergo?

Vt verum loquar, optimus malorum. Inter bonos enim & malos nullum commercium est, contraria nanque sunt: sed suo more lusit. Ne illud quidem rectè prodidere, Comparatiuum poni aliquando absolutè: semper enim habet aliquid, saltem occultæ, relationis. Sic seniorem Acestem dixit Poëta: aut quàm alij, aut quàm fue-

rat, aut quàm videretur: tantùm abeſt, vt minus ſignificent, contrà quàm ſcripſerunt: exemplum enim Vergilij, Triſtior, de Venere, ſignificat eam plus quàm triſtem. declaratur id tum lacrymis, tum dolore qui exprimitur in conqueſtione. Multò verò minus ſignificabunt contrarium: relatio enim eſt inter participantia: igitur, Mare Ponticũ qui dicunt eſſe dulcius cæteris: non intelligendam proponit amaritudinem, ſed dulcedinem miſtam in omni mari, in Pontico autem maiore fluuiorum incremento, neque enim mare extremæ amaritudinis eſt: igitur contrarij, hoc eſt dulcis admiſtione remiſſum. Quòd autem in mari ſit aqua dulcis, in quarto hiſtoriarum declaratum eſt. καὶ ποτίμῳ τρέφεσθαι τοὺς ἰχθῦς. Sic etiam Theophraſtus ſenſit, & verum eſt. Eodem modo locutus eſt Philoſophus in eodẽ quarto: πλατύτερον γάρ ἐστι τὸ ὀξὺ τῶν τευθῶν. Niſi enim τὸ ὀξὺ haberet latitudinem, non dixiſſet πλατύτερον. Et idem λευκότερα dixit, quæ eſſent minus nigra, colores enim inter ſe mutuo congreſſu diluunt nitorem. Et in octauo, comparauit ὀξύτερον, cum τῷ ὀξύ.

His ita conſtitutis, intelligemus euenire poſſe, vt Comparatiuo Superlatiuum excedatur: non ſua natura quidem, ſed ob fortuitas rationes: cùm enim Cæſar vnus è Gallis non ſit, non dicam Cæſarem Gallorum fortiſſimum. Igitur ſi non omnes numeros fortitudinis expleuerit, niſi inter Romanos, ſic dicam, Cæſar Romanorum fortiſſimus fuit: Maximinus autem fortior. Fit enim hoc, non natura Comparatiui, ſed quia addi-

additur Natio. itaque ſiquis apponat genus, quo profeſſio ſiue ars, ſiue ſcientia, comprehendatur, non poterit ab vllo excedi Comparatiuo: veluti cùm dicam, Bellatorum omnium fortiſſimum Maximinum. Huius rei cauſſa eſt in Radicibus philoſophiæ. Siquidem primum, perfectúmque duplex eſt: quippe aut verè, & quod aiunt ἁπλῶς, vt Deus: aut in genere, vt circulus: eſt enim ſuo tantùm in genere figurarum perfectiſſimus: iccirco extra genus ſuum alteri comparatus inuenietur inferior. At profeſſio eſt affectus genericus, complectens varia accidentia, vel gentium, vel nationum: itaque comparari porrò non poterit. Nam Bellator, eſt affectus hominis, neque coërcetur potius limitibus Romanis, quàm Germanis, ac propterea totam ſummam exhauſit. Quoniã verò, vt dicebamus, hi tractus incrementorum gradus habent ſuos: iccirco etiam notas excogitarunt, quibus vel Comparatiuum, vel etiam Superlatiuum ipſum augeretur: vt, Longè, & Multò. Nam etſi Superlatiui ſignificatus ſummus eſt, non tamen in puncto verſatur. Vt etiam hinc appareat leuiſſima pugna Grammaticorum, quæ ex poëta litigant, an potuerit ab eo dici, Diomedes Danaûm fortiſſimus: quoniam Achilles fuerit fortiſſimus. Nam etiam Aiax fuit fortiſſimus: etiam alij eſſe potuere. Quare illud quoque à veteribus omiſſum ſanciamus: non ſolùm in diuerſis generibus, ſed in eodem quoque duo Superlatiua poſſe ita comparari, vt alterum redactum in Comparatiuum ſuperet: ſic, Fortiſſimus M. Manlius.

& fortiſſimus Sicinius Dentatus, & fortiſſimus Scæua Centurio C. Cæſaris: at Sicinius vtroque fortior. Vtrum verò è re ipſa ita ortum ſit, an vſu occupatum, quærere operæpretium eſt. Nam ſi fortiſſimus eſt, qui omnem ambitum expleuit fortitudinis: multi eſſe poterũt fortiſſimi, ſed nemo alio fortior. Quare cõſuetudine potius, atque opinione factum eſt, vt ita loquerentur: neque enim ſtatim erat omnibus nominibus fortis, qui fortiſſimus creditus eſt. Ergo alterum cùm animaduertiſſent meliorem, non omiſſo priore iudicio, comparationẽ addidere. Nam ſanè aut prior non erat fortiſſimus, aut ſecundus non erit fortior. Non ſolùm autem gradus ipſi conferuntur, vt doctior, & multò doctior: fortiſſimus, & longè fortiſſimus: ſed etiam diuerſa ſignificata inter ſe: poſſum enim eſſe fortis, & non tam doctus: ergo ero fortior, quàm doctior. Interdum igitur ex æquo ponuntur per interrogationem: interdũ non ex æquo per affirmationem: nam Interrogatio dubitat: itaque ex æquo proponit iudicandum, non ſtatuit: affirmatio autem non quit duo Comparatiua inter ſe collata æqualia facere. Primo modo locutus eſt Cicero in ſecunda Philippica: Impuriórne, qui in ſenatũ: an improbior, qui in Dolabellam, & cętera. Alio modo omnes loquũtur, Cæſar clementior, quàm iuſtior. Nam quod addunt *Magis*, ſic: Clementior magis, quàm iuſtior: nullum autorem habent, quem adducant. In hunc enim modum ſoluitur oratio, Clemens eſt, & iuſtus eſt: ſed Clementia eſt maior quàm Iuſtitia: Iuſtitia non eſt maior, quàm Clementia.

At

At Comparatiuum si, vt aiunt, significat Positiuum cum magis, resoluatur Comparatiuum in eorum oratione, fient sanè ridiculi: Cæsar Clemens magis est, quàm iustus. Nam quòd poëtæ dicunt, Magis, atque magis: id fit per ἀναδίπλωσιν: sicut, Etiam atque etiam. hic autem hoc non quęrimus. At non addidit Liuius in libro duodetricesimo: Vt propius fastidium eius sim, quàm desiderium.

Quoniam verò vsus & affectus rerum, substantiam earum naturámque demonstrant, manifestò colligimus, *Magis* esse Comparatiuum, contrà quam, vt diximus, sint arbitrati. Id enim ex orationis vsu patet, cùm dico: Hoc volo magis, quàm illud. Est enim idem modus comparationis: qui in Philippicis apud M. Tullium: Hoc citius, quàm hoc. & quo vulgò vtimur, Hoc potius, quàm hoc. Ex quo vsu illud quoque à veteribus, tanquam peccatum animaduertamus: qui negarint, Complures, esse comparatiuum: dicit enim Terentius in Heautontimorumeno: Nemo meliorem agrum habet: nemo seruos complures. Et ratio etiam iubet: compositum enim est à præpositione. & Plus. Quòd si Compluria dixere prisci contra Comparatiuorum analogiam: flexionem nouam inuexerint potius, quàm vocis naturam deprauarint. Proprium autem est Comparatiuorum pati vt Aduerbia sonum mutent neutrorum: Maius enim, vt diximus, factum est Magis, Interdum etiam vt deficiantur positiua, & aliunde penitus mutuentur, tã in Aduerbijs, quàm in nominibus: Vt, Parum virium. Minus audaciæ: Paruus

census, Minore pudicitia. Item quomodo à Nominibus Aduerbia fiunt, & eorum affectus comparandi: ita è contrario ab Aduerbiis, Nomina superlatiua: vt apud Catonem Nepotem, Sæpissimam discordiam. Et sicuti quæ à Præpositionibus ducuntur, casus seruant suos: vt, Proxime pōtem: ita etiam quæ à Nominibus, eorum Nominum casus admittunt: vt, Moræ patiens, Moræ patiētissimus: Similis Neronis, Similimus Neronis. Proprium est autem Superlatiuorum, fixa fieri: vt, Proximus, pro cognato: Et apud Liuium libro primo: Pro indignissimo habuerant se patrio regno tutoris fraude pulsos. Et in secūdo: Nec ambigitur, quin Brutus, qui tantum gloriæ Superbo rege exacto meruit, pessimo publico facturus fuerit. Iccirco etiam comparationem suscipient: vt apud Vlpianū, Proximior. Sicut autē sunt cōparatiua sine Superlatiuis, vt Anterior: ita è contrario apud Plautum, à Penè, Penissimè. Priuatim autem proprium est huius comparatiui, Prior, etiā poni pro Primo: vt in Titulo, de Re militari: & apud Varronē, cuius verba refert Gellius hæc, Quoties magistratus plures essent Romæ, quis prior esset. Sed ita accipiēdum est, vt tota summa in duo diuidatur. Primus enim vnus est qui præit: cæteri quasi vnus, qui præitur. Malim tamen abstinere. de, Potissimum, etiam nonnihil obseruauimus.

Restant Deminūtiua, quæ cognoscere facile est: comparatiua enim sequuntur, vt pars totum. Deficiunt tamen in pluribus hominibus, veluti in eo, quod modo dicebamus: à, Prior, enim non ducitur Deminutiuum: neque ab alijs eiusmodi.

Hæc

Hæc eſt eorũ forma & origo. Quod autẽ pertinet ad cauſſam materialem, non inutilis quæſtio eſt. Quare à neutris potiſſimum orta ſint, vt non potius Doctiorculus, quàm Doctiuſculus. haud ſanè patet ratio: niſi ab Aduerbijs primùm ducta intelligamus. Fortiuſcule fecit, vt ſit origo vocis militaris.

CAPVT CII.

Nominum Affectus communes.

NOminum igitur Species, Naturæ, Cauſſæ, Affectus hi: generales autem Affectiones multæ in ipſa accidentium mutatione. Mutatur autem aliquid multis modis: ſed ad duos reducũtur. Nam aut Subſtantiam amittit veluti cùm è terra fit herba: aut Accidẽs. Idque fit aut in Quãto, vnde eſt augmentum: aut in Quali, quod ἀλλοίωσιν Græci nominant, noſtri Alterationem, voce noua quidem, ſed elegantiſſima, & maximè neceſſaria, ſunt interpretati: aut ſecũdũ locũ, qui dicitur Motus. Ergo ſic euenit ei, quod mutatur. Aut ipſum fit quod non erat, cùm mutatur ſubſtantia: aut in ipſo fit, quod non erat, in cremento, & ἀλλοιώσει: aut ipſum fit, in quo non erat, ſcilicet in loco. Sũt etiam mutationes in aliis generibus prædicamentorum. Quin etiam mutatur aliquid non propter ſuam, ſed ob alterius rei mutationem. vt mortuo Catoni vnico filio, deſit ipſe Pater eſſe. Et equus qui ad dexterã Cæſaris eſt conſtitutus, ſi ad læuam tranſmoueatur: ipſe Cæſar qui ſiniſter equo erat, fit dexter. Quibus igitur modis nominũ mutentur accidentia videamus.

Species quidem ipsæ non mutãtur, vt quæ primitiua esset, fiat deriuatiua: sed alij atque alij cõparatæ, eo modo mutari intelliguntur. Amator, deriuatiuum ab Amo, est. Primitiuum autem est ad amatorium. vt Philippus Amyntæ filius, idem & Alexandri pater. Quoniam verò Primum dicitur, aut cùm anteit, vt vnitas: aut cùm etsi non anteit, tamen ne anteitur quidem: quippe Primogenitus etiã vnicus dici potest filius: iccirco Primitiuum quoque sic intelligi queat, hac ratione: non à quo deriuatiuum sit, sed quòd ipsum à nullo: hoc enim necesse est aliquando fuisse, vt ab amore nihil duceretur. Ita postea mutauit speciẽ, vt ex primitiuo absoluto relatiuum primitiuũ fieret. Et quemadmodũ primitiua vera non mutantur, ita vt fiant deriuatiua: itane deriuatiua quidẽ vltima: ab his enim nihil fit, sicut illa à nullo.

CAPVT CIII.

Nominum Genera quo modo mutentur.

NOminum quoque Genera mutantur adeo, vt priuatim libros super hac re veteres confecerint. Alterum argumẽtum est ex ijs, quæ Dubia, siue Incerta vocant: sic enim dictum est, hic vel hęc Dies. Tertium testimonium est in quibusdam. nam Plautus collum masculino dixit. item Iubar, Palumbem, atque alia diuersis, quàm nos vtimur Generibus esse à priscis pronunciata. Fit etiam alio modo, cùm attribuitur genus ei, ad quod minus spectat: veluti cùm Masculam Sappho diximus. Sic cùm fœmina sola possit esse pręgnans: tamen Grauidum equum Troianum, &

Præ-

Prægnans Iouis cerebrũ, & Fœtum eiusdẽ femur dicimus. Sic in quinto historiarũ de Cicadis Aristoteles, εἰσὶ δὲ ἄῤῥενες οἱ ᾄδοντες ἐν ἀμφοτέροις τοῖς γένεσι. θήλεις δέ οἱ ἕτεροι. dixit enim θήλεις non θήλειαι. vt significatum esset fœminæ, vocis autem modus Masculi, quoniam dicuntur οἱ τέττιγες.

CAPVT CIIII.

Numerorum mutatio.

NVmeros mutant, vt apud Homerum θήβην, Thebas nos: & Quadrigam, Quadrigas: & Hortẽsius primus Ceruicem dixit, vt suprà scriptum est. Vascones etiam sua lingua Iecora dicunt, quod nos Iecur: & Dorsa, non dorsum: sicùti Pulmones Latini.

CAPVT CV.

Figuræ mutatio.

FIgurã mutari, ex ipsa Figuræ definitione manifestum est. è Simplicibus enim Composita cum fiant, mutari oportet necessariò. Compositũ autẽ non vno modo intelligimus: nam & fascem dicimus è virgis compositum: sicuti Andriam, & Perinthiam ijsdem ferè compositas orationibus. Is modus loquendi est vulgatior: alter verior, cùm dicimus virgas esse compositas ad conficiẽdos fasces: virgæ nanque sunt simul positę. Sic Antenorem dixit doctissimus poëta compositum quiescere: quia quibuscum degeret, eius imperiũ ijs non esset durum. Primo igitur modo non fit mutatio in figuris: nunquam enim quod simplex est, fit Compositum: neque enim Simplicis par-

tes nomina sunt. Sed altero modo: vt Magnum, & Animum dicemus Composita in Magnanimo, ita vt è Simplicibus facta sint Composita. Nam quanquam Magnanimum Compositum dicimus: tamen nón est ita mutata vox, vt prius ipsa fuerit simplex; at ipsa Simplicia, ex Simplicib. mutata sunt, vt fierēt Composita, id est simul posita. Vbi illud quoque veterum incuriæ ascribas, qui simplex Composito contrarium fecere: nam Simplex Multiplici aduersatur: est enim Simplex sine plica, vnde Duplicatum dicimus procidentis Turni poplitem. Hoc autem, quod laxè nimis Compositum appellamus, constat ex iis, quæ quia sunt simul posita, Composita erunt: quia ex multis non constant, erunt Simplicia. Nobis autem vtendum est vocibus acceptis ab antiquitate. sapientis verò partes sunt, illam sibi saltem emendare.

CAPVT CVI.

Personæ mutatio.

PErsona ita mutatur, vt facies maneat in plurimis, vis autem mutetur. vt poēta, cano, canis, canit. Neque enim vera mutatio est: sed communis terminatio transfertur, atque accōmodatur, non mutatur. At in quinto casu mutatur: astringitur enim legibus secundæ tantum.

CAPVT CVII.

Casus mutatio, & Ordinis.

CVm terminatione casuū constituti sint Ordines, atque dispertiti, vt alia atque alia Inflexio,

flexio,siue Declinatio dicatur:altero mutato,alterum quoque mutari necesse est. Mutabitur enim à Casu Declinatio, Casus à Declinatione: sed ita vt ad cognitionem nostram tantummodo spectet hęc reciprocatio. scilicet cognoscimus quẽ casum intelligere debeamus,si proposita fuerit Declinatio. Sic Declinatio mutabit casum. Nam verè casus mutat Declinationem, non mutatur ab ea. Verùm ne id quidem semper:nam Fructuis,quod fuerat, Fructus,factum est: neque tamen mutauit Declinationem: at Tumultus, quum factum fuit Tumulti,mutauit. Sic Fames, Famis,nunc dicitur: olim quintæ fuisse,Famei,manifestum est ex Sexto casu, Fame,cuius finalis syllaba producitur Proprium autem est casuum etiam alio mutari modo. Quemadmodum ambigui vitandi caussa, quum aiunt Fæci,diphthongum impositam, quò differret à verbo Feci: eámque inde toti nomini communicatam,Fæx,Fæcis.

CAPVT CVIII.

Omissæ à veteribus Affectiones.

SVnt & alię Affectiones:neque enim solùm ratione nominis deriuati, Primitiuum dicitur nomen:sed etiam aliarum partium caussa. A Nomine enim Nomen,Orbis,Orbicularis:Verbum, Sylla,Syllaturit: Aduerbium. Doctus,Doctè:Interiectio,Infandus,Infandũ: Præpositio, Circus, Circum:Coniunctio,Verus, Verùm.

CAPVT CIX.

Nominis vsus loco aliarum partium.

A Caussa quoque finali alium affectum nacta sunt nomina: veluti cùm eorum vsus ad alias partes transfertur. Pro Verbo enim ponitur, vt apud Plautum: Quæ, malùm, tibi isthanc tactio est? Sic ex Thucydide Demosthenes frequenter loquitur. Pro Participio: Magnificus, pro magna faciens. Pro Aduerbio: Lucretius, Asper acerbà tuens. Nam timida tuebatur, quippe incutiebat pauorem: itaque est pro acerbè. Pro Præpositione. Virgil. Plena secundum flumina. Pro Coniunctione: Veró. Pro Interiectione, apud Catullũ, Doctis, Iuppiter, & laboriosis. Hanc veteres ἀντιμερείαν apellarunt, alij μεταλλαγήν. subticetur etiam: vt apud Sallustium in Iugurtha: Quæ postquam gloriosa modo, nec belli patrandi cognouit. subticuit enim *Caussa*, Græco more τοῦτο ποιεῖν: subticent χάριν. Transmutat etiam in sese alias partes, quod Dialectici Positionem materialem vocant. cùm dico,, *Propter* est præpositio. Vox hæc Propter, nomen est. patet apud Græcos, qui præponunt articulum, τὸ διὰ. sic Ouidius, Sæpe, vale, dicto.

***

IVLII

IVLII CAESARIS SCALIGERI

DE CAVSIS LINGVÆ LATINÆ, LIBER QVINTVS.

CAPVT CX.

Ordo partium. Nominis vox, à forma. Verbi vox, à materia. Tum autem Verbi Ratio vniuersa, & Diuisio.

POST Nomen, Verbi natura ponenda est. Non defuere tamen, qui statim secundum Nomen ponerent Pronomen, secuti rationem ciuilem: eadem enim potestate erat Proprætor, & Prætor. Proconsul in prouincia, & Consul Romæ. Verum aliter contemplatur philosophus: Res enim necessarias primò quoque loco statuit: accessorias autem, & vicarias mox. Igitur si partes hæ comparatæ sunt propter orationem, & orationis finis, est animi interpretatio: Interpretatio autẽ Nomine & Verbo explicetur: & Pronomen post hæc inuentum est: sanè Verbum anteibit. Quinetiam Verbo vnico stabit oratio, atque affirmatio, Pronomine autem nullo. Quare verbi natura potior est. vt, Amo, Lego, Scribo. ac tãtum abest, vt Pronomine posterius sit, vt etiam ipsum secum

referat. Verba quoque multa sunt adeò absoluta à Pronomine, vt mirum sit hoc genus hominum ita scripsisse. Nam Pluit, Grandinat, per Pronomẽ nunquã interpretere. Dei enim certa sunt nomina, Pronomina nulla ipsi Deo, sed nobis crassiore ingenio mortalibus. dicit enim nobis Deus sic, *Ego:* quia hoc quod est, *Ego* intelligimus: hoc quod est Tetragrammaton, non intelligimus. Præterea Impersonalia, Scribitur, Pugnatur, nónne plena sunt significatione? nec tamen propterea vllum nomen explicatur, nedum vt præsit Pronomen. Omisso igitur horum errore, Verbi ipsius substantiam videamus. Duabus his vocibus Nomine, Verbóque communi appellatione omnia significantur. Nomine enim comprehendi suprà docuimus. Sic etiã verba dicimus data, cùm oratione decepti sumus. Ac de Nomine quidem, vt vsus ita sentiret, suasit ratio: à notione enim ductum est, quæ est cognitio: vt etiã interpretatur Vlpianus, qui emendat prætorem in Titulo de Re iudicata. Itaque vox nominis, à forma ducta est: est enim Forma dictionis Significatio: Signũ autem, & Nota, idem. At verbi Vocabulũ ab ipsa aëris materia, quæ verberaretur, propterea quòd vox esset aëris impulsi sonus. sic Plautus in Amphitruone voce facit verberari aures Mercurij. Igitur quũ, vti diximus, res duplices sint: aliæ, quę constarent: alię, quæ fierent: illas merito per excellentiã Signi, Notę'que vocabulo indicarũt: has autẽ fluẽtes ipso aëris fluxu. Quasi verò, id quod sanè ita est, nihil esset partium præter istas duas: cætera autem omnia ab his duabus ducerentur,

& ad

& ad hæc reducerentur. Cæterùm ipsum Verbum non solùm earum rerum nota est quæ fierent: verùm etiam quæ essent, sed ita, vt ipsum hoc esse significaretur: dicimus enim Cæsar est: per Nomen declaratur res, quæ est: per Verbum indicatur ipsum esse. Tertius quoque modus in ipso verbo reperiri videtur: nam cùm dico, Cæsar est Clemẽs: ipsum Est, non videtur aliquid significare, sed esse nota coniunctionis, qua Clemẽtia in Cæsare prædicetur. Ex his patet, falsam esse definitionem veterum, qui Verbum præscripsere agẽdi, vel patiendi significatione, atque ad hunc modum definiendum esse: Verbũ est nota rei sub tempore. Hæc autem res aut fit, aut est: vt Curro, dicit cursum nondum expletum: & Gigno, dicit imperfectum animal. at si dicam, Cæsar est: perfectum hominem intelligam. reducitur autẽ illud ad hoc. dum enim Curro, cursus ipse aliquid est. Verba autem Priuatiua, vt Deest: & Negatiua, vt Nego: etiam aliquid significãt. Rectum enim est mensura Obliqui. Sic Affirmatio est mẽsura Negationis. In Verbis autem imperfectæ significationis est res ipsa quę fluit: vt in Scribo, Scriptio: at Scriptio accidens est: ergo in aliquo, & ab aliquo: quare & Actio & Passio comprehendentur, vbi acrius intuenti, aliter eueniat vsu, quàm euenit antiquis. Nam si dicam, Scribo librum: non rectè videntur accepisse librum pro passiuo: non enim huius actionis receptio est in libro: tria quippe sunt: quod scribit, quod scribitur, quod recipit scripturã: at liber non scribitur, sed scriptura. Itaque prisci Attici huius rei

gnari dixere, Seruire ſeruitutem, Viuere vitam. Recipit igitur liber ſcripturam: ſcriptura autem recipit actionem ſcribendi. Intelligo nunc ſcripturam opus ipſum, ſcriptionem operam, ſcriptorem L. Flauiũ, Membranas verò, ſiue Tabulas, in quibus opus ipſum extat, ſcripturæ nomine, puta ipſa elementorum lineamenta. Verùm enimuero qui primi ſermonem inuenere agreſti animo mortales, vt quæque ſeſe dabant. ita excepere. Sapientia verò vix tandem ſerò cœlitus demiſſa eſt: vel ad hanc vſque diem quanta latitauere? quot adhuc latent, quæ poſteritas eruet adjuta? Ac veteres quidem ſimul & recentiores nõ malo conſilio in varias detraxere terminationes, diuerſáque genera conſtituére. Nobis autem ſatis ſit, vniuerſum Verborũ ambitum in duo diuidere, quæ Actionem, & quæ Paſſionem ſignificent: atque eò cætera omnia, tanquam ad ſigna, recipere: quemadmodum horum vtrunque ad vnum, quippe ad ipſum *Eſt*: nam tametſi non ſignificat ἐνεργείαν, tamen nota eſt ἐνδελεχείας, quæ eſt finis Actionis & Paſſionis. Agimus enim, vt tandem ſit: & dum agimus, hoc aliquid iam eſt. Actio autem duplex eſt. Quod enim fit, aut tranſit ab eo, qui facit, in aliud: atque hæc vocabimus Tranſitiua: vt, Amo te. Aut nõ tranſit, ſed remanet in eo, qui agit: vt, curro: quæ vocabimus Abſoluta. Ita eodem modo Paſſiua intelligentur: cùm explicabitur à quo fiat tranſitus, & cùm non explicabitur: vnde Imperſonalia orta ſunt. Eſt autem ſuprà declaratum, Actiuum actionem dicere, & actionis modum: at Paſſiuum paſſionẽ ſignifi-

significare,sed non passionis modum. Nam actiuum indicat id, quod facit passionem. Passiuum autem ostendere debuit id quod recipit passionem,vt passibile potius sit. Sunt igitur omnia Actiua quæ declarant actionẽ: Passiua,quæ passionẽ.Quib⁹ manifestũ est,verba Neutra non esse ab Actiuis seiuncta, nisi ob formationem,propterea quòd ab sese passiua non edunt: neque Deponẽtia,nisi ob diuersam terminationem.Hãc autẽ diuisionẽ ne illi ipsi quidẽ negabunt,qui tot genera sunt commẽti. Etenim communiũ appellatione cùm terminatio nihil impediat,quominus tam Actiua quàm Passiua recipiantur: duo tantum erunt capita, quibus promiscuæ terminationes comprehendantur. Hortor enim cum in OR,desinat,neque fiat ab actiuo, Passiuum tamen dicitur: & Actiuum, cùm Passiuum gignat nullum. Hæc igitur vera Verborum essentia est, veræque species. Desinentiæ autem sunt accidentia materiæ: id quod constat ex eo,quod abolentur, restituuntúrque, incolumi tamẽ Verbi pristina natura. Idem enim est Comperio, & Comperior. Quædam autem falsò Actiua, quædam per analogiam dicta sunt. nam quæ verba Sensiones significarunt, vt Visionem, Auditionem, Tactionem, & eiusmodi,ea passiua esse decuit:Sensio enim passio est. Analogia autem dictum est illud, Laudo Deum, neque enim Deus patitur: sed exemplo dictum est illius, laudo Cæsarem: & potius ad Dialecticum, aut Metaphysicum spectat. Non bene igitur recentiores Actiuum sic definiuere,quod trãsmittit in aliũ actionẽ: neque enim

qui olfacit, transmittit olfactum in rosam. Et si dicam, Amo me:est actio reciproca:& tamen Actiuum est. Item potest absolutè proferri, Cano, Curro. Quædam igitur verba sunt, quæ omnino non transmittunt:vt, Viuo. Quædam, quæ omnino transmittunt:vt, Ferio. Quædã, quæ etsi transmittunt, tamen absolutè proferri queunt: vt, Amo Lucinam:&, Amo. Amamus enim aliquando imprudentes, ipso primo ingressu. Quare quæ sunt absoluta semper, non rectè Neutra dicta sunt: quasi verò in his nulla esset actio. Nam qui Viuit, hoc ipsum, quod Viuit, agit: vnde, Agere vitam, dicimus. Quoniam verò quodcunque constat ex materia, dum agit, patitur ab eo, in quem agit? hoc autem in philosophia probatum est: iccirco si actio transmittatur, fiet reciproca passio aliquo modo. Quam ob caussam sapientissimè Attici verbis Passiuis etiam ad actionem significandam vsi sunt. Si non transmittetur, nihil vicissim redibit:sed in agente residebit:ad actionem tamen reducetur, sicut alia ad passionem: vt, Ditesco: necesse enim est ad illud prædicamentum reduci:aut ad prædicamentum τοῦ ἔχειν. Sed hoc haud valdè ab illo diuersum est, ac fortasse idem. Passio autem non vno modo intelligatur:nam quædam est perniciosa:vt, Occidi: quædam perficiens: vt, Creari, Gigni, Laudari. hoc genus passionis est, quod residet in agente:vt Viuo. atque id fit dupliciter:aut palam, vt hoc exemplo: aut occultè, vt suprà monuimus. Verba enim sensum significantia, habere videntur modũ quendam actionis: instrumento enim agimus.

Sed

Sed tamen occultam passionem significant, quæ residet in eo, cuius actionem Verbum ipsum significat. Quæret porrò aliquis: Si actio & Passio sunt correlatiua, & Absoluta ponuntur à nobis inter Actiua: vbi erit Passio? Iam est responsum: Passio hæc perficiens est, & residet in agente: eiusmodi sunt Gaudeo, & Lætor, & eiusmodi. Hunc igitur Verborum affectum Latini Genus appellarunt. Quos equidem ab incuria defendam, si possem. Sanè hoc ausi sunt: quia actionis species, esset generatio, & passionis. Græci cõmuni nimis vocabulo πάθος. Omnia enim accidentia πάθη dicta sunt. aut nimis speciali, neque enim solùm significant παθεῖν, sed etiam ἐνεργεῖν. Commodiore autem nomine, διάθεσιν. afficimur enim ad agendũ vel patiendũ. Neque nobis solis displicuit veterũ licentia: itaque qui nõ probarũt consiliũ, quo Gen⁹ dictũ fuisset: maluerũt Significationẽ appellare. Verùm vt illos hi, ita hos reii ciẽdos cẽsemus nos. Significatio.n. omniũ dictionũ forma est. Τὴν διάθεσιν igitur noluim⁹ Dispositionẽ interpretari: ordinem enim significat, non propensionẽ, sed ita censebamus, magna difficultate posse indicari vnica voce affectionẽ hãc: propterea quòd ne philosophi quidẽ actioni & passioni vnũ commune nomẽ inuenissent, quo summum id prædicamentum declararent. Constat hinc à verbis omnibus in o, passiua posse fieri: modo ne ipsa illa recipiant residentem passionem: vt, Egeo, & eiusmodi. Argumentum nostræ sententiæ sumitur è multis, Aro, Seruio, Viuo, Curro: quæ veteres delicatè nimis actiua dicere

metuerũt: propterea quòd obſcuriuſculè in quibuſdam paſſionis extaret vis. Sed ſanè in tertiis perſonis quin ſit, negari non poteſt: id quod ſatis eſſe poteſt ad Verborum naturam cõſtituendam: neque enim deeſt hoc verbis his, ſed res quæ ipſis ſint applicandæ. Fac terram loqui de ſe, Inuenies illico primam paſſiui perſonam. Quis horum non putet Eo, verbum eſſe neutrum? at paſſiuum ex ſeſe format non ſolum in compoſitis, ſed etiam in ſimplici: amatum ire, amatum iri. Sic nihil impedimento eſt, quominus verbum Pluit, primam perſonam habere dicamus, ſi modo loquatur Deus. Quare, vti diximus, res ipſæ potius, quàm Verborum naturæ defecere. Igitur vt quæ ſint Actiua aut Paſſiua intelligamus, minutiores antiquorum ſectiones ſunt retractãdæ. Inter Neutra, ſtatuêre Neutro paſſiua: vt, Exulo, Vapulo: ac Neutra quidem, quoniam ex ſeſe Paſſiuum non crearent: Paſſiua autem, quia ſignificatio recideret in eum, de quo verbum dicebatur. Igitur ab accidẽte, hoc eſt, à voce, Neutra: à forma, hoc eſt, à ſignificatione, Paſſiua dicta ſunt. Quare non rectè alij Tranſgreſſiua nominarunt. Tantum enim abeſt, vt tranſgrediantur, vt in ſeipſa reſidant. Quòd ſi intelligant tranſgredi naturam neutrorum: multò plura, ac penè omnia, Neutra talia inueniat: vt, Egeo, Gaudeo. Quinetiam Actiua: quid enim eſt Amo, niſi patior? Item Intelligo, Video, Tango, Audio, Guſto, Sentio, & alia innumera. Etiam Deponentia tranſgrediuntur: quippe in OR, paſſionem, non actionem ſignificare debuerũt. Alteram ſpeciem

posuere, αὐτοενεργητικὸν, vt μάχομαι, quasi quod suapte natura actiuum esset, si per vocem liceret. Cui contrarium statuunt ὁλοπαθὲς sub ἐπιμέσῳ, tanquam sub genere communi speciem contradistinctã, propterea quòd passiua tum voce, tum significatione sit. Item αὐτοπαθητικὸν, vt πάσχω, quod per vocem stat, quominus sit Passiuum: in eo enim est, vt censeatur per significatum: & αὐθουδέτερον, vt πλουτῶ. quia voce Actiuum videatur, at sit Neutrum. Et alteram neutrorum speciem ὁλοενεργητικόν. iccirco quia quarti casus habeat constructionem, quæ Actiuorum propria videtur esse. Ἐπίμεσον autem & ἐπίκοινον voce passiua, communi vtriusque significato. Atque hæ species si veræ sunt: tamen ad actiua passiuáque reducuntur. Verùm & frustra, & inconsulto commentos esse hæc, videamus. Constat igitur per duo nomina tractas hasce compositiones, ὅλον, & αὐτὸ, quorum natura vbi perpensa erit eorum constabit consilium. Igitur ὅλον est, cuius pars extra ipsum nulla est: hoc autem duobus modis inuenitur, aut simpliciter: vt, Mundum ὅλον dicimus, quippe extra quem nihil est, aut in genere: veluti cùm quippiam adijcimus: Hominem enim non mancum. Totum dicimus, id est, Integrum. Iccirco voces hæ modo quodam differunt: vt neutro genere ὅλον, significat ipsum vniuersum: in alio genere ὅλος adiectiuum est. Sic etiã πᾶν & πᾶς. Ergo homo integer non dicetur esse Totum, simpliciter, sed Totus, aut Totum suum. Non igitur verum erit nomen τῶν ὁλοενεργητικῶν. Nam id si est Actiuum, quod & vocem habet, & significatum

vt aiunt : ergo totum Actiuum tanto magis vtrunque obtinebit. Sic enim ὁλοπαθὲς dixere, cuius omnes partes essent passiuæ, quippe & vox, & significatus : vt, γίνομαι. igitur ὁλοενεργητικὸν non erit Neutri species. Omnis enim species totam generis naturam continet : ergo si neutrum genus ab actiuo genere distinguitur, quomodo alterius species sub altero, etiam addita differentia perfectionis, collocabitur? ἡμιενεργητικὸν potius dixissent:constructionem enim quarti casus, & vocem actiuam habet. sed quia ex se passiuum non formabat, non erat ἐνεργητικόν. tanto ergo minus ὅλον ἐνεργητικόν.quod enim non est aliquid, tanto minus illud esse totum potest.αὐτὸ autem significat substantiam : & id, quod hoc ipsum quod est,per se est. vt αὐτοκράτωρ,αὐτοαναιδής, & apud Aristotelem, αὐτοετές, quod anni circunscribit spatium, aut quod per se agit hoc, quod agit : vt αὐθέντης. Quare αὐτοενεργητικὸν, non sunt commenti probè : vt, μάχεμαι. non enim ab se habet agendi formam αὐτοενεργητικόν. neque enim est ἐνεργητικὸν, per formam : caret enim terminatione, quam ipsi Actiui formam statuunt. Commodius & verius,ἑτεροενεργητικόν.ab alio enim habet vim actiuam,scilicet ab vsu. Iisdem rationibus αὐτοπαθητικὸν, vt πάσχω, corundem excludet superstitionem: αὐτουδέτερον verò, quare non sit idem cum οὐδετέρῳ,non video: nam si vocem hanc αὐτὸ, addiderunt ἐνεργητικῷ, quòd haberet passiuam terminationem : & παθητικῷ, quòd haberet actiuam : quare addunt οὐδετέρῳ, quod alienam terminationem nullam habet, quod-

quódque gerit naturam totã οὐδετέρου? Ineptiunt autem qui Pluit,& eiusmodi putabãt αὐτοουδέτερα. cùm tamen sit Actiuũ verissimũ. Pluit sanguinẽ, & lapides dicimus in historijs,& terra cõpluta est. Diomedes verò cùm hæc Supina vocat, veteres recitat sine ratione loquentes, atque ipse nihil aliud,quàm loquẽs. Fuit & tertia vox ἰδίων,quã adderent vni speciei, quæ vocarent ἰδιοπαθητικά: vt Ferueo:nõ sanè ineptè:significarũt enim passionẽ intus manere: Sed tamen cautè sunt intelligenda, neq; enim à seipso quicquã patitur:neq; propria est passio agẽtis ab sese patiẽte. Omne enim quod mutatur,ab alio mutatur. Distinguũtur autẽ multis modis:Loco,vt Ensis à Cæsare mouetur,& loco distat:aut Substantia, nõ loco:idq; multis modis. Aut enim duæ sunt substantiæ, vt materia & forma:aut substantia & accidens,vt Cæsar & Calor accessorius. Materia autem non vna:aut enim prima est,aut secunda. Itaque anima mouet corpus per se,differunt enim essentia perfecta:at forma ignis materiam primam mouet alia ratione, quæ in octauo Physicorum est declarata. Igitur Cæsar si feruet, à sole, aut ab igne feruebit, aut si intus caussa est,puta bilis:omnino quod feruebit. & quo feruebit different : quare non erit passio ab seipso. Latini consultius Neutro passiua, qua compositione & terminationem & significationem sunt complexi. Ex his satis constat, nostrorum verborum nõnulla sapere aliquid è μέσοις Græcorum. Cùm enim dico, Lauo, Tondeo,& eiusmodi,idem repræsentatur,quod in λούομαι, & κείρομαι,& λουόμενος,cùm Lauaret:subintelligimus

enim, Se. Ita etiam Nigidius loquebatur apud Gellium: Syllaba mutat, pro mutatur.

CAPVT CXI.

Quare Actiua Paßiuis præponantur: & de materia Verborum.

CVm igitur omnia verba, aut Actiua, aut Passiua sint, ad hæc duo principia omnes illæ species, emendatis tamen priscorum nominibus, referentur. Priora autem sunt Actiua Passiuis, non vt dixere, quia is, qui agit, incipiat: qui patitur, sequatur: actio enim & passio simul adeò sunt, vt vnum multi existimarint. agẽs quoque ac patiens simul sunt secundũ formã. Quin etiam secundùm subiecta corpora, non necessario præit agens: neque prius existit, quàm patiẽs. Trabs enim antè quàm ignis excitetur, nasci potest: sed nobilitate naturæ id factum fuit. Est enim Agens pro caussa: Patiens autem, vt diximus, aut perficitur, aut malè habetur ab agente: igitur vtrouis modo nobilius est. Itaque etiam Grammatici id fecere, vt Passiuum ab Actiuo ducerent. Hæc igitur est eorum ratio à forma, & fine significandi. Materia autem varia fuit iccirco, quia non est necessaria: sed ad arbitrium tum primi inuentoris, tũ ipsius vsus instituta, vt in O, aut in OR, desinerent. Habuere tamen Actiua originem terminationis à Græco in O, τύπτω. Passiua autẽ Latini aliter formarunt, ne accederent aut ád orationem, aut ad similitudinem nominum. Si enim, vt est τύπτομαι, sic dixisset Amome, videretur oratio ex Verbo, & Pronomine. Si autem fuisset cum diphtongo: eadem erat nominis desinentia in prima

prima declinatione. Quare expeditius addito R, negotium confecere: Doceo, Doceor.

CAPVT CXII.

Verbi SVM, ES, EST, *declarat necessitatem.*

IGitur Verbum eorum nota est, quæ sunt, aut fiunt in tempore. Omnis autem Quantitas partes habet: Motus autem & Tempus, Quantitates sunt: partiuntur igitur. Calefactio enim habuit, frigidum non esse, vnde cœpit primum: itémque calidum esse, quo tendit: ergo etiam medium. Iccirco verba quædam inuenta sunt, vt hũc motum dicerent: quare necessaria quoque fuerit inuentio cuiuspiam, quod illud extremum significaret: quódque formam illam non amplius fluẽtem, sed iam consistentem indicaret. Fluẽtes autem formæ illæ duplices fuere: alteræ accidentales, vt Candor: alteræ substantiales, vt Humanitas: iccirco duplicis quoque naturæ Verba extitere, quibus eæ declararentur. Candor enim acquiri dicitur à verbo Candesco. Humanitas autem, id est forma hominis, aut Equi, aut plantæ, aut metalli, aut alterius substantiæ, indicata est subire in materiam per verba generationis, vt Fio, Gigno, & eiusmodi. Quæ etsi possunt etiam accidentia significare, vt fit albus, fit pater, tamen primo significatu pertinent ab substãtias. Generatio enim primo dicitur de substantia: secundo loco de accidentibus. Ac formarum quidem fluxus his Verbis ostenditur: consistentia autem vnico *Sum*, *Es*, *Est*, tam accidentalium, quàm substantialium. Dicimus enim, *Est* albus Cæsar

nunc,qui heri albeſcebat,aut fiebat albus. Et dicimus, Eſt nunc *Carbo* canis qui his diebus fiebat canis. Quare hoc verbum tam accidẽs quàm ſubſtantiam cùm ſignificet, péſſimè à Grammaticis Verbum Subſtantiuum dictum eſt. Eſt autem ſuprà dictum à nobis, duobus modis poni Verbum hoc: aut Nomini ſoli ſolum adiacere: aut inter duo extrema quaſi ſequeſtrum. Exemplum prioris modi ſic habemus, Cæſar eſt: exemplum ſecundi ſic, Cæſar eſt albus. Ac primum quidem modum ſignificare exiſtentiam in rerum natura, ab omnibus receptum eſt. Altero autem modo, Diuinus vir Ariſtoteles animaduertit nihil ſignificare. ſed quaſi nexum, & copulam eſſe, qua albedo iungeretur Cæſari. Hæc eſt forma & finis huius verbi: Vſus verò etiam latius patuit, vt etiam verba alia quaſi animaret: ita additum fuit etiam Paſſiuis verbis: Doctus ſum, Doctus fui: τετελεσμένον ἔστω. cum perfecti operis ſummam declarandam inſtituimus. Sicut incohatum idem opus alio verbo motum, vt diximus, ſignificante notabamus: ſic enim locuti ſunt veteres, Pugnatum ire, Amatum iri: ſumpto à Græcis vſu loquendi, ἔρχομαι ἐρέων. Galli quoque hodie ſic vtuntur per verbum *Eo. Js, Jt*, cum volunt dicere, Fit diues, Fit phthiſicus. Materia autem huius verbi duplex fuit. duplex enim eſt. nam à φύω, Fuo noſtrum, & ipſum Fio. Sum, autem ab εἰμί. Es, totum Græcum eſt, abiecta vocali, ἐσί.

CAPVT CXIII.

Temporum Natura, Numerus, Ratio, Nomina

Tempo-

TEmporis igitur partes diuersas diuersis Verbis significauimus: verùm quia etiam harum partium minutiores quoque partes sunt: hac de caussa diuisa sunt Verba certis momentis: quæ Grãmatici rectissimè tẽpora nominarũt. Diuisere igitur ad hunc modum: In partem, quæ iam abiit: in partem, quæ iam subibit: & in id, quo hæc duo coniunguntur. An verò id ita sit in natura: & vtrum tempus sit, cuius partes non sint nécne, nõ est præsentis operæ: sed ad philosophum spectat. Cùm igitur tres hæ temporum partes sint: eam quæ abiit, quare passiua voce dixere veteres Præteritum? nam sanè Græci Actiua παρωχηκός. An verò ita dixere, quia huius verbi Prẹtereo, nõ habebant Participiũ actiuum in eo tempore, sicut Gręci? An quemadmodum in testamento dicitur, Præteritus filius, cuius nullam fecit mentionem pater, quasi eius fuerit oblitus: ita nobis quod exciderit tempus, Præteritum dictum est? ita, Præteritum Lateranensem in comitiis, ait Cicero: qui non esset creatus Prætor: quasi non fuerit in memoria tribuum. An subtilius contẽplabimur? Itio motus quidam est: tempus autem non mouetur, sed est ipsa mẽsura motus: at nos mouemur: ac mutamur. Itaque dicimus, Fungi vita, & Obire mortẽ, & Abire ex humanis. iccirco ipsum tẽpus permanere, nos præterire, illud præteriri. Quę verò nondum esset pars, eam Futurum tempus appellarunt: Gręci μέλλοντα. Tertiũ quod has interiaceret partes, partem nequeas dicere. indiuiduum enim est, Præsens est dictum: non sanè commodè: nam si est, Præ, relationem notat: ergo

cùm vtrunque coniungat & Præteritum, & Futurum: non potius debuit accipere appellationẽ ex eo,quod futuro præ-esset,quàm quod præteritum sequeretur. Quinetiam certior natura Præteriti est,quàm Futuri:à quo Præterito cõsultius nominaretur. Iamverò si posset diuidi, prior eius pars esset præterito iuncta, posterior autẽ futuro quare ratio eius cõiũctior est præterito,quàm futuro. Verùm ita intellexere. Præsens, esse Præ,id est, ante oculos: non autem ante Futurum. Alij verò Instans, appellarunt. sed quidam sunt malè interpretati,quasi instabile esset,& abiret momẽtaneum. Sanè à Græcis mutuati sumus qui, ἐνεστῶτα,dixere:quod instaret cedẽti Præterito:non autem quòd non staret. Imò verò cætera tempora nõ stant:sed Præteritum iam nõ est, Futurũ autem nondum: vnum Præsens semper est: nam etsi abit tempus, tamen hoc quod est, præsens est.Hoc autem in libris naturalibus est cõmodius declaratũ. Igitur hoc Tempus, quod esset indiuiduum,non diuisere. Duo reliqua cùm latissimè pateant: Græci alterum, id est, futurum secuere in eam partem, quæ mox esset subitura, μετ᾽ ὀλίγον μέλλοντα,dixere. Nos quoniam incerto ferretur euentu,non diuîsimus. Nisi putemus in modo Subiunctiuo extare vestigia, & vim huius significatus:vt,Fecero. Hoc autem etiam in Promissiuum partiti sunt:

Nascetur pulchra Troianus origine Cæsar.

Verùm nunquam desinent nugari Grammatici. Sic enim dicas etiam, Minatiuum,Cædam te: &, Adulatiuum, & alias nugas. At affectus non mutant

mutant ſpecies. Præteriti autem amplitudinem, quantam memoria latè metiri poteramus, partiti ſunt veteres in partes treis, Perfectum, Imperfectum, Pluſquamperfectum: ac perfectum quidem παρακείμενον malè vocatum fuit à Gręcis: quod enim abiit, non eſt. at παρακείμενον ſpecies eſt τοῦ παρῳχηκότος: quonam igitur módo, ſi non eſt, poteſt παρακεῖσθαι: differt enim τὸ κεῖσθαι, πρὸς τὸ κινεῖσθαι: tanto magis, πρὸς τὸ μὴ εἶναι μετὰ τὴν κίνησιν. Noſtri dixere Perfectum, propterea quòd abſolutam actionem oſtendit, cuius pars ſuperſit nulla: vt, Pugnauit: nihil eius pugnæ reliqui factum eſt. Mutuati autem ſunt appellationem hanc ab iiſdem Græcis, qui alterum tempus, quod adderet huic ſpatium, ὑπερσυντελικὸν nominarunt. ὅπερ ὑπὲρ τὸ συντελικὸν ἦν ἄν. Noſtri hoc Pluſquamperfectum: vtrique malè. Nam Perfectum, etſi recipit comparatiuũ, & Superlatiuum: hoc rerum genera patiuntur: vt, Cane homo perfectior eſt: at quouis tempore aliud tempus perfectius non eſt. Defendendi tamen ſunt ſic: ab actionibus tempora denominaſſe: vt quod agerẽt, neque dum perfectum eſſet, Imperfectum tẽpus, ſub quo ageretur, denominarent. Verùm Græci cautius, qui Præpoſitione notarunt tractum, ὑπὲρ, quod eſſet Tranſperfectum, id eſt, præſcriptum tempus: noſtri ridiuſculè per Comparatiuũ Plus: melius Vltra, aut Super, aut Trans. Quippe ita differunt, vt Perfectum nihil præterea notet Scripſi: Tranſperfectum indicet & ipſum Perfectum, & tractum interponat inter ipſum, & aliam non cohærentem actionem, Scripſeram, cùm

Cœnabam: non cohęret cœna ſcriptioni, quę ſcriptio eſt abſoluta. Igitur non, vt aiunt Perfectum,& Tranſperfectum, diſtant inter ſe temporis longinquitate. Dicam enim, Riſi iam quinquaginta tribus annis:& dicam, Legeram verſum heri antequam biberem. Eſt igitur idem cùm Perfecto, tanquam ſpecies cum genere, nõ diſtinctum tanquam ſpecies à ſpecie, vt fecere: vbicunque enim pones Tranſperfectum, poneres etiam Perfectum. Imperfectum autem Græci commodiſſimè, παρατατικόν: protenditur enim inter præſens,& quod ſequitur: operæque ſignificat continuationẽ: vt, Legebã, cùm veniſti: nihil enim interualli inter lectionẽ,& aduentũ fuit. Icciro philoſophi hoc vſi ſunt ad declarãdã ἐνδελέχειαν, quę perpetuationem naturæ deſignaret: ἦν ἄνθρωπος, Erat homo: vt ſignificet etiam eſſe. Et doctiſſimus poëta: Laurus erat: id eſt, Lauri ipſius vera ſpecies. Quod Plinius quoque eſt imitatus. Cicero in Re etiam penitus infecta vſus eſt: ſic enim ſcripſit in quarto ad Atticum: Ad eum poſtridie manè vadebam, cùm hæc ſcripſi: & Perfecto pro Pluſquãperfecto. Alius ſic dixiſſet, Poſtridie quã hæc ſcripſiſſem, iturus eram. Præterita autẽ prima aut ſecunda, quòd eſſent ad vſum magis vocum, quam ad ſignificationũ diſcrimen inuenta, non ſumus imitati: temperatam breuitatem immani copia ditiorem arbitrati. Vnũ eſt tempus, quod Pręteritum infinitum appellarunt Græci, ἀόριστον. hoc veteres putarunt à Latinis ignoratũ: extat tamen in quibuſdam, vt in Paſſiuis: nã. Cæſus fuit: id eſt quod, ἐτύφθη: Cęſus eſt, τέτυπται.

Ex

Ex his constat, Instans cùm indiuiduum sit, nō rectè definitum, esse sic, cuius pars præteriit, & pars futura est: ad hunc enim modum non essent tria tempora, sed vnum tempus: sed & Præteritū, & Futurum Præsentis partes. Sed falsi sunt Grammatici, cùm dicerent, Scribo versum: neque iam expletus esset versus scribēdo. Visi igitur sunt intelligere Præsentem scriptionem habere partem in parte versus perscripta, & partem in scribenda, quas partes scribendo cōiungant, cōtinuéntque. At verò hic nō vnum præsens est, sed multa Præsentia, quemadmodum cùm dico, Flumen fluit: quis dicat hoc esse præsens, cùm iam annum aut amplius fluxerit? Quare sicuti dicimus Præsentem diem, Præsentem annum: vt multa instantia complectar animo: ita dicam, Scribo: quod iccirco pręsentis temporis est, quia cùm hoc dico, sub eo sum tempore quod huiusce verbi esse intelligo. Non enim significat partem præscriptam, neque eā quę scribetur: sed hoc, quod scribo. Dicimus autem Scribere versum, quoniā eius partes scribimus. Constat etiā hoc apertius in extremis actionum sic pręsens erit initium currendi, cuius tamen pars nulla antecessit: sic finis, cuius pars nulla futura est. Instans igitur semper adest, vnde & Præsens dictum sit: Futurum & Pręteritum semper absunt. Iccirco de Præsenti possumus tria tempora ponunciare: Præsens est, erit, fuit: de aliis non nisi sua tempora: Præteritum, fuit: Futurū, erit. Nā si dicas, Quod futurū erat, fuit: de Pręterito loqueris, quod post fuerit, quā esse potuit. Sunt autem quædam verba, quæ propter Materiā

carent temporibus, quædam propter Formam. Materia enim repugnauit huic verbo Labaſco, quin haberet præteritum: nam Labaui à Labo: at Labaſcaui, non decuit admitti. In quibus autem Forma repulit tempora, fuere ea, quorum ſignificatus aduerſatur certis temporibus: veluti. Expugnare, ſignificat rem abſolutam. Non dices igitur, Expugno vrbem: niſi capias modũ ac διάθεσιν præcedentem vltimum momentum captiuitatis: quod vſui magis, quàm rationi conceſſum eſt. ſicut cùm dicimus Morior, nam mors temporis momento præſcribitur. Inter Habitum enim & Priuationem nullum medium interiacet. Antequam pronuncietur totum verbum, præterierit res de qua loquamur: ſic enim perſonis deficiuntur. Quis enim pũcto illo temporis loquatur, ac dicat? Morior. Ita Rei in cauſſis dicuntur Peracti, quoties ſunt damnati: quoniam agebantur ab accuſatore ad iudicem, ſumpto à Græcis exemplo, qui ἀγῶνα diſceptationem iudicialem dicebant. ergo cùm non redibant niſi damnati, dicebantur peracti ab accuſatore. quis igitur orator vnquam dixit, Perago Reum? Sic etiam Perficio, ſi acutè intueamur, non poteſt dici, ſed Perfeci: ſed, Facio, vt preficiam: Quæro, vt inueſtigẽ: Oppugno, vt expugnem: Ago, vt peragam Reum: In aliis modis tempora hæc admittuntur, vt in voto, & conditione, Vtinam peragam, Si peragã: & infinitiue, Volo peragere. Impurè tamẽ multi aliter ſunt locuti.

Ex his percipimus Grocinum acutè admodum tempora diuiſiſſe, ſed minus commodè. Tria enim

einm constituit, vt nos: sed quæ bifariam secat, Perfectum, & Imperfectum: sic, Præteritum imperfectum, Amabam: Præteritum perfectum, Amaueram. Rectè sanè. Et Præsens imperfectum, Amo, Rectè hactenus: continuat enim amorem, neque absoluit. At Præsens perfectum, Amaui: quis hoc dicat? Amaui ego triginta ab hinc annis. Quis annū iam tricesimum præsentem dicat? De futuro autem vt non malè sentit, ita controuersum est: Futurum, inquit, imperfectum, Amabo: Perfectum, Amauero. non malè inquam: significat enim Amauero, amorem futurum, & absolutum iri: Amabo perfectionem nullam indicat. Controuersum autem dixi, propterea quòd doctiores sentiunt, non absolutionem illam, sed celeritatem quandam, vt sit ἀόριστος Æolensium τίσειαν Δαναοὶ ἐμοὶ δάκρυα. Mihi Grocini sententia plus placet. Meo more solens fecero: nullam celeritatem declarat, sed operis perfectionē præscribit: id expressit diuinitus aliquando summus poëta:

-Τὸ δέ τοι τετελεσμένον ἔστω.

Temporum forma, ac finis, atque affectiones ad hunc modum sese habent: Materia autem quę, qualísve sit, videamus. Ac sanè in libris naturalibus docebamus, pro formæ ratione materiam à natura institutam: neque enim equi pedes, à pedibus leonis differūt, nisi propterea quòd eorum formæ sunt diuersæ: neque canis catuli aliam ob caussam carent equi membris, quàm quòd equi quoque forma carent. Iccirco Præsens quod erat breuissimum, breuissimo quoque tractu signa-

tum est, Amo. Præteritum & Futurum longiora, longiore: Amaui, Amabo. Alterum præteritum adhuc prolixius, prolixiore, Amaueră. Quę quanquam non omnibus in verbis sequuntur nos, tamen in his hæc caussa fuit: alia vsus inuertit partim, partim differentiæ gratia aliter sunt pronunciata. Varietate enim decora naturæ, atque artis constant. Ordo autem aliter est, quàm Natura eorũ: quod enim præteriit, prius fuit, quàm quòd est. Itaq; primo loco debere poni videbatur. Verùm quod primo quoque tẽpore offertur nobis, id creat primas species in animo: quamobrẽ Præsens tempus primum locum occupauit: est enim maximè commune omnibus animalibus. Præteritum autem iis tantùm, quæ memoria prædita sunt: Futurum verò etiam paucioribus, quippe quibus datum est prudentiæ officium: quare tum quia nondum erat, tum quia obscurum, & paucis obiectum postremo loco positum fuit.

CAPVT CXIIII.

Modorum origo, caussæ, rationes, vsus.

EOrum, quæ agunt, naturam eiusmodi esse intelligimus, vt antè quàm agant, appetant: aut saltem appetendi habeant vim. Motionis enim appetentia caussa est: appetentiæ priuatio. Quæ verò appetunt, aut inconsultò appetunt: eáque ad vnum tantùm naturalem habent propensionem: velut ignis ad vrendum. Aut consultò: atq; hæc ad duo contraria æquè inclinantur, vt homo ad eundum, & non eundum. Quare necesse est, vt in

in his aut ſit Deliberatio, atq; Electio: aut proxima quædam vis quem inſtinctum appellarunt. Eſt enim deliberatio, affectio animi de libertate ſua eliciens rationes ad eligendum. Intelligo autẽ ſubtilius, Eligere, etiã cùm nõ eligimus: eligimus enim hoc, non facere, ſicut alibi diximus: Suadet etiam qui Diſſuadet: ſuadet enim, non agendum. Hæc vis electionis in homine ſolo eſt. Nam nugati ſunt quidam hiſtorici naturales potius, quàm philoſophi, Canes quoque deliberare cùm feræ veſtigiis amiſſis abſiſtunt à perſequendo, atque aliorſum ſeſe dant: neque enim componunt hæc, Hàc non iuit. Sed vt aguntur in ordinem, ita eum vbi amiſere, quærere inſtituunt. Hanc ob cauſſam neceſſe fuit, vt quæ deliberando, quæque poſt deliberationem fierent, declararentur certa verborum facie. Itaque ea quæ iam certa, atque conſtituta eſſent, Indicata, & Definita vocauere: verbi autem lineamenta quibus ea repræſentarentur Indicatiuum, ſiue Definitum: ſicut Græci ὁριστικά. Quæ verò ante electionem fierent, aut ab ea dependerẽt: iccirco Subiũctiua: aut Coniũctiua: vt, cùm venero, ſcribam: &, Si veneris, ſcribam. Quæ autẽ non dependerẽt, ſed abſolutè dicerentur, eſſéntq; poſita in aliena poteſtate, ea referrentur aut ad maiorẽ poteſtatẽ, aut ad minorẽ. quare Optatiua expreſſere votum à maiori: Imperatiua exactionẽ officij ab inferiori. Erat autem etiam aliquid præterea, quòd ad ſummam orationis deeſſe videretur: ſunt enim verba quædã poſita in ſignificatione volũtatis, aut poteſtatis noſtræ: vt, Volo, Cupio, Iubeo, Video: ergo obiecta

quæ offeruntur huic vel voluntati, vel potestati, aut sunt expressa simpliciter, aut sub tempore: sic, Volo cibum, Cupio imperium: Video cursum. Simpliciter apponitur cibus voluntati, voto imperium, cursus visui. At si hæc eadem sub tempore, atque etiam actione velim constituta, necesse habeo aliquid excogitare, cui⁹ vi hoc explicetur: itaque Infinitiua commenti sunt, Volo comedere, Cupio imperare, video te currere. Has verborum quasi facies, vt diximus, quasdam, ἐγκλίσεις dixere Græci, veluti inclinationes animi, prudẽtissimè. Sic etiam loquitur Liuius: Hos vt sequar, inclinat animus. idem ac si diceret, Sequor hos. Est enim inclinatio indicatiua, re deliberata. Sic vsus est Cicero. Nostri, quoniam declararentur animi temperationes, Modos appellarunt, fusiore quàm Græci fecissent appellatione: propterea quòd etiam ad res animo carentes trãsferrentur: vt, Ignis vrit: vreret. De his autem sigillatim dicendum est.

Indicatiuum sic definiunt: qui rem indicatam, narratámve significat. Verùm neque nomen explicat vim modi, neque explet definitio: multa enim dicimus sine indicatione: res enim absentes frequentius narramus: hac enim de caussa sermo est institutus. Nam præsentia sensu sæpius percipimus, quàm sermone communicamus. Præterea tollunt omnia tempora, præter Præteritum. nam etiam quæ indicatur, etiam quæ indicabitur, explicamus Indicatiuo. quare qui Definitiuũ nominarunt, optimè sensere: modò accipiamus definiendi vim, non illam exactam Metaphysicorum

corum:ſed conſtitutionẽ. Iccirco Poſitiuum rectius diceres: θέμα dixere Græci primam vocem Indicatiui, quoniam prima poſita ſit: nos autem totum θετικὸν, quia ponat, ac ſtatuat rem, qua de agitur: vnde etiam definitio eliciatur, Modus quo quid certis temporibus ſtatuatur. Imperatiuus eſt nota animi inclinati ad eliciendum actionem aut Paſſionem ab alio.: hoc habet commune cum Optatiuo: ſed differunt, quòd Imperatiuus reſpicit perſonam inferiorem, Optatiuus, potentiorem: item Imperatiuus ſemper exigit perſonam, Optatiuus non ſemper, ſed & abſolutè: vt, Vtinam verè viuerem. & ad Fortunam, aut Fatum, aut Euentum. Euenit autem aliquando vt actio illa etiam in nobis ipſis exprimatur, propterea quòd animi noſtri vis, aut eſt recta, cùm alia ab ſeipſa cognoſcit: aut reflexa, cùm ſeipſam contemplatur. Itaque & imperamus nobis ipſi, & optamus de nobis, quod in noſtra ſitum eſt poteſtate: vt, Vtinam efficerem me bonum. Subiunctiuus autem non eſt dictus, quia ſubiungeretur, vt ſcripſere: ſed quia ſubiungeret. id quod & ex ipſo nomine, & ex natura eius conſtat: nam Optatiuus, quo optamus, Subiunctiuus, quo Subiũgimus. Dicimus enim, Si pugnaris, vinces: victoria pugnæ ſubiungitur. Quin etiam ſeipſum ſubiungit ſibi: vt, Equitarem, ſi valerem. Infinitiuus autem Modus non eſt, nullam enim animi inclinationem oſtendit: ſed omnes ipſe ſequitur modos, atque cũ ipſis coaleſcit ad ſignificandum, quæ fuit cauſſa eius nominis: non, vt dixere, propterea quòd neque perſonas, neq; numeros finiat. Itaque Græci

rectè ἀπαρέμφατον appellarũt, quippe quòd nihil indicaret. Nàm quòd personas numerósque nullos definit, hoc habet commune cum Verbo impersonali, quæ tamen non sunt ἀπαρέμφατα. Intelligo autem nihil definire, non quemadmodum Optatiuus nihil definit, sed optat definiendum: sed hoc intelligo Infinitiuum, quod æquè in omnes abit modos: suus igitur non est, sed aliorum: Scio pugnare: Incipe viuere: Scirem adulari: Velles vincere.

Verùm acutiores alios his modis adiecere: atque Indicatiuo quidem subiecere Promissiuum: vt, Connubio iungam stabili. Verùm Minatiuũ, vt dicebamus, etiam adderes, etiam Narratiuum: vt, Fuit Ilium: nihil enim hic statuitur: quin tollitur quoque. Apposuere quoque Imperatiuo Precatiuum: vt, Da propriam Thymbræ domũ. Deo enim nemo imperat. Subiunctiuo autem etiam Coniunctiuum attribuêre. Cùm simul sunt: sic, Cùm veneris, feres etiam Dubitatiuum possis assignare: vt, Si pugnaris, vinces. Et Potentialem: sic. Si pugnes, viceris. & αὐθυποτακτικόν: vt, Eamus: quem ita nominarunt, propterea quòd subiunctiua voce, significatum haberet Imperatiui. Verùm quemadmodum de Casibus dicebamus, sic conuenit de Modis intelligere: eiusdem Modi vsus esse diuersos, eiusdem tamen rationis, ac Indicatiuum quidem quî decuit discerpere in Promissiuum? Futuri enim vis ea est, id est temporis, non Modi: aut enim speramus, aut timemus: omnino expectamus. idque ex vi Verborum quoque nascitur: nam Dabo, efficit vt videar

dear promittere : quoniam eò respicit Verbi significatus. Propius veritatem fuere, qui Interrogatiuum apposuerunt: non enim temporis, aut Verbi vi fit, sed Modi separati, præbet speciem nihil enim definit, qui dubitat : dubitat autem qui interrogat. Verùm ita intelligamus : præter paucula principia intellectus nostri, quæ Græci, quòd digna essent credi, ἀξιώματα nominarunt, mirifico verbo, quo vno duo conciperentur, & existimatio, & dignitas : præter alia inquam, quæ sanè paucula sunt, cætera omnia antequam statuantur, cadere posse in quæstionem. Itaque non inconsultò factum esse, vt eadem vox esset interrogantis, & respondentis: Amas? Amo. Quare tot Modos quærendi, quot essent sciendi, in libris resolutorijs disputatum est, inueniri. quemadmodum igitur affirmatio à negatione non differt per Modum, sed per contradictionem sub eodem Modo : ita nec interrogatio à responsione. Nam tametsi inter affirmationem & negationem nullum medium existit, tamen interrogatio locum quendam sibi poscit ; neque enim aut negat, aut affirmat. Neganti tamen propior est, qui non credit: Affirmanti, qui credit: quare ab Indicatiuo non est Interrogatiuus dissipandus, sicuti neque ab Imperatiuo Precatiuus. Etenim si iccirco alius est, quia Deo non possumus imperare: atque dicimus, Da propriam Thymbræe domum: ita etiam Amo, verbum non erit actiuum, cùm dicam, Amo Deum: Deus enim non patitur. Sanè modus ille rectius Postulatiuus dictus esset, cuius ratione comprehēdatur etiam Hortatiuus.

Ipſum autem αὐθυπότακτον, quare poſuere? Imperatiuus enim verus eſt. Iubet enim alijs, & ſibi, qui dicit, Eamus. vt ſe iturum quoque oſtendat. Quin etiam in ſingulari, mihi iuſſero, Hoc age Cæſar. Homo enim penè ſemper ſecum pugnat, ratione & appetitione. Affectiones autem non variant modorum ſubſtantiam: ſed eorum ἴδια, vt Græci vocant, quædam ſunt. Tanto igitur minus particularum defectus in oratione variabit. Itaque cùm Iuuenalis ita loquatur, Græculus in cœlum iuſſeris, ibit: non erit à Subiunctiuo diuerſus: quoniam omiſit Coniunctionem, Si. At enimuero veteres multa exempla inculcarunt, quibus alium modum oſtenderent ab Subiunctiuo. Cæterùm ſemper inueniemus aliquid verborum ſubtractum, tam apud Ciceronem, quàm Vergilium, Terentium, atque alios. Diceret: &, Euerteret arces. Sanè: ſi duceretur à ſanguine Troiano, aut cùm duceretur. Sic Dido, Impleſſem flammis: ſcilicet, ſi præſciſſem. Atque hi etiam addunt huic Interrogatiuum: Quò me contuliſſem? Sed idem laborant: pendet enim oratio ſic, Si mori noluiſſem: aut aliquid tale.

CAPVT CXV.

Modorum Tempora.

MOdorum claſſem, naturam, officia, vſus cauſſas ſicpote explicauimus, vt omnia animi affectibus ſubijceremus: qui affectus quoniam in actionem tendunt, actio autẽ tempori ſubijcitur, Tempora quoque pro affectuum ratione alia

alij

alii modo ſunt attributa : igitur perfectiſſimus modus omnia tempora complexus eſt, quippe Indicatiuus. Imperatiuus Præſens obtinuit meritò, nihil enim præſentius imperio, nihil inflammatius imperante, omnia ei in mora ſunt. Græci Præteritum attribuere peſſimè. Nemo enim poteſt abſoluiſſe, quod nondum cœpit agere: nondũ cœperit, qui nondum accepit imperium, quomodo ſimul imperium accipiat, & iam fecerit: verùm vſus ſic obtinuit : vt præcipitem animum imperantis exponeret: id quod Plautus feſtiuè dixit, Cùm te illic eſſe putauero, hîc ſis. Latini maturius abſtinuere, niſi ex Subiunctiuo mutila oratione mutueris, ſic, Feceris hoc. verùm vti diximus, aliquid deſideratur, ſic, Mihi morem geres, ſi feceris. Sic, Facias, & alia αὐθυπότακτα. Quidam autem ſic maluere, id quod non peſſimè ceſſiſſet, niſi errorem adderent: negãt enim futurum attribui poſſe Imperatiuo : apponunt cauſſam ſatis ridiculam : Imperatio, aiunt, ſemper præſens eſt: non animaduertebant, aliam eſſe perſonam loquentem, aliud de quo loquatur. alioqui non eſſet in verbis niſi vna perſona Prima. Igitur qui loquitur atq; imperat, præſens eſt: at res imperata non eſt præſens. igitur & nunc fieri poſſit, & mox, & cras: vt Græci, quos iſti nimis vbique ſequuntur, à prudentia Latinorum hac quoque ſint in parte ſuperati. Plusquam perfectum verò cùm addunt, etiam coacti ſunt quaſi colorem addere moderationis: itaque permiſſiue hoc appellarunt, exemplo Vergilij.

Verùm anceps belli fuerat fortuna: fuiſſet.

Cùm tamen, Fuiſſet, Subiunctiuus ſit eodem, quo ſuperiori, modo. Si fuiſſet, mallem, quàm ſic: cùm nulla belli fortuna vincor, & morior. Optatiuus autem & Subiunctiuus inter ſe ſimiles, ab Indicatiuo non differunt, niſi quatenus hoc quod hic ſtatuit, Optatiuus nõ ponit, & poni vult, Subiunctiuus ponit, ſi ab alio ponatur. Iccirco tẽpora omnia ſunt conſecuti, verùm non omnibus in verbis: neq; enim par eſt, vt omnia optemus, quæ poſſunt euenire. Igitur Futurum ab Optatiuo nõ tollũt doctiores: cùm hoc tempus veriſſimum, ac maximè proprium huius ſit modi: non diſcreuere tamen à Præſenti Futuri vocem: propterea quòd in ipſo quoque Præſenti abeſt optata res, veteres autem illud putarunt Futurum Optatiui:

Hac Troiana tenus fuerit fortuna ſecuta.

Quod quidem valde placet. Sic igitur erit Optatiuum & illud, quod ſuprà dicebamus:

Verùm anceps belli fuerat fortuna: fuiſſet.

CAPVT CXVI.

Modorum Ordo.

INdicatiuum autem nobilitate, ac rerum natura primarium intelligimus: nobis non item: ſtatuit enim id, quod poſt appetitũ, ac deliberationem euenit. Neque verum eſt, quod autumant, Rem certam re dubia priorem eſſe. Quin antè, quàm ſcias, quæras. Quî nãque ſciam, Hominem eſſe animal: niſi quid homo ſit, quæram? Præterea qua ratione res certa, erit prior ſeipſa dubia? Etenim poſtquàm adeptus es ſcientiam, non potes amplius dubitare. Scis enim per cauſſas primas,

primas,immediatas,neceſſarias,notas,immutabiles: quarum contrarias putas falſas: alioqui non ſcis. Sed ob nobilitatem præiuit Indicatiuus, ſolus modus aptus ſcientiis, ſolus pater veritatis. Cæteri ſermoni accommodatiores, quemadmodum ſuo loco dictum eſt: ij vt quiſque nobiliſſimus fuit, ita potiſſimum locum occupauit. Itaque Imperatiuus princeps eorũ extitit: mox Optatiuus, quaſi ſeruilis ingenuum eſt hunc ſequutus: Subiunctiuus autor multiloquentiæ poſtremam in ſedem reiectus eſt: compoſita enim ſimplicibus poſteriora. Infinitiuus autem ſanè adeò Modus non eſt, vt etiam Verbúmne eſſet, ſit dubitatum.

CAPVT CXVII.

An infinitiuus ſit Verbum.

AC Modum quidem non eſſe ipſum, ſuperioribus rationibus ſatis cõſtat, Verbũ autem eſſe, Verbi definitio clamat, ſignificat enim rem ſub tempore. Qui autem ipſum excluſere, adducti ſunt, vt ſentirent ita, propterea quòd ſui verbi eſſet ſignificatum: ſic enim interpretatur Verbum ſuum, Socrates exulat, dico Socrátem exulare, Socrates eſt in exilio. Præterea nominis habet conſtructionem. apud Græcos enim etiam articulos recipit, τὸ ϛρατηγεῖν καλὸν, vt Vergilianum illud.

-Pulchrúmque mori, ſuccurrit, in armis.

Verùm hæc argumenta leuia ſunt: neque enim magis ipſe eſt Verbi ſignificatum, quàm Verbum ipſius: neque magis exprimit Indicatiuum per interpretationem, quàm ab eo exprimitur:

mutua enim esse quit explanatio vtriusque orationis sic, Dico Socratem exulare: id est, Socrates exulat. Articulus autem non tollit significatum sub tẽpore: nam apud me, τὸ ϛρατηγεῖν οὐκ ἔϛι καλόν: sed τὸ ἐϛρατηγηκέναι. Itaque sibiipsi subiicitur, tãquam Verbo, plusquàm Verbũ, sic. Video te meditari currere. Itaque contrà Stoici solum Infinitiuum, Verbum esse professi sunt: cætera autem κατηγορήματα, id est appellationes, καὶ συμβάμματα, id est, accidentia: quippe in Infinitiuum tanquam in formam suam, & quasi animam resolui cæteros modos. Igitur Græci etiam pro aliis supponunt modis, quorum naturam expleat, σκοπεῖν θεωρεῖν. Sic etiam nunc Itali loquuntur, cùm negatiua vtuntur oratione, Non legere, pro, ne legas. quæ caussa fuit, vt eadem sit forma actiui Infinitiui, & Imperatiui passiui apud Latinos. Quin etiam pro Indicatiuo: Ille rubere, tergiuersari, abnuere, Cæterum apud Græcos deest δεῖ, in superiore oratione: apud Latinos; Cæpit aut tale quid. Quinetiam pro Participio & Gerundio vsum subiit tam apud Græcos, quàm apud Latinos: vt apud Poëtam: *-Dederátque comam diffundere ventis.* Et in tertio de Natura Deorum: Magnam molestiam suscepit Chrysippus reddere rationem vocabulorum. Proprium autem est Infinitiui, receptum in Futuro suo Participium sibi simile efficere, vt genus amittat, & numerum: Amaturum esse, tam de fœmina, quàm de pluribus: exempla petes de Gellio, Valerij Antiatis. Catonis, Q. Claudij, M. Tullij ex quinta in Verrem: Hanc sibi rem

præ-

præsidio sperant futurum. Illud quoque habuit peculiare, duo verba sibi vt asciscat. Esse, & Ire, quorum societate formet Futurum suum: Amatum ire: Amatum iri.

CAPVT CXVIII.

Temporum, Modorúmque inter se mutatio.

PRoprium autem est Temporum Modorúmque inter se mutatio, cùm affectui seruimus. Liuianus Annibal: Si tales animos in prælio habebitis, vicimus. Nam quod sperabat, pro certo iam afferebat: quasi dicat, Tam certa est futura victoria, quàm iam extitisset. Nihil enim Præterito certius: ne à Deo quidē mutari potest, quia simplex eius voluntas est: tantum abest, vt sit contraria sibi: non potest, quia non vult: neque vult posse, neq; potest velle esse dissimilis sibi. Modus item Subiunctiuus, pro Indicatiuo: In sexto de Repub. Et quòd de via fessus essem: dixisset, Cùm de via fessus essem. Quemadmodum autem illud Iuuenalis sit accipiendum.

Græculus esuriens in cœlum, iusseris, ibit: suprà diximus. Sic est, cùm Græca oratio per ἂν δυνητικὸν exprimitur: vt in tertio Officiorum: Malè etiam Curio, cùm caussam Transpadanorum æquam esse dicebat, semper addebat, Vincat vtilitas: potius diceret, non esse ęquam. id est, ἔλεγεν ἄν: dicere poterat: aut debuerat. Horatius Indicatiuo pro Subiunctiuo vsus est: Metuentis illapsus cerebro sustulerat: nisi Faunus ictum dextra leuasset. Et quod supra diximus, ex secundo Georgicōn, Laurus erat. quod & Plinium imi-

tatum monebamus.

CAPVT CXIX.

Personarum vsus, & affectus.

QVid esset Persona, quótque essent, & quare non plures tribus, iam dictum est. Nũc earũ affectiones in Verbis videamus: neque enim rectè veteres dixere, Primam & Secundam finitas esse, quia presentes demonstrantur: Tertiã infinitam, quia absens est: caussa enim quam afferunt: nulla est. Non enim omne absens infinitum: neque semper Secunda pręsens est: & Tertia pręsens: aliquãdo est: & semper esse potest: non enim aduersatur sermonis vsui, vt adsit semper id de quo loquamur. tametsi hoc in rebus positum est. Ita igitur intelligendum est, Primam & Secundam finitas esse, quia certæ designentur: lego, signo me: Legis, signo te: Legit, nullum certum signo, nisi quippiam addatur, Cato, Cæsar. Illud quoque errarunt, cùm dicerent, opus esse Pronomine ad præscribendã Tertiam. Nã etiam si dicas, Ille legit: nõ intelligas qui sit, nisi aut referat, aut demonstretur coràm: ergo non fiet vi pronominis, sed Relationis, aut Demõstrationis. Sed & Primam, Secundámque Pronominibus tãtum iungi, iam est suprà refutatum: Vocatiuis nanque etiam secundæ adiungitur: vbi si nõ subintelligitur pronomen *Tu*, ne in cæteris quidem subintelligetur. Est præterea aliud argumentum: Licet, inquiunt, dicere, Cæsar sum: ergo Cęsar, est personæ primæ: neque enim Verbum variabit Nomen, sed Nominis rationẽ Verbum sequitur: Numerum scilicet, & Personam.

Quo-

Quoniam igitur Cęſar, eſt perſonæ primę: potes dicere, Sum. nam ſi in eo Verbo ea eſſet poteſtas, vt Perſona Nomini attribueretur: eſſet etiam ea, qua numerus quoque aſſignaretur, & liceret dicere, Cæſar ſunt.

Proprium autem eſt Primæ non dependere ab aliis. Cauſſa huius rei eſt, quia ipſa loquitur ſemper: ergo & vtranque ſibi addicet: vt, Ego, Tu, & Ille facimus. & ſeorſum alterutrum: vt, Ego, & Tu: Ego, & Ille. Falſum eſt igitur, quod dixere veteres, Secundam ſibi coniungere Tertiam: illo exemplo, Tu, & illi facitis: & Tertiam ſeipſam, ſic, Ille, & ille faciunt. Sed eſt prima quæ coniungit Secundę Tertiam, & Tertiam ſibiipſi: ea enim coniungit, quæ loquitur, licet non exprimatur: cùm de aliis loquitur, non de ſeipſa.

CAPVT CXX.

Numerorum Ratio, & Cauſſa.

NVmerus idē qui in Nominibus, ſicut & Perſonæ. Cùm enim Verbum ſequatur nominis rationem, & à ratione proueniant affectus: affectus quoq; eoſdem eſſe par eſt. Significat enim Verbum aut accidens, aut ſubſtantiam Nominis: Cęſar currit, Cęſar eſt. Ergo neceſſariò aut à Nomine dependet: aut etiā idem repræſentat. Proprium autē Verborum eſt, nullā vocem vtrique numero communē habere. Hoc apud nos: Græci imprudentius, qui tantā copiā haberent Tēporū, defecere in diſcernendis Numeris, & Perſonis. nā in duali confudere perſonas: τύπλετον, τύπλετον. In Prima ſingulari, & Tertia plurali confudere

numeros, ἔλεγον. Soli Aeolenſes, quorum pars fuere Dores, pluralem ſine incremento poſuere. In Nominibus autem & Pronominibus non idem eſt: vt viri: ſui. item Participiis paſſiuis: vt, lecti. Hoc autem dicimus de Verbis eodem in genere: nam in diuerſis generibus voces inuenias communes: Docere paſſiuum Secundæ perſonæ: Docere actiuum Indefinitæ: cauſſam autem ſuprà diximus. Infinito enim Græci pro Imperatiuo vſi ſunt.

CAPVT CXXI.

Affectuum ratio, & ordo.

HOrum affectuum quatuor tantum neceſſarij (ſine iis enim verbum non eſt) Tempus, Modus, Perſona, Numerus. ac Perſona quidem & Numerus, quemadmodũ dicebamus, propterea quòd Verbũ à Nomine dependet, neceſſe fuit vt aliqua in re conuenirent: cõuenirent autẽ in Perſona, quia à Perſona proficiſcitur oratio. Item in Numero eadẽ de cauſſa: aut enim vnus loquitur, aut plures: & aut de vno, aut de pluribus. Quærebamus igitur vter affectus eſſet prior: ac Numerus quidem amplior eſt, complectitur enim omnes Perſonas: præterea accidit Numero Perſona. Equidem vnus ſum: poteſt igitur, vt & Primæ, & Secundæ, & Tertiæ perſonæ ſubeam munus. Tempus autem non videtur eſſe affectus Verbi, ſed differentia formalis, propter quam Verbum ipſum, Verbum eſt. Modus autem non fuit neceſſarius: vnus enim tantum exigitur ob veritatem, vt dicebamus, Indicatiuus: cæteri autem

tem ob commoditatem potius. Genus autem an ſit neceſſarium? nam videtur, ſecluſa omni tum actione, tum paſſione, conſtare Verbum primarium ipſum, *Eſt*: neque enim ſolum per Participium reſoluimus, Cæſar pugnat, Cæſar eſt pugnans: ſic enim poneretur verbum Pugno neceſſarium, quare Genus ipſum quoque eſſet neceſſarium, in multa verba diſtributum, non intra vnum contentum: non igitur ſic reſoluetur, ſed in Nomen, Cæſar eſt in pugna. Hæ rationes acutiores ſunt à philoſophis profectę. Verùm non fit vera reſolutio: poterat eſſe in pugna, nec pugnaret. At Verba ipſa Adiectiua neceſſaria ſunt, ſicut & Subſtantiuum: quemadmodum Accidentia, ſicut Subſtantiæ. Vter verò affectus ſit prior, Genúſne, an Modus? Ac genus ſanè prius eſt, vt aliud ſignificet Actionem, aliud Subſtantiam: Modus autem generi accidat. Tres reliqui affectus cuiuſmodi ſint videamus: nam Coniugatio eſt, quod Nomini Declinatio: certa meta ac facies terminationis. Hoc autem cōpetit quatuor ſpeciebus declinabilibus, vt ſuprà dictum eſt. Competit igitur Verbo, vt dictio eſt declinabilis: ſicut & Species quoque, & Figura. Coniugationes autem quatuor fecere: ſed & Prima cum Quarta in multis eadem fuerat, Audibo, ſicut Amabo: adhuc enim dicimus Ibo. Et confuſa indifferenter Secunda cum Tertia: Ferueo, Feruo. & Prima cū Tertia: vt, Lauare, Lauere. Et nonnulla extra ordinem: vt Sum: cuius neque Præſens, neque Futurum, neque Infinitiuus cùm cæteris conuenit, vt ad caput certum reducatur: ſolum præteri-

tum gerit aliquam ſpeciem, *Fui:* ſed incertam nam dicimus, & Explicui, & Docui, pari cum illo analogia, ſed inter ſe diuerſa.

CAPVT CXXII.

Figura, eiuſque cauſſa.

FIguram nominarunt partium compoſitionẽ: orta autem eſt ab ipſa oratione, & celeritate: vt Verſus facio, quod fuerat, fieret Verſificor. igitur prior fuit, quàm Species: ex ipſa enim oratione quæ eſſet ex primitiuis nata eſt. Placuit autem vt eodem modo quod nõ eſſet compoſitum, Figuratum diceretur: cùm tamen ſatis cõſtat per initia, antè quàm Compoſitio inuenta eſſet, Simplicia ipſa nullius fuiſſe Figuræ: quare per relationem potius ſic dicta ſunt. Propriũ Figuræ eſt, mutare interdum genus: vt, à Facio, Verſificor: à Specio, Conſpicor. Item Coniugationem: Sternere, Cõſternare: quod etiam ſine compoſitione fit: vt, Legere, Legare. Si à Fio paſſiuo, ducas Suffio actiuum, etiam ſignificatum mutari conſtat.

CAPVT CXXIII.

Species, earumque ſignificata, & cauſſæ.

VErborũ Species, vt diximus, duæ: Primariorum, & Deriuatorum: ſic enim melius, quàm Deriuatiua dicere: deriuantur enim non deriuant. Deriuata duplex: altera in qua non mutatur modus ſignificationis: vt, Albeo, Albico. Altera in qua mutatur: cuius ſunt ſpecies hæ, Incohatiua, Meditatiua, Frequentatiua, Deſideratiua, Deminutiua. Inter hæc Deminutiua non ſunt controuerſa: nemo enim dubitat in Lo, deſinentia

eſſe

esse Deminutiua: qualia, Sorbillo, Conscribillo. Error autem antiquorum est, qui dicerent mutari significatum: non enim verum est: idem enim significant, sed alio modo. Caussa autem huiusce terminationis fuit Græcus sonus: sic enim quædam Deminutiua sua pronunciarũt, μειρακύλλιον. At Incohatiua, quæ in *Sco*, facerent: vt, Feruesco: recepta quidem sunt ab omnibus: sed recentiores in ipsis negarunt Incohationem, idémque velle, quod ea, quæ à Fio componuntur: vt sit Calesco, quod Calefio: quorum Præterita exponantur per Factum esse: sic, Macruit, macrefactus est: quæ Præterita, si sint à Primitiuis, per Fuit, interpretemur: sic, Macruit, id est, macer fuit: quoniã Macreo sit, Macer sum. Igitur non significare Incohationem, propterea quòd apud Virgilium sit, Incipiunt agitata tumescere. Cæterum eorum sententia sic est perpendenda: Tumere, alio modo accipitur, alio Tumescere: nanq; Mons tumet, nõ tumescit: at Fluctus & tumet, & tumescit. Item Ignis calet, non calescit: at Ferrum igne calescit: vt sint verba, quę habent significatum μέσον, quale θερμαίνομαι, calesco. Ergo, quemadmodum dicebamus, Qualitates, aut Accidentia illa, quæ his verbis significantur, interdum sunt in fluxu, &, vt ait Plato in Cratylo, ἐν τῷ ῥεῖν: interdum iam fixa. Quare per primitiua dicuntur, cùm sunt fixa: etenim in monte tumor iam non mouetur, iccirco eum temere dicimus. At dum fluunt, per Verbum in *Sco*, explicantur: iccirco vbi erit Verbum in *Sco*, poterit esse etiam Primitiuum, & non è contrario: propterea quòd habitus iam

Virgilius autem addidit Incipiunt: vt Plautus dixit, Pergis pergere. Et Medici initium, quarundam ægritudinum diuidunt etiam in initium, & augmentum, & ſtatum: & multa ſimilia inuenias iterata. Ergo igitur: Adeo ad eum: Longè fortiſſimus: &, Caue ne neges: apud Terentium, Salluſtium, Catullum. Deſideratiua quoque damnant, aiúntq; corporis motũ ſignificare: vt, Viſo, eo ad videndum: quale illud, Nam memini Eſionen viſentem regna. Non enim cupiebat, quod agebat iã: ea nãque cupimus, quibus caremus: vnde Corpora deſiderata, quæ cæſa eſſent. Et qui Laceſſit, plusquam Lacerat: & qui Vexat, plusquam Vehit: non igitur deſiderat is, qui plus agit: Non ſunt igitur quale apud Græcos, ὀψείω. Nos verò ita cenſemus: verba hæc parum differre à Frequẽtatiuis: habent enim eandẽ & originẽ, & terminationem, à Supino enim fiunt, vehemẽtiam igitur actionis ſignificare: quorum aliqua explicẽt eam per actionem cõtinuatam, cuiuſmodi dicta ſunt à veteribus Deſideratiua, propter affectum animi intentioris: aliqua per actiones iteratas: cuiuſmodi ſunt Frequentatiua. Indiderunt igitur nomen conſequenti rei ab antecedente deſiderio. Recentiorum autem quidam Incohatiua etiam auſi ſunt appellare: quoniam Viſo dicat, eo ad videndũ. Sed quomodo incipiat videre, qui eat ad vidẽdum? nondũ enim videt. Sed geſtum, vt diximus, ſignificat animi corporiſque ad id propẽſioris: ſic Cicero ad Petum, Vt viderẽ te, & viſerẽ & cœnarem etiam. Quoniam vident inter ſe etiam qui nolunt videre: at viſunt, qui cum cura. At Vexaſſe

rates canibus marinis: quo modo tantum incohasse exagitationem, cùm incohare imperfectionem dicat, horum autem sententia etiã cum augmẽto fit. Alia autẽ frequentatiua in *To*, sunt: quoniã eorũ Supina eandẽ nacta sunt terminationẽ, Ventito, Vecto. neq; frustra à supinis ducta sunt: nam alterũ significat terminum vnde fit motus, alterũ quo fit motus. Itaq; Vecto, significat Veho, sed ita, vt semper in ipsa sim actione, quæ ad finem tendit, quasi Vectum eo: nunquam: igitur absoluit. sed iterat actiones. Dormito autem non est frequenter dormio: sed leuiter dormio: cuius significati causa est, quòd qui leuiter dormit, repetit somnum interceptum, aut interruptum.

Meditatiua autem optimè sic sunt à veteribus appellata, quæ in *Rio*, exeũt: vt Esurio, Cœnaturio apud Martialem: quibus formis tantum affectum ostendimus, támque intensum, vt nihil aliud meditari videamur. Non igitur nomẽ mutandum est, quod fecere recentiores, vt Desideratiua potius vocentur. Nam desiderij caussa cognitio est: meditatio autem repetita cognitio ex memoria. Desideramus ea, quæ in potestate nostra non sunt: at Meditamur etiam ea, quæ in nobis sunt, vt ea exequamur. Itaque non desiderabat Cæsar proscribere, poterat enim: sed gestiebat. Iccirco dixit M. Tullius ad Attic. IX. Ita syllaturit animus eius, & proscripturit iandiu. Horum autem caussam, & originem æquè ignorarunt: neque enim à Supino veniunt, sed à Futuro participio actiuo: Quò tendis Gnatho? ad Pamphilum: Cuius rei ergo? Cœnaturus. inde Cœnaturio. Fuc-

Fuere verò etiam alia verba huius ordinis, non ignota quidem illa antiquis: sed in hanc classem cùm non redegere, minus rectè ab ipsis factum fuit. Sunt igitur ea, quæ Imitationem quandam significant, de quibus suprà diximus, A Grecis orta, in *Zo.* Tres autem modos in ipsis animaduertimus: Aut enim significāt apertam imitationem: vt, Atticisso. Aut minus apertam: vt, φιλιππίζω. neque enim Aeschynes potius imitabatur Philippum, quàm sequebatur. Tertius modus est cùm dicimus Cyathissare. neque enim aut imitamur, aut sequimur Cyathum: sed translatum est significatum à caussa efficiente in instrumentum.

CAPVT CXXIIII.

Impersonalium Natura, Ortus, Caussa, Vsus.

QVæ prisci tam Latini, quàm Græci dixere Impersonalia, videamus cuiusmodi sint. Ac primum quidem constat, cùm & Numero carere dicantur, & Persona: atque Numerus, vt ostendimus, quàm Persona potior sit: dubitandum esse, an commodius Innumeralia, quàm Impersonalia dici debuerint. Verùm illud maioris momenti est: cùm verbum sit species dictionis declinabilis per Numeros, & Personas, ab ipsis definitum, tamen verbi speciem commenti sunt, quam vtroque carere putarint. at Generis substantia tota in qualibet specie est, igitur & genericæ differentiæ, & accidentia propria inerunt. Qui error vt clarius pateat: priuatim de his, quid illi senserint, videndum est.

Imperſonale, inquiunt, duplex, vnum Actiuæ vocis, quod imitetur actiuorum tertias, vt Placet: alterũ paſſiuæ, quod repræſentet tertias paſſiuorum, vt Amatur: vtrunque autem carere tum numeris, tum perſonis: neque enim primæ, aut ſecundæ, aut tertiæ eſſe, ſed nullius. Hæc igitur vt refutentur, paucula repetamus: Oſtendimus Verba aut tranſmittere ſignificatum in appoſitum, aut proferri abſolutè: ſic, Cæſar amat Lucinam, tranſmittitur hic actio amãdi in Lucinã eodémque modo paſſiuũ quo pacto proferretur inuẽtũ eſt, Lucina amatur à Cæſare. Abſolutè autem ſic, Cæſar amat: &, à Cæſare amatur: nam tametſi ſciã quid amet, tamen non ediſſeram: itaque euenit, vt aliquando nulla explicata perſona ſignaretur: at enimuero neque prima, neque ſecũda, neq; tertia excludebatur, poſſum enim intelligere ſic, Cæſar amat Me, Te, Illum. Tantum verò abeſt, vt in paſſiua voce nulla perſona intelligatur, vt etiã neceſſariò tertia ſubſit, ſed incerta. Alij igitur vt hoc euitarent, plus errarunt, Imperſonale dici, propterea quòd nulla perſona, à quo id fieret, explicaretur: cùm contrà cõſtet apud omnes, neq; ſit digna ſententia quæ refellatur. Nã à Parmenone dictum eſt de ſe, Statur: & à Vergilio de Aenea, Ventum erat ad limen: & à Liuio de Tarquinijs, Reditum Romam. Præterea hi non rectè reſpexerunt ad obliquum: vt, quoniã actio, à quo prodiret, non indicabatur, perſonam ſubiectam negarent. Non enim cum Obliquo verbũ conuenit, ſed cũ Recto. Igitur cùm Rectũ ſubintelligamus, ſubintelligitur & Perſona. Neque verò ad neutra con-

confugiendum eſt, qualia agnouere, Statur, Curritur: nam Stare ſtatum, & Currere ſtadium, & Vitam viuere, & Ire viam dicimus: & Decurſa ſpatia, & Vitam euitari, & Mortem obitam legimus. Alia enim etſi videbuntur abſurda cõſuetudine reclamante, ſuapte tamen natura talia ſunt. Quin etiam legimus Tellurem inaratam, & Pyros inſitas. Quare quæ verba non patiuntur eiuſcemodi conſtructionem, ne hunc quidem loquẽdi modum admiſere, qualia ſunt, Egeo, Gaudeo. Cùm enim Obliquũ poſtulent, non potuit dici, Egetur: quod poſtulat Rectum: quòd ſi aliter reperiatur, hoc fiat, propterea quòd priſci aliter quoque ſint locuti, quemadmodum Cato, Careo pecuniam. Si igitur ſubiecta Perſona intelligitur, Numerus etiam intelligetur: qui etſi nõ pręſcribatur, tamen ad ſingularem referretur: vt, Quid fit Gnatho? Editur. licet multa eſitet, tamen ſingula diſponas ad intelligendum. Quòd ſiquis à verbis in OR, aliqua ducta pro exemplo habeat, is animaduertat, quod eſt à nobis dictum ſuprà, Verborum mutata eſſe genera, Opperior, Nutrior, Paſcor, & alia, quæ à Nonio in libellum redacta, recenſitáque ſunt.

CAPVT CXXV.

Actiuæ vocis impersonalia.

ACtiuæ vocis Imperſonalia eodem ferè modo irrepſere. quãdo Rectus, cuius auſpicijs Verba in Numeros, atque Perſonas circumaguntur, latuit nos. Nam hoc, Placet mihi lucubrare: idem ſit atque hoc. Placet mihi amor præſens. Iam τὸ φιλεῖν, καὶ τὸ φίλημα, idem eſſe docuimus: quare

ſatis patet, ne hæc quidem vocanda eſſe Imperſonalia. Aliquot tamen ſunt vſu potius diſtorta, quæ integra nihilominus aliquando fuiſſe neceſſe eſt, inter quæ ea numerantur, Pœnitet, Piget, Pudet, Miſeret, Tædet: nam Obliquis coniungũtur: ſicut etiã diſtorſit Plautus in Captiuis, Nam poſtquam Rex meus eſt potitus hoſtium. Nos eam aſperitatem in meliorem receptam legem emolliuimus, & interpretamur verbum Potitus eſt, paſſiuè: ſubintelligimus, vi, aut opera: ſicut χάειν ſub intelligunt Græci & Salluſtius, vt ſuprà diximus. Ita, Miſeret me fortunæ tuæ: id eſt, vis tuæ fortunæ facit me miſerum. Sic fuit in verbis integris, Miſereor tui: miſer fio tui gratia. Argumentum huius rei maximum eſt, quòd horum vox ſingulari numero remanſit, vt ſit τῦτο ἀρέσκει μοι, ἤγουν τὸ φιλεῖν. Duorum autem naturam malè ſunt veteres interpretati, vt Intereſt, & Refert, cùm ſexto caſu putarint ſtatui, cùm pronominibus adderentur: Intereſt mea, vt eſſet, In re mea eſt: & Mea refert, vt eſſet, Fert re mea. nunquam enim fuere Imperſonalia: nimis enim delicatè potuit venire in mentem iſtis, vt verbum Subſtantiuum facerent Imperſonale: quod tamen neceſſariò ſemper aliquid verè ſtatuit. Sed ita fuit. Intereſt mea legere, vt Meæ partes ſunt legere: Inter mea hoc eſt quoque, legere. Et alio verbo, Legere fert mea, id eſt repreſentat mea negotia.

Sic igitur tam actiuæ, quàm paſſiuæ vocis hæc verba ſeſe habent, verùm in vtriſque eſt quæſtio: nam dubitarunt, an dici poſſet, & quomodo, Videtur mihi te fuiſſe Romæ. Multi enim magis

docti

docti ratione, quàm exercitati lectione, Latinè dici posse negarunt: verùm ea loquutio & apud Græcos, & apud Latinos inuenitur passim, & habet ratione͂: tota enim oratio illa infinitiui depe͂det ab articulo, sic, Videtur mihi hoc, te fuisse Romæ. Ita Liuius de Gallis: Eam gentem traditur fama, dulcedine frugum, maximè vini noua tum voluptate captum. Xenophon quoque, τὸ δὲ κῦρον πρὸς ταῦτα ἀποκρίνασθαι, λέγεται. Ita loquutus est Aristoteles quoque in x. historiarum. Altera dubitatio est in his verbis, Pluit, Tonat: non defuere enim qui Impersonalia ausi sint dicere, nimis sanè leuiter: eodem enim more subtracta persona est, idque facilè, vnus enim est qui id agat, quare absolutæ potestatis appellata sunt ab aliis. Proxima his sunt Germinat, Florescit, quæ ad terram referunt, atque alia inanima, quæ seipsa in primam personam recipere nequeunt: sed de his suprà quoque amplius dictum est.

CAPVT CXXVI.

Affectus verborum communes.

PRoprium Verborum est, non solùm mutare Genus, Coniugationem, Modum, Significationem, & Numerum, vt τὰ ζῶα ἐστιν ἔμψυχα: sicut suprà dictum est: sed etiam Casus: Ausculto seni, & senem. Item vt confundunt Personas, Statur: sic confusas explicant. Cæsar scribo, Cato scribis, Lælius audit. Proprium etiam creare ex sese alias partes, vt Nomen, Creo, Creator: neque semper pleno significatu, nanque à ποιῶ ποιητής, coarctatur ad carminum tantum

autorem, Latinũ verò, Factor, ad eum qui oleum faceret, solummodo. Aduerbia, Ferè, Agè. Item creari à Nomine, Strues, Struere: Imperium, Imperare. Sed & creare alius generis nomina, quæ verbalia non dicantur, vt à *Do*, *Dos*. Illud etiam obseruauimus eorum peculiare accipere significationem ex alia actione, σιτιῶ, est cibum capio. Atquia è cibo oritur sitis, iccirco Latini ea occasione id verbum recepere ad significandum quod sequebatur, quippe, τὸ διψᾶν. Igitur patitur etiam ἀντιμετείαν. Et ponitur pro Aduerbio, Age, Sodes, Amabo: pro Coniũctione, Licet: & in compositione, Quamuis. pro Nomine, vt diximus ex Ouidio, Sæpe Vale dicto.

IVLII

IVLII CAESARIS SCALIGERI

DE CAVSIS LINGVÆ LATINÆ, LIBER SEXTVS.

CAPVT CXXVII.

Pronominis sedes inter partes, Ratio, Diuisio.

PRONOMEN quidam ante Verbum posuere, alij etiam post Participium tractauere: vtrique malè. Priores eò redarguũtur, quòd Verbum necessaria vox est in oratione, Pronomen non est necessaria: nullum enim Vicarium necessarium. Igitur si Pronomen semper loco Nominis ponitur: posito Nomine, Pronominis vsus nullus erit. Quòd autem Pronomen præcedere debeat Participiũ, sic demonstramus: nam Participij significatio ad Verbum reducitur, modus significationis ad nomen: Pronominis autem & significatio, & modus, ad Nomen referuntur: plus habet Participium Verbi, quàm Nominis: Pronomen penè totum nomen est: at Nomen est prius, quàm Verbum: igitur & Pronomen, quàm Participium. Definitionem autem more nostro ex vi nominis elicia-

mus. *Pro* præpoſitio, vt in libris Originũ plenius narratum eſt, cùm multa ſignificet, id habuit genuinum, vt vices indicaret. Pro Milone dixit M. Tullius: id eſt, obijt munus, quod Milo debuerat exequi. Fuit eius & origo, & vſus à Græcis. Nam tametſi frequentius ſignificat *Ante*, τὸ πρό: tamen apud Herodotum in Polymnias legas etiã πρὸ σπάρτης: ſicut nos pro caſtris, & pro patria pugnare. Ergo videtur è nomine oriri definitio, vt Pronomen ſit, quod pro nomine ponatur. Nam quemadmodum dicebamus, quædam rerum notæ ſunt: vt, Nomina: quædam notæ Nominum. quippe ad hanc vocem *Nomen*, ſi quæramus vt aliquid reddatur: ſic, Cedo mihi Nomen aliquod: cõtinuo dabo vnum quippiam, Cæſar, Equus, Enſis. Item Cedò Participium, Orationem, ratiocinationem: ad hæc non res, ſed voces reddentur. Ab horum igitur natura non videntur abhorrere Pronomina: nam ſi dixero *Is*, aut *Ille*, aut, *Ego*, non ſtatim interpretentur per res ipſas: ſed per Nomina, ſic, *Is*, Cato: *Ille*, Antoninus: *Ego*, Cæſar. Græci autem rem ipſam hanc eandem expreſſere, ſed paulò licentiore voce vſi ſunt. Etenim ἀντωνυμία non eſt ipſum hoc quod pro Nomine ponitur: ſed actio quædam, qua ponimus Nomen pro Nomine. Ceterùm acrius, profundiúſque intuenti fortaſſe aliter res ſeſe habere videatur: tantum enim abeſt, vt pro Nomine poni quis putet, vt etiam prius, vetuſtiúſque intelligamus Pronomen, quàm Nomen. Cùm enim quædam ſint demonſtratiua, vt *Hoc*: etiam ignoranti rei Nomen

men demonstratæ aliquid significabit. multæ res carent nomine, per Pronomen demonstratiuum intelliguntur: ergo pro Nomine non ponitur, quod Nomen sanè nondum extat: eodémque modo significabit, quo modo significant Nomina hæc, Res, Ens: vt communis nota quædam sit. Dico autem, eodem modo: quia communi quadam æquè circunferuntur significatione: nam modo alio diuersa sunt: quoniam illa simpliciter significant, Pronomen autem *Hoc*, per demonstrationem. Non igitur pro Nomine ponetur, nihilo magis quàm Res, aut Ens: sed τὸ τὶ statim ac sine medio notabit. Præterea Ego, & Tu, indiuidualitatē statuunt magis, quàm nomen Cæsaris, & Catonis: neque enim cùm dico, *Ego*, potes alterum intelligere, neque cum altero communicare: cùm dico, Cæsar, etiam in alterum transmitti potest intellectus: vt non solùm non ponatur *Ego*, loco nominis huius Cæsar: sed etiam è contrario, nomen ipsum Cęsar, per Pronomen ad certam substantiam perscribatur. Vt etiã plus errarint, qui sic sentiunt, Ego esse Pronomen, quoniam pro Proprio nomine ponitur: sic enim etiam nomen Appellatiuum esset Pronomen, cùm dicam, Homo loquor: poneretur enim pro Cæsare: sed substantiam meam statim significat, non nomen meum. Præterea sibi ipsi contradicũt: negant enim posse sic me loqui, Iulius scribo: sed sic, Ego Iulius scribo. ergo pro Nomine non ponitur vt vicariũ, sed vt primarium. Neque verũ est quod aiunt, Appellatiuũ in Propriũ resolui. sũt enim nomina quędã generica, &

ſpecialia ſeorſum à propriis, quę nunquam reſol-uũtur: vt, Piſcis, Auis, Homo: quibus poteſt attri-bui oratio, & ad ea etiam conuerti: veluti cùm humani generis miſerias fleam, ſic inſtituam, O' homo, genus infelix, Tu tibi paras infortunium. Pronomen Tu, eſt ſpeciale. Eadem ratio ſui com-paris, *Ego:* reſpondere enim faciam hominem pro tota ſpecie, ſic, Deus me talem creauit. Sed & alia exempla ſunt commodiora, vt in nomini-bus Collectiuis, Audi tu populus Albanus: Hæc dicit populus Sabinus: Ego non cedã tibi lare pa-trio. Quid igitur? aut nihil intererit inter Nomẽ, & Pronomen: aut étiam Pronomen erit præſtan-tius Nomine? Minimè: ſed nomina inuenta ſunt, quia res nobiſcum ferre nequimus: itaque ſem-per ſignificant ſine adminiculo. At Pronomina, aut referunt Nomina iam poſita, aut egent præ-ſentia loquentium: & per ſé nihil ſtatuunt, niſi aut Nominibus adiuta: aut præſcripta demon-ſtratione: iccirco communis hæc natura eſt inda-gãda. Sic itaque alij definiuere, Dictio inflexa ca-ſibus, indiuiduam maximè eſſentiam ſignificans, ſine vlla quidem temporis, ſed nunquam ſine de-finitæ perſonæ differentia. Verùm nequaquam Aduerbium Maximè, inſerendum fuit: æquabilis enim eſt omnis definitionis vis: neque recipit in-tẽſionem aut remiſſionem: neque plus ſignificat eſſentiam indiuidualem Pronomen Ego, quàm Nomen hoc indiuiduum; nequis dicat Aduerbiũ illud poſitum eſſe ad Nominis diſcrimen: Ne-que eſſentiam ſignificãt potius, quàm ipſum ens. cùm enim dico Ego, non ſignifico meam huma-nitatem

nitatem: idest, hominis formam, qua homo sum: sed totum hoc quod sum: neque potius essentiã, quàm essentias. habent enim etiam pluralem numerum. & relationem æquè multa significant, non essentiam: immo etiam plura. Nam ab *Ego*, duo habes, *Meus*, & *Noster*: à *Tu*, totidem: à *Qui*, item duo, *Cuius*, & *Cuias*. Præterea cætera relatiua, *Qualis*, *Quantus*, atque eiusmodi, omnia dicunt accidens, non substantiam. Quinetiam Obliqui casus illorum relationem notant, sic, *Ensis Illius*: non significat hic ensem, sed possessionem, & ensem consignificat. Tertius error, cùm negant vnquam Indefinitam personam à Pronomine statui. Omitto quòd vocem hanc *Nunquam* malè inseruerunt definitioni: nam definienti satis est, dicat, Est hoc, aut hoc: sic, aut sic: definitio enim intelligitur competere per se, & omni, & vni, & semper. Sed demus hoc Grammaticorũ supellectili curtæ. at illud falsum est, Multa sunt Pronomina, quæ cuiuis adhæreant personæ, Is, Ille, Ipse. Ille ego, qui quondam: Ipse subibo: Is sum Quirites, quem me esse voluistis. Ergo non definiunt personam, sed ab aliis definiuntur. Item Meus sum, Meus es, Meus est, & vt ait festiuè Plautus, Noster sum: in quo nihil à nominib⁹ differunt, quæ non variata voce varias recipiuntur in personas. Igitur aliter quoque definitum est: Quod certiùs, quàm Proprium nomen significat. Hoc autem falsum est: certiorem quidem rem potest significare, scilicet præsentem: at certiùs non potest: Etenim sine medio Proprium nomen significat indiuiduum suum. præterea non cuiuis

competit Pronomini: quis enim dicat, *Meus*; *Tuus*, certiùs ſignificare, quàm Dauus, Syrus? Immo niſi aliquid apponatur, nihil ſignificant: Cùm enim relatio non in vna tantùm re inueniatur, ſed inter plura, niſi aliquid addas ad quod illa referantur: eorum ſignificatus vix extet. Nos igitur aliter ſentimus: Pronomen à Nomine non differre ſignificatione, ſed modo ſignificandi. Hęc autem differentia eſt triplex: ac quemadmodum, Par & Impar, non cuiuis numero vtrunque ſimul, ſed certo alterutrum competit: ita hi affectus, quos Modos ſignificandi diximus, alius alij competit Pronomini. Primus eſt, quòd rem præſentem indicant loquenti: id quod non facit Nomen: vt, Ego: aut etiam ei, qui cum loquitur: vt, Tu, Atque hæc poſſunt poni, nullo nomine ſubintellecto: rem enim ipſam ſtatim per ſpeciem intellectui repræſentat, nō per nomen. Alter eſt, quòd pro Nomine ponuntur, vt Relatiua: Cæſar bellum geſſit, is vicit, idem eſt, Cæſar vicit. Tertius eſt quod non ſolum pro Nomine ponuntur, ſed etiam cum Nomine, vt ipſum repræſentent: Ego Cæſar. Ex quibus ipſa Definitio colligi poteſt: atque ex Definitione Diuiſio certa in ſpecies, quæ de manu veterum aſſerendæ ſunt nobis, atque vindicandæ: ipſi enim Relatiuum *Qui*, negarunt Pronomen eſſe, peſſimo quidem conſilio: cùm ſecundum eorum definitionem, quæ nihil aliud ſtatuit, quàm pro Nomine poni, totam eam naturam, ac multo melius quàm *Ego*, & *Tu*, ſibi aſſumat. Nam ſi *Is*, Pronomen eſt, quare *Qui*, non erit? idem enim vſus vtriuſque,

que,& Forma,id eſt ſignificatio,& materia: nam fuit καὶ ὅς, *Quis:* καὶ ὅ, *Qui*. Par error etiam cùm Relatiuum ſubſtantiæ appellarunt, refert enim etiam accidentia: vt, Colorem,quem vides,contraxi ex ira. Quare alio modo ex diuiſione nuncupandum erit:non ſicut fecere, quibus Prouocabulum potius dicere placitum eſt. Nam Vocabulum eſt quodcunque in voce conſiſtit: etiam ipſa Verba Vocabula ſunt: quis hoc neget: niſi ſuperſtitio Grammaticorum? potius nutus quiſpiam, aut oſtenſio aliqua Prouocabulum dicatur, quibus loco Vocis, & Vocabuli vtamur.

Diuiſio autem fiet, ſicut & Nominis: nam alia dicentur Subſtantiua (vtemur enim vocabulis receptis) alia Adiectiua, non quæ Subſtantiam tantum ſignificent,ſed etiam Accidens:vt,Is color.Sed quia non repræſentant modum accidentis, alia autem ſtatuunt ipſum modum, vt *Meus:* nam ſicut Seruus ſignificat poſſeſſionem, & conſignificat ſubſtantiam: ſic etiam *Meus*. Quare etiam Relatiua, alia dicta ſunt Subſtantiæ,vt *Qui, Is:* propterea quòd ſiue ſubſtantiam ſiue Accidens referrent, modum ipſum apponerent Subſtantiæ: cùm enim dico, Is color: tametſi color in corpore eſt, tamen non indicatur à me, quatenus eſt in corpore. Alia dicta ſunt Accidentis, non ſolùm quæ Accidens notarent, ſed etiam quæ conſignificarent Subſtantiam. Nam *Quale*,ſignificat Accidens vt eſt in ſubſtãtia.Recentiores autem leui nimis de cauſſa *Qui*, inter Pronomina recenſuere:propterea quòd,inquiũt,

quorundam Pronominum declinationem sequeretur. Hoc autem est ridiculum, Affectus variare Substantiam. accidit enim Declinatio Pronomini. Itaque etiam vsu mutantur. nam quod dicimus Alterius, fuit olim, Alteræ, in secundo casu fœminino. Præterea multa Pronomina Nominum sequuntur Declinationem, Nomina igitur erunt. Ego, Mei: Tu, Tui: Meus, mei. Et contrà, Nomina Pronominum: Vnus, Vnius: Solus, Solius. Ex quibus constat Pronomina Relatiua accidentis resolui in substantiuum cum ipso accidente quod referunt. Nam Tantus, est nomen confusam significans magnitudinem. Sic Tantus Astyanax, Tantus Hercules: id est, hac, vel hac magnitudine. & subdam, Quantus Syluius, Quantus Cæsar: id est, qua magnitudine. Eadem ratio & in cæteris: Qualis, quo colore: Quotus, quo ordine, & reliqua. Proprium Relatiui substantiui est flectere naturam suam in oratione, sicuti de modo Indicatiuo dicebamus: id fit ei tribus modis: Interrogatione, Qui estis vos? Negatione, Nescio quam in gentem veni: vbi occulta est quędam Relatio. Occultior autem etiam in illo, Quid hominis es? vbi vim quandam Nominis subijsse aiunt: sed vsus hæc flexit. Hinc etiam elicimus, quod veteres omisere, Adiectiuũ & Substantiuũ, non esse Nominis affectiones, aut differentias, vt Nomẽ est, sed vt est Dictio: competit enim etiam Pronomini. Atque error antiquorum patet, qui putarunt Pronomen à Nomine differre: quoniam Nomen nullam personam determinet: Pronomen autem certam statuat.

Nam

Nam & Vocatiuus Nominum certam ponit: & Ipſe,Ille,atque alia non certam.Illud quoque cõtemplandum eſt, quod aiunt, Pronomen ſine Demonſtratione,aut Relatione nihil ſignificare. Ac ſententia quidem vera eſt ipſa,ſed oratio minus bene compoſita: vſi enim ſunt voce demonſtrationis,pro repræſentatione. Neque enim qui dicit,Ego,ſemper demonſtrat: nam quemadmodum me abſenti tibi demonſtrabo, qui nunc me nullus vides?

Ambigitur autem & præter hæc, Alter,& Neuter, atque eiuſmodi,ſintne Pronomina.nam quidam ipſa vocarunt nomina Partitiua: ſicut Omnis, nomen Diſtributiuum. verùm enimuero ſi quis eorum ortum ſpectet, inueniet eſſe Pronomina. Eſt enim Neuter, non vter:& Alter, alius vter: at ipſum Vter, Pronomen eſſe conſtat: non enim differt à Qui,niſi per modum:quoniã duobus tantùm apponitur Vter: Qui, verò pluribus. Quare etiam *Alius*, pronomen erit: differt enim ab *Alter*,ſicut *Qui*,ab *Vter*:atque exponũtur per nomina ſic, Vter fecit? Cæſar? Non: Alter fecit. Quis ille alter eſt? Cato:neque enim alio modo ponitur,quàm ſi dicas,ille fecit, non hic. Eſt autem Vter,ὁ ἕτερος: Alter, ἄλλος ἕτερος: item cæter,καὶ ἕτερος. Quare etiam Omnis, & eiuſmodi erunt Pronomina, ſunt enim ſigna Nominum:neque numerum ſignificant, eſſent enim Nomina, vt Vnus, Duo:ſed notæ tantùm ſunt Nominum. Cùm enim dicis, Quis homo diſputat? & reſpondes, Omnis. hoc ſignificat,atque ſi ſingulos homines nominatim redderes, vſque ad vnum

vltimum. Videbitur autem quibuſdam abſurdum hoc, propterea quòd ſignificet Quantitatem: ſed non ita eſt: imò verò ſignificat Diſtributionē actionis, aut eiuſmodi in quantitatem. Itaque per Pronomina quoque cæteræ propoſitiones explicantur, Quidam, Aliquis. Dubitabit autem quiſpiam, Nullus, Nomen ne ſit, an Pronomen, etenim ab Vno, ducitur: at Vnus Nomen eſt, quantitatem enim, ſiue principium eius ſignificat. Ad hoc ſic reſpondemus: Nomen eſſe, & inopia ſermonis vſurpatum pro eo quod eſſet, Non quiſquam. Eſt autē origo ipſius Omnis, Græca, ὁμῶς, vt Collectionem, & Diſtributionem, non Quantitatem accipi intelligamus.

CAPVT CXXVIII.

Pronominum affectus.

PRonomina afficiuntur quibus & Nomina, Specie, Genere, Numero, Figura, Perſona, Caſu. Primæ Speciei, Ego, Tu, Sui. Deriuatæ, Meus, Tuus, Suus. Genera in quibuſdā diſtincta, Meus, Méa, Meum. In quibuſdam conueniunt. Ego, bonus, bona, bonū. Numeri duo, Ego, Nos. Perſonæ tres, Ego, Tu, Ille. Figuræ duæ: Simplex, Ego: Compoſita, Egomet. Caſus alij alijs, neque numero æquali. Ac de Specie quidem, Genere, Numero, Figura ſatis conuenit: de Caſu autem non in omnibus. Circa Perſonam quoque non idem ſenitunt omnes. Ad hæc igitur intelligenda, vſus, ac ratio eorum exactius ſunt perſcrutanda. Signantur igitur duæ perſonæ, Prima, ac Secunda duobus tantum Pronominibus: at

Tertia

Tertia pluribus. Non quia Prima, & Secũda præsentes sunt, vt dixere: non enim id verum est: nã quamobrem Epistolæ sunt institutæ? Sanè in his absentes loquimur de Tertia etiam præsenti alterutri scribentium. Sed quoniam & qui loquimur, & ad quem loquimur, vnico intelligimus modo: at tertiam non vno: nam aut monstramus, aut absentem referimus: sic enim distinguimus, vt alia sint Demonstratiua, alia Relatiua, quæ sine discrimine vtriusque naturæ vices subeant. Demõstratiua autem laxa, vt diximus, voce: nam aut præsentem sensibus, aut intellectui: Non quẽadmodum scripsere, sic, præsentem aut ad oculũ: aut ad sensum: quasi verò oculus sensus non sit: quasi verò si de voce loquar, oculo percipiatur. Itaque demonstrato colore, aut sono, aut sapore, aut odore, aut re tactili, sensu constitui ostensionem dicemus. si dicam, Hic motor, cuius voluntate orbis rotatur: intellectui præsens demonstrabitur. huius generis est *Hic*. Sub quo etiam alius modus continetur: Interdum enim quod non videmus, nos, alteri, quicum loquimur, demonstramus. quippe rem ipsius præsentem sensibus, aut notam intellectui: huius generis est *Iste*: absenti enim sic scribam, Ista tua cura quæ te angit: Istud Musæum, in quo scriptitas. Neque enim prisci rectè scripsere, Pronomen *Iste*, significare præsentem personam: sic enim scribam. Istud tuum prædium, in quod diuerti fessus de via, abest ab vtroque nostrum mille passibus. Præterea ipsi sibi contradicunt: aiunt enim, Primam & Secundam non variari per genera, quoniam præsentem

rem ſemper indicarent: ergo *Iſte*, quomodo per genera variatur, ſi ſemper præſentem perſonam indicant? Alter quoque eorum error, cùm *Hic*, appellarunt Pronomen præpoſitiuum, iccirco, quia ſignificet primam rei cognitionem: id eſt, quod reddatur interroganti, ſic, Quis fecit? *Hic.* Iam omitto peſſimum loquendi modum, neque enim ſignificat cognitionem rei, ſed nota eſt cognitionis, ſignificans rem. At enimuero etiam ſubiungitur relatiuè, ſicut etiam *Is*, frequenti vſu Cæſaris, & Salluſtij, nimirum vtriuſque origo eadem eſt. ὅσκε, Iſce: ὅκε, Hice, à quo per Apocopen, Hic: nam Iones ὃ, pro, ὅς, dixere.

An verò, quod aiunt, verum eſt? Primam & Secundam non variare vocem per genera, propterea, quòd præſentes ſemper ſint: Tertiam variare, Ille, Illa, Illud: quia non ſint præſentes, quæ ſub tertia circunferuntur. Atque hoc iam à nobis reiectũ eſt. Nanque quod appellant Pronomen Demonſtratiuum Hic, Hæc, Hoc, variatur, ac præſens tamen ab ipſis ſemper ponitur: itaque ſuis ipſi telis pereunt: pereunt verò & noſtris: non enim ſemper præſentes inter nos loquimur. Quid enim ex vltima Germania ſcribat ad me puella, atq; ego reſcribam? Amo te, inquiet? iam hic genus neceſſarium eſt: vt ſciam, àmicúſne an amica bene de me ſentiat. Quærunt etiam, cùm Prima, & Secũda certis feratur numeris, quamobrem Tertia non diſtinguatur. Quoniam, inquiunt, ex antecedenti numero moderamur ſequentis perſonæ intellectum, ſic, Ipſe ſe interfecit: ipſæ ſe interfecere. At enimuero ratio hæc nulla eſt: nam pri-

primùm dicam, Græcos non carere numero plurali, ἑαυτὸν, ἑαυτοὺς. Deinde hoc modo ſoluentur omnes quæſtiones: Mobilia enim Nomina, non erit neceſſe variare: intelligimus enim ſexum ex præcedenti ſubſtantiuo, & Caſum, & Numerum: ſic & verborum ratio vnica voce eadem ſit qualis qualis præcedat. Cauſſa autem huius rei fuit Græcorum imitatio: nam tametſi in compoſito diſtinguant vt poſuimus: tamen ſimplex vox, ἑ, vnde noſtrum Se, communis vtrique numero fuit: id quod non tam conſulto fecere illi, quàm euenit forte, vt etiam in multis: Nam quid ſimile inter ἐγὼ, & ἡμεῖς: σὺ, & ὑμεῖς? defectu igitur multa ſunt innouata, ſuis deſtituta, aucta alienis. ſic apud Latinos, Ego, Nos: Tu, Vos. Quare vt eum errorem emendarent, addidere alterum Pronomen, quod afferret & numerum, & genus. Græci, αὐτὸς, nos, ipſe. ἑαυτὸν, ſeipſum. Quod autem hic afferimus, verum eſſe ſatis conſtat, cùm in caſibus quoque non inuenere vocem, qua differrent. Nihil enim intelligas diuerſum, cum dicis, Se interfecit Cato: &, Se autore voluit Cæſarem interfici. Orationis enim vi percipias Caſuum differentiam, vocis autem flexu non percipias. Aſſignent igitur rationem, quare duorum Caſuum, maximè diuerſorum, idem ſit ſonus.

Relatiua autem ſunt *Is*, & *Qui*, vno modo: referunt enim rem iam poſitam. Alter modus eſt, cùm relatio fit per reciprocationem. hæc vnicam tantum vocem habuit in Pronominibus, *Se*. Exemplum vtriuſque eſto ſic, Cæſar optimus imperator, atque vir fuit clementiſſimus. is Gallos

pugnando,& seipse ignoscendo, vicit. Inter hæc connumerarunt etiam *Ille*. Non pessimè sentiunt. sed exemplo vtuntur non bono è septimo Æneidos, -*Sic Iuppiter ille monebat.*
At enimuero in exemplaribus legitur *ipse*, non autem, *Ille*: neque enim refert Iouem, cuius nomen ibi nusquam positum est: est enim *Ille*, *Iste*: non dicas igitur hoc loco, Sic is Iuppiter monebat. Qui tandem Iuppiter? nullus enim ibi est. Quod si in quibusdam scriptum inueniatur, vt volunt, Emphasim intelligamus: vt, Thais illa Corinthiaca. Est autẽ mistæ naturæ, atque indifferentis, tum ad Relationem, tum ad Demõstrationem. primi exempla frequentissima.

--Teretes sunt aclides illis. &,

-Ille & terris iactatus.

Ostendit autem in Sexto,

Ille triumphata capitolia ad alta Corintho.

demonstrat enim Mummium. Differunt autem Demonstratiua ab Relatiuis, quòd Demonstratiua statuunt primam cognitionem: vt, Iste tuus animus C. Cæsar te perdidit. Relatiua autem eam iterant sic, Is te reddet immortalem. Nam quod aiunt, hoc Promine *Iste*, propinquam rem significari: hoc Pronomine *Ille*, longinquam: non planè verum est. sed ita accipiamus, vt *Iste*, semper referatur ad rem, aut personam, ad quam loquimur, vt in Secunda in Antonium, Istis faucibus, ista gladiatoria firmitate: id est, tua. Istam vrbem appellabo eam, in qua agit is, ad quem scribo: illam autem, ab eo remotam. aut istam vrbem de qua locuti sumus. Quoniam eius ori-

go,

go, *Is*, parem vsum habet. Sed & aliquid præsons *Istud*, appellamus, vt apud Quintilianum, Iste iuuenis. Et de eodem paulo post, Hic iuuenis. Secundo modo vsus est Gellius: Brundusium veni, atque isthic offendi quendam: pro, Ibi: atque si dicat, Isto in oppido offendi: vt, æquè dicatur, Isto oppido, & Eo oppido: quoniam *Iste*, sit, *Is*, *Te*. At *Ipse*, commune omnium personarum est: dicimus enim,

-*Ipse feram tenera lanugine mala.* &, *Ipse vides:* &, *Ipse ratem conto subigit.* Quare quum Tertiam assignarint, minus verè à Prima: & à Secunda amouere. neque enim rectè probant sic: Dicimus, inquiunt, Ego feci, Tu fecisti, Ipse fecit: quare sicut Ego, est primæ: Tu, secundæ: sic Ipse, Tertiæ. Huic nos ad hunc modum & respondemus. & obiicimus: Si ipse, nō esset omnium personarum, non iungeretur Primæ, sic, Ego ipse. Neque vllam figuram esse in toto ambitu literaturæ, qua Prima cum Tertia iungi possit. Item dicimus nō esse verum, sic posse dici, nisi prius aliquid subsit quod referat: exempli caussa, Quærit Antonius de Octauio, & Lepidum alloquitur: Quis patrauit parricidium Ciceronis? nō potest dicere de Octauio, Ipse fecit: nisi Octauium nominarit. est enim relatiuum: sed commodius etiam si se non nominat, potest dicere, Ipse feci. Sed nugantur etiam cum dicunt, Verbum ipsum Primæ personæ habere intellectum Pronominis Ego: quoniam si sic dicas, Feci: necessariò intelligas, Ego. igitur posse poni cum prima Verbi, quia prima Pronominis subsit. Verùm de Tertia quoque

idem intelligas, Fecit, habet intellectum pronominis Tertiæ. Præterea ſicut Relatiua cætera omnium ſunt perſonarum: ſic etiã hoc: nam eius origo eſt ab *Is*: ſic, *Ipſe*. at, *Is ſum*, dices: &, *Is es*: &, *Is eſt*. Addunt alterum argumentum: interroganti, Quis fecit? nunquam reſpondebimus, Ipſe: pro, Ego: aut pro, Tu: ſed pro Tertio. Hîc eſt fallacia ſimul & falſitas: Fallacia eſt, quia ſi dicas Ipſe, & oſtendas Tertium, rectè dicas: ſed & rectè ſi te oſtendas, aut eum quicum loqueris: Nutus enim & oſtenſio ſtatuunt primam cognitionem, quam iterat Ipſe. Si autem nullum oſtendas, falſum eſt, ſic poſſe loqui nos: Quis enim eſt Iſte Ipſe? Acutius etiam intuenti apparebit ratio: nam interrogatio eſt in tertia perſona verbi. itaque facilè reddas Ipſe, ſine verbi repetitione. At ſi dicas ſic, Túne feciſti hoc? poſſim reſpondere, Ipſe ſanè: etiam nullo verbo repetito.

Præterea quis neſcit, Affirmantis, & Interrogantis, & Reſpõdentis orationes non differre niſi modo quodã? igitur Æneas cùm dicit, *-Quæque ipſe miſerrima vidi.* nónne interroganti Reginæ ſic, Vidiſti ipſe? reſpondeat, Ipſe. Reſpondemus tamẽ certius, & commodius per alia, Hic, Iſte, Ille, ſicut & Græci. οὗτος, ὁ δεῖνα, ἐκεῖνος. Prudentiùs igitur fecere, qui ἐπιταγματικὸν appellauere, propterea quòd omnibus ſubiũgeretur perſonis, quaſi ordinarium additamentum intelligas. Conſultiùs autem etiam, qui ἐπιτατικὸν, propterea quòd intenderet ſignificatum. certam enim rẽ ſtatuit, atque circunſcribit: plus enim eſt, Egoipſe, quàm Ego. Iccirco pro Solo, etiam ſunt

inter-

interpretati:at id euenit pro ſtructura orationis, atque vi verborum: vt eo verſu è Sexto diuini operis, Ipſe ratem conto ſubigit. Cùm enim neminem, præter Charontem, nominaſſet, retulit eum in ſingulari. quare etiam ſolum intellexit. Sed ſi duo aut plures fuiſſent, poterat etiam ſic, Ipſi ratem ſubigunt. vbi nihil eſſet ſolitarium. Sed nunquam Grammatici deſinent ineptire: veluti cùm auſi ſunt dicere, eſſe hoc verſu Nomen, non Pronomen: & tamen eſt loco eius nominis, Charon. Sed æquè eſt, atque ſi dixiſſet, Idem. Interdum verò etiam additum nihil addit: vt apud Ciceronem, Qui ante teipſum Conſul fuit. Vſos autem fuiſſe veteres aliter hoc Pronomine, quàm ab iſtis ſit obſeruatum, oſtendimus in Originum libris, vt aliquando quaſi loco Aduerſatiuæ, aut Subdiſiunctiuæ capiamus: velut apud Catullum eo verſu,

Nam caſtum eſſe decet pium poëtam . . .
Ipſum: verſiculos nihil neceſſe eſt.

Et apud Vergilium in Tertio,

Portus ab acceſſu ventorum immotus, & ingens,
Ipſe: ſed horrificis iuſta tonat Ætna ruinis.

Eodem modo in primo Achilleidos Statius,

-- Vacuíſque reliquerat antris
Ipſam: ſed catulos aſportat.

Plinius quoque id obſeruauit, vſúſque eſt libro decimoſeptimo: Vites, inquit, Aquilonem ſpectare debent ipſæ: ſed eorum palmites Meridiem. In viceſimotertio Liuius nõ cum Aduerſatiua, ſed cum Copulatiua iungit: L. Poſthumium conſulem deſignatum, ipſum atque exer-

citum deletum. Est igitur trium personarum cõmunis vox, tam sola, quàm addita: tam Relatiua, quâm Demonstrans.

CAPVT CXXIX.

Pronomina deriuata.

DEriuata Pronomina, à Prima & à Secunda, bina sunt, à singulari, & plurali, eáque distincta vocibus, quia origines distinctæ: Ego, Meus: Nos, Noster, Tu, Tuus: Vos, Vester. Vbi secundæ facilior esse videtur analogia, à Tu, Tuus. At Primæ non item, sed ab obliquo Mei, nõ à recto, Ego. In hoc Græcos sequuti sumus, ἐμῦ, ἐμός. Illi autem non temere possessiuum pronomen à possessiuo casu deduxere: neque enim distat ἐμῦ ab ἐμὸς, nisi sicut Albedo, & Album: quare neque Tuus à Tu recto, vt putarũt, sed ab obliquo secũdo casu ortum est. A tertia verò persona nõ fuit deductio propter numeros variata. propterea ꝙ nec primitiuũ quidẽ variabatur. caussa autẽ propter quam ab vtroque Numero deriuentur, hæc est, Quod Græci dicunt, πρός τι, nos relationem: significat duo, rem ipsam, & terminũ quendam ad quem refertur: igitur possessiua pronomina & rem possessam, & possidentem consignificabunt. quare numerum pronominis possessiui accipimus à numero rei possessæ: & numerum pronominis primitiui, vnde illud possessiuum ductum est, à numero possidentis. Igitur cùm dicamus, Ego possideo libros: dicã, Libri mei sunt. &, Vos possidetis librũ: dicam, Liber vester est. Hinc liquet qua ratione à pronomine primæ personæ du-

ductū ſit pronomen tertiæ. Equus tertiæ perſonæ eſt: itaque Meus equus, ſi dicā, tertiæ quoque erit, at à, *Me*, quod eſt primæ perſonę, ductū eſt. quoniam relatio eſt, ad primam: ſignificatio, ad tertiam.

CAPVT CXXX.

Natura, & vſus pronominum, Sui, Suus, & reliquorum.

QVanquā non eſt præſentis operæ, de conſtructionis vſu, aut legibus ſcribere: tamen quia natura primitiui, & deriuatiui Tertiæ perſonæ multa præclara ingenia vexauit: alia etiam eluſit: à multis confuſè, aut perplexè tractata ſunt: videamus hîc quæ eorū ſit ratio. Relatio duplici modo intelligitur: nam aut habet terminū extra rē, quę refertur: vt Dominus refertur ad Seruū. Aut habet terminū eundem cū re quæ refertur, ratione tantummodo differentem: veluti cùm dico, Cato ſe interfecit: Pronomen Se, refert Catonem ad Catonem, ratione ab ſeſe differentem, non ſubſtantia: propterea quòd differt à ſeipſo tanquam agens, à patiente. Iccirco Græci ἀνάκλαςον, quaſi refractū dixere: ſunt enim ὀκλαδίαι, ſellæ plicatili in ſeipſas reciprocatu. Verùm ea vox duriuſcula eſt, redit enim in agentem paſſio integra, non fracta. Itaque alij αὐτοπαθές. ſed & communis hæc nimis: ſunt enim verba quædam talia, talíque nomine cenſita, vt Pereo: & alterum tantū terminum dicit, Paſſionem. Noſtri autem melius, Reciprocū: quà appellatione mutuā rationē referendi cōplexi ſunt: ſemper enim redit vis rei relatæ in ſeipſam: Ipſe ſui memor: Ipſe ſibi hoſtis: Ipſe ſe amat: Ipſe de ſe hoc exigit.

Ætas noſtræ proxima in cæteris caſibus optimè vſa eſt: in tertio caſu frequentiſſimè hallucinata: apud pleróſque enim inuenias ſic, Ego dedi ſibi: etiam in oratione diſerti viri Agricolæ. Græci autem veteres abuſi ſunt in poëmatis ſuo σφὶ, eodem modo non reciprocè, ſed tranſitiuè.

Cùm igitur idem ſit modus orationis, & narrantis ſimpliciter, & referentis narrationem: eadem quoque erit ratio dicentium ſic, Portia ſe interfecit: & ſic, Portia rogauit, vt ſe interficias. Refertur enim in priore exemplo, Interfectio: in poſteriore, Rogatio interfectionis: at Interfectio ſemper in Portiam recidit. hæc eſt natura Primitiui.

Quod autem ab hoc deriuatur *Suus*, parem naturam, vſúmque eſt conſecutum: vt quocunque loco primitiuum poneretur, in eum locum ius ſuum haberet: ſic, Portia ſe interfecit: & ſic, Portia ſuam vitam intercepit. Differt autem à Primitiuo, ſicut Adiectiuum à Subſtantiuo: Itaque etiam reciprocatio differt ab illius reciprocatione: nam in deriuatiuo redit reciprocatio nó in rem à qua procedit actio, ſed in ea quæ ipſius rei ſunt. ſit hoc exemplum: Vidi Cæſarem hominem: hîc ſubſtantiam ipſius Cæſaris intelligo: at, Vidi Cæſarem humanum: intelligo hoc, quod ipſius hominis eſt. Sic in Pronominibus, Vidit ſe Cæſar: Subſtantia reciprocatur: at, Vidit ſua Cæſar: reciprocantur ea, quæ Cæſaris ſunt. Ac quanquam hoc quoque modo poteſt Subſtantia reciprocari, vt ſi dicas, Vidit Cæſar ſua crura: tamen non per modum ſubſtantię refertur, ſed alio præ-

dica-

dicamento, τοῦ ἔχειν, per possessionem sanè: quare Possessiua hæc dicta sunt. Intelligo autem possessionem, quæ aut fuit, aut est, aut etiam futura est: vt suum regnum hæres dicat, quo nondum potitus est. atque ipsam negationem: vt apud Vergil. *Non sua poma.* Iidem tamen Græci licentius vsi sunt: vt Hesiodus, σφέτερον πατέρ' ὑμνείουσαι. suum, pro, vestrum,

Sed loquendi vsus maximus Tyrannus est: Surrepsit enim etiam Latinis, vt vbi poneretur verbum Substantiuum, eò quoque subiret Pronomen hoc: vt apud Verg.

--Sua semper apud me.

Munera sunt Lauri. Et alibi,

--Sunt hic etiam sua præmia laudi.

Neque abest ratio: per verbum nanque Substantiuum nihil extrà effertur, sed in eodem quiescit: itaque par est reciprocationi, quasi κατὰ στέρησιν: sicuti dicimus quædam membris carentia, Sedere: quia non mouentur. Paulatim tamen inualuit, vt ad alia verba transferretur: Nam cùm dicendum esset, Suo gladio se ipse iugulat: tamen Terentius, Suo gladio iugulo, dixit. Est apud Martialem apertius:

Et sua riserunt sæcula Mæonidem. Id autem paulisper medio quodam loquendi modo inuectum est, qualis apud Catullum:

Suus cuique attributus est error. est enim ibi & Substantiuum, & Participium. Quare potuit præterea dici, Suus cuique innascitur error. Ita scriptum est in inuectiua in Sallustium: Quòd si istius vitam memoria vicerit, aliam P. C. non ex

oratione, sed ex moribus suis spectare debetis. Eiusdem modi est & illud Ouidianæ Penelopæ,

Aspice Laerten, vt iam sua lumina condas. Itaque ridicule nimis ausi sunt accusare solœcismi Diuinum poëtam eo versu:

Namque suā in patria antiqua cinis ater habebat. Est enim eiusdem rationis cum superioribus. Nemo verò dixit vnquam solœcismum eum, quo docti viri vterentur. Sic enim omnes sunt loquuti, vt purè, non rusticè loqui putarētur: quemadmodū M. Tullius pro Sylla: Sylla, si sibi suus pudor, & dignitas non prodesset, nullum auxilium requisiuit. quem dicendi modum temere nimis inusitatum appellarunt: cùm etiam Plautus, qui Romanæ linguæ lex quædam fuit: etiam Terentius, qui veteris nouíque Latij lima quædam habitus est, ita & scripserint, & scripta totius vrbis iudicio approbarint. Plautus in Mercatore sic, *Iubet saluere suus vir vxorem suam.* Terentius autem etiam sine vllo responsu mutuo, sed absolutè, neque solum deriuatiuum, verùm etiam primitiuū, *Suo sibi gladio hūc iugulo.* Quare feretur illud Vergilianum eadem prudentia:

Viuite felices, quibus est fortuna peracta
Iam sua. Id est, iam sua cuique. sicut est clarius in Sexto:

Quisque suos patimur manes.

Tria hinc colligimus: Primogenium nunquam sine aperta reciprocatione poni, prærerquàm modo illo Terentiano: Deriuatum autem occultiore, sic, Sylla si suus pudor sibi nō prodesset: id est, prodesse intelligeret. Alterum est, nullum esse di-

discrimen, siue vulgarem teneat significatum, siue pro eo, quod est Proprium ponatur: propterea rectè dici, Suus Cæsaris, & Cæsarem: quoniam primitiui vox à numeris non variatur. & Suus Cæsari: quoniam verbum orationis obliquæ dux est, atque ipsam regit.

Est & illud manifestū, Distributiuo Pronomini additum circumagi per omnia Genera, Personas, Numeros, & Casus, idq; fieri vi distributionis. Non solùm igitur cum Quisque, vt dixere: sed etiam cum Omnis, & Quicunque, & Quisquis, & eiusmodi: Suum omnes Nationes tuentur morem: Quemcunque suæ originis pœnitet, eum oportet esse ineptum: Suus omnibus Asiaticis dicendi mos est: & alia talia. Sic etiam additis Præpositionibus: Suarum fortunarum ergô nauigat Lusitanus. Etiā in Sexto casu, contrà quàm sensere: Suo quiuis genio potest acquiescere.

Hoc etiā eliciemus, cùm *Se*, intelligamus esse semper reciprocū, si duæ sint personæ, tollendæ ambiguitatis caussa alio Pronomine vsos veteres. Diligenter itaque obseruatum est in declamatione Quintiliani: Non sic nuper repugnasset, si illum Tribunus voluisset occidere. Si enim dixisset *Se*, haud intelligeret Marius, vtrum acciperet, Reúmne, an Tribunum. Par exemplum est, Rogauit Nero Epaphroditum, vt se occideret. Nescias vter sit occidendus, Nero, an Epaphroditus. Verùm hoc loco si *Illum*, pro *Se*, subdas, minus commodè loquare. Ita est: Rogat Philumena te Pamphile, ne se deseras. Ergo idem erit: Rogat Philumena Pamphilum ne se

deſerat. Verùm hæ orationes maximè ſunt fugiendæ. Cuius conſilij modum in primo libro de exemplis eloquentiæ à nobis dictum fuit: qui liber mihi vnà cum duobus poſterioribus iam perfectis aut à Carnuto, aut à Prouinciali ſurreptus eſt.

Eſt etiam animaduertēda locutio illa, Inter ſe: ſic, Fratres Thebani inter ſe diſſident. Græci non tam feliciter: ἀλλήλους, alius alium: nō enim complectuntur illum mutuum reſpōſum vltro citróque: at nos, Inter ſe, quaſi dicas, Medium inter eos diſſidium eſt. Itaque *Se*, eſt caſus pluralis, vtrunque componens ſimul ad diſſidium: iccirco diſtribuitur deinde ad duo ſingularia partitū hinc inde. Animaduertimus autem Ciceronem in primo Officiorum ſic locutum: Homines autem hominum cauſſa eſſe generatos, vt ipſi inter ſe, alij aliis prodeſſe poſſint. Declarat enim, Inter ſe, per ἀλλήλους. Et in eodem alius loquendi modus eſt, Qua ſocietás hominum inter ipſos, & vitæ quaſi communitas continetur. Idem enim eſt, Qua homines inter ſe ſociati continentur.

Colligitur etiam lex dicendi hæc, Sua cauſſa feci: rectè. Sui cauſſa feci: non rectè: non enim reciprocat. Sed, Mei cauſſa feci: Sui cauſſa vt facerem, rogauit. Quæram igitur, an dicam, Tui cauſſa feci: Mei cauſſa feciſti. Et ſanè poteſt: non enim ſunt reciproca, ſed perſonam tantum deſignant: ſed paſſiuè ſemper accipiuntur. Tui amor, quia tu amaris: Amor, Tuus, quia amas: vt apud Ciceronem: Quòd deſiderium tui ferre non poſſet. Et in proœmio ſexti Quintilianus, ſic, Amore

mei vicit etiam matrem suam. quòd plus amatus fuisset à filio, quàm à matre. Et Vergilius in XII. *Victus amore tui-* Quare vbi erit reciprocatio, nihil erit ambiguum: vt Narcissus Ouidianus,

Uror amore mei- Est enim ibi αὐτοφιλαυτία.

Atque hæc quidem natura horum Pronominum est, vt suum quodque obtineat locum: quòd si eandem sine discrimine sedem ineant, id non ipsorum natura fit, sed vi partium aliarum, quibus oratio constituitur. Sunt enim quædam Nomina, vt Caussa, Fama, Imago, quibus vtrum addideris, idem sonat: Caussa mea fecisti: &, Caussa mei: propterea quod vox hæc Caussa, vim habet tanquã passiuã. sic, Imago mea, & mei. quia Imago vno tantùm accipitur modo, de eo, cuius est: & habet vnam tantùm rationem relationis: sic & Fama. At non sic Potestas, non Memoria, non alia eiusmodi: nam habet Potestas duplicem relationem: alteram ad me, qua possum: alteram ad alium, qua in me potest. sic & Memoria, & Vsus, & Copia. Copia mea, quam possideo, qua sum diues: Copia mei, qua quis in me vtitur. Sic Facultas, & Vtilitas, & alia talia: vt, Accusatio mea, qua διώκω, ago enim reum: Accusatio mei, qua φεύγω, agor enim reus. Sunt & alia Nomina quorum natura non repugnat, sed vsus tantùm non admittit: vt, seruitus. Nam si Dauus est meus, eius seruitus mea est: ille autem sic loquetur, Mei seruitus: & tamen correlatiuum eius non respondet pari ratione: dico enim, Meus Dominatus: & Dauus ad me, Tuus, inquiet, mei dominatus. Caussa autẽ est, quia sunt relatiua inæqualitatis.

Verùm,vt dixi,vulgus nõ sic loquitur,vt Dominus dicat,Mea seruitus:sed seruus. At philosophi orationi vsum illi concedunt,sibi reseruant sapiẽtiam. Quædam autem apertius etiam cum nominibus iuncta eandem naturam declarant, vt apud Sallustium, Metus Pompeii:non, quem metueret:sed,quo metueretur.

Quemadmodum igitur Nomina sunt, quibus sine discrimine assignẽtur:ita & Nomina,in quibus vnum pro altero ponetur. At non è cõtratio, vt vbicunque erit Primogenium, esse possit etiã Deriuatum. Ea verò sunt, Pars,Totum, Dimidium,& eiusmodi. Hæc enim tã ad corpus meũ, quàm ad alia transferri queunt, Quoniam verò duplicem habẽt relationem, vnam qua declaratur possessio:alteram qua suis correlatiuis respondẽt: iccirco duplici quoque Pronomine præscribi sese patiuntur.Essentia partis est ad Totum,& Totius ad partem. igitur per essentiale Pronomen statuetur:vt,Pars mei: ego enim sum totum per partes. Possessio autem partis accidentalis est:itaque mei pars potest esse non mea.puta vnguium resegmina:aut os è cicatrice, quod seruauit sibi Chirurgus,vt operam ostentaret. Quo in loco falsi sunt,qui hoc negabant: pars igitur bouis, qua vescor,mea est possidentis: non vt pars, sed vt res possessa. Sic Ouidii parte fruimur nos nunc,ipse non fruitur: id est Nomine:itaque sic scripsit,

Parte tamen meliore mei super alta perennis

Astra ferar, dũ viueret, poterat dicere, Parte mea,& Mei:nunc non potest dicere, Parte mea,

quam

quam nullam habet; ſed mei, quæ pertinet ad totum hominem, cuius pars Fama eſt, quaſi anima rerum geſtarum.

Atque hoc quidem vſitatum ac frequens eſt. Quod verò è Plauti afferunt Pſeudulo, non probant: id eſt eiuſmodi: Duorum hominum labori parſiſſem lubens, Mei te rogandi, & tui reſpondẽdi mihi: aiúntque dicendũ fuiſſe, Meo, & Tuo. afferúntque à Cicerone pro Gabinio exemplum: Dico mea vnius opera ſeruatam Rempub. & pro Murena: Ex tuo ipſius animo coniecturam ceperis. Ego verò puto Plautum non ſolùm Latinè, ſed etiam purè locutum: neque defuiſſe illi, aut vſum pro duce, aut rationem pro ſuaſore. Principiò Græci ſic loquuntur, πόνος μȣ. Deinde lepor nitidior eſt orationis: Tum priſcos vſos eſſe primitiuo prius, quàm deriuatiuo, verum eſt. Poſtremò Cicero quoque ſic ſcripſit ad Curionem, Eam vnius tui ſtudio me aſſequi poſſe confido. neque enim eſt Librariorum mendum, vt aiunt: temerè enim nimis expungunt, ſi quid non arridet. Neque verum eſt, quod profitentur, cũ Nominibus numerum præſcribentibus ſic faciundũ eſſe. ſed qualecunque apponatur, ordinem eſſe autorem diuerſitatis, ſeruitúmque auribus ex ipſa concinnitate. Si præcedat Pronomen, cõſueuere admittere Deriuatiuum, ſic, Tuo ipſius ſtudio: ſi ſequatur, ponere Primitiuum, Vnius tui opera. quoniam nomen Vnius, vagum eſt ad plures, circunſcribitur eſſentiali pronomine ſubeunte: vt quærenti quis ſit ille Vnus? intelligo, Te. Quum autem præcedit Poſſeſſiuum, ſic, Tuo ſtudio:

circumscribitur Studium, & exemptum è multis attribuitur vni. Tuo studio vnius, exclusa opera aliorum. In tertia verò persona etiam si præcedat Pronomen, primitiuum sit: Cicero aiebat sui vnius opera seruatam Rempub.

Quoniam autem asseuerabant, passiuè semper accipi eum casum sic terminatū, Mei, Tui: conati sunt alias terminationes reddere actiuis, Mis, Tis. Verùm longè falsi sunt: sic enim dicerent Tertiam personam Sis, etiam actiuè intelligi: id quod nemo auderet: est enim, vt dicebamus, ἀντιπαθὲς. citant porrò versum Ennianum:

Ingens cura mis est concordibus æquiperare.

Vt sit μοῦ. Sed sic sanè esto: non continuò illa passiuis tantum addicēt. Maiore quoque curiositate negarunt posse dici in plurali, Milites nostrum: sicuti, Milites nostri, à Noster: sed facilè redarguuntur ratione. Adeò enim rectè dici putarunt, vt casum eundem Primitiui duabus efferrent terminationibus, Nostrum, & Nostri: quorum alterum esset à Græco, ἡμῶν, alterum idem esset cū deriuatiuo plurali. Quare etiam Sallustius in Catilina, Maiores vestrum: pro Vestri, posuit: sic enim legit Gellius. Et Plautus in Mostellaria ostendit Vestrum, esse concisum: vt ὑμῶν, quum dicit: Verum illhuc esse maxima pars vestrorum intelligit. Sicut Aeolenses dicunt, ὑμέων: postea factum est ὑμῶν, & vestrum. Cæterum vsus obtinuit, vt Ego, Tu, Nos, Vos, significarent quiddā totum, quod distribueretur: nō autem possessionem: vt Vnus vestrum, qui tamen non esset vester: Vnus vestrum ô Romani occupabit Rempub.

pub. Cæſar non erat illorum, vt res poſſeſſa: ſed vt pars totius. In plurali quoque eandem inueniemus variationem, apud Ciceronem in tertio de Oratore, Veſtrum omnium voluntati paruit: pro, veſtræ. Sic enim loquitur idem ad Brutum ſcribens, Veſtris paucorum reſpondeat laudibus.

Sicut autem dicimus, Ego Cæſar video te Catonē: ita dicam, Ego Cæſar tui egeo, ô Cato. Sic etiam igitur, Tu Cato eges mei Cæſaris. nam quid hoc prohibet? aut quare negarunt id poſſe dici? Neque enim ſatis probant ſuam ſententiam illo exemplo Vergiliano,

Si qua tui Corydonis habet te cura, venito. eſt enim per Apoſtrophen à ſeipſa in aliam: qua figura frequēter vtimur. exemplū ergo ponit hoc, illud non negat.

Non eſt autē verū, quod aiunt, differre Deriuata à Primitiuis, propterea quòd Deriuata verbis iuncta imperfecta ſint: primitiua perfecta. Sed, quemadmodum dicebamus, Adiectiuum, & Subſtantiuum ſunt differentiæ non nominis ſolius, ſed dictionis genericæ, communes Nomini ac Participio: Nomini quidē ſimul vtraque, Participio autem altera tantum, Adiectiuum, Pronomini autem vtraque: nam Primitiua ſubſtantialia ſunt, Deriuata accidentalia. De perfectione autē orationis amplius iudicādum eſt: poſſum enim ſic dicere, Meus ſcribo: ſanè oratio perfecta eſt: ſicut, Fortis pugnat. Et Soſia Plautinus feſtiuiſſimè, Certè noſter ſum. Tertia autem Primitiuorum adeò imperfecta eſt, vt nihil magis:

neq.enim poni poteſt ſine adminiculo: Cæſar ſe macerat: ſi enim dicas, Se macerat: quid intelligas? Quare ſi icciroo imperfecta ſunt Deriuata, quia egeant adiumenti: hac quoque ratione illud erit imperfectiſſimum.

CAP. CXXX.

Alia duo deriuata Noſtras, Veſtras.

MIra verò deductio duorum aliorum: Nam veteres Aruſpices atque Augures quũ terram diuiderent auſpiciorum cauſſa, ſic inſtituêre: Agrum omnem eſſe aut Romanum, aut Gabinũ, aut Peregrinum, aut Hoſticum, aut Incertũ. Icciroo Amatam doctiſſimus omnium Virgilius fecit iudicare Turnũ externum, qui Latini agri nõ eſſet: & Cæſar, qui id non ignoraret, Gallias diuiſit in partes treis: exempta ex ea partitione Prouincia, propterea quòd continebatur agro peregrino tunc: Galliæ autem tres, Hoſtico. Id ea cauſſa fecit, quia eadem eſſent auſpicia in Peregrino, & Gabino, quæ etiam in Romano. Ergo iidẽ Augures agrum, qui nondum eſſet diſpectus, quibus auſpiciis deſignaretur. Incertum vocarunt: vbi liqueret Romanum eſſe, nõ ſatis habuere ſic dicere, Noſter eſt: nam multi agri pacati peregrini ita ab ipſis poterant appellari, quum eorum eſſet populus potitus. Itaque excogitarunt vocem à voce, qua coarctarent ſignificationẽ ad Regiones: quæ fuit cauſſa, vt eſſet analogia terminationis cõmunis cum nominibus regionum: Sarſinatis à Sarſino: ſic Noſtratis, à Noſter: & per exemptionem duorum elementorum, Noſtras. Neque ſine ra-

tione à plurali duxere: quoniam de Ciuibus dicitur, & ad ciues refertur. Ita habes caussam & vocis, & terminationis, & numeri. Vsus autem obtinuit postea, vt etiam ad familias transferretur: etiam ad sectas Philosophorum, quæ sanè familiæ quoq; dictæ sunt. itaq; Nostrates Peripateticos poterimus appellare. Cicero etiam verba vulgaria, Nostratia dixit: non quasi Romana, omnia enim Romana erant: sed quasi ex sua supellectili.

Quæremus autem nos more nostro, quam ob caussam à Tertia persona nullũ deriuarunt: quis enim neget rectè à nobis sic excogitatũ, Romani suates captiuos Annibali dedendos consuere. Imò verò & cõcinna oratio est, & necessaria. Verùm duo in caussa fuere, quominus id factum sit: Incuria gentis illius, quæ manu promptior per initia dicenda facere, quàm dicere maluere: Et vasta, atq. inexplebilis animi libido ad Imperiũ: inuitus enim Romanus hoc pronomen Suum, agnoscebat: omnia per Meum, aut Nostrum, metiri cupiebant. His autem duobus deriuatis etiam Græcorum copiam superarunt.

CAP. CXXXI.

Articulus.

HIs declaratis, satis constat, Græcorum articulos non neglectos à nobis, sed eorũ vsum superfluum. Nam vbi aliquid præscribendũ est, quod Græci per articulum efficiunt, ἔλεξεν ὁ δοῦλος: expletur à Latinis per Is, aut Ille: Is, aut ille seruus dixit: de quo seruo antea facta mentio sit, aut qui alio quo pacto notus sit: additur enim articulus ad rei memoriam renouandam, cuius

antea non nescij sumus, qui ipsum ponimus: aut ad præscribendam intellectionem, quæ latius patere queat, veluti quum dicimus, C. Cæsar, is qui postea dictator fuit. Nam alij fuere Caij Cæsares. sic Græcè, Καῖσαρ ὁ αὐτοκράτωρ.

CAP. CXXXII.

Numerus.

FVit autem numerus necessarius, vti suprà dicebamus, propterea quòd rem referrent pro eo nomine, quo illa res significatur. à numero autem vno, numeri duo deducti sunt, propter relationẽ. Nam Vos, pluralis est: deducitur autem ab eo singularis, Vester: quia significat rem singularem ad multos relatam, vt dicebamus.

CAP. CXXXIII.

Personæ.

PErsonæ quemadmodũ distinguerentur, iam dictum est. Et differt modus personarum in Pronominibus, à modo in Nominibus. Nam in Nomine omnes personæ quinque casibus continentur: in vocatiuo autem vna. At in pronomine vna tantùm persona in prima, & vna in secunda. Itaque in Nominibus variantur propter casus: in Pronomine non variantur. Tu, enim omnibus in casibus secundæ personæ est: &, Ego, primæ. caret enim vocatiuo. Se, solam habet tertiam: Deriuata, omnes.

CAP. CXXXIIII.

Casus.

CVm hoc ita sit: igitur Quintum quoque casum non solùm habebunt ipsorum aliqua, ve-

verumetiam quædam constituent: vt, Tu, Vos, Vester. In possessiuis autem non immeritò dubitatur. Nam sicuti Ego, caret Quinto casu singulari, quia nemo seipsum vocet: ita Meus, quod ab eo ducitur, carere quoque debuit. è contrario Tuus, casum illum habebit, quia Tu, ipsum habet: & Sui, quia caret, Suus, quoque defici debuerat. At enimuero quemadmodum aliter contingat, videndum est. Omnis Vocatiuus casus duas personas designat necessariò: significat enim Rē in secunda persona, & consignificat primam loquentem: atque tanta facultate est, vt videatur solus cōstituere orationem. Si enim voces, Daue: Dauus respondeat: igitur res vocata nisi distinguatur ab re vocante, eius casus nulli vsui erit. Meum seruum igitur cùm appello, eum alloquor, qui alius est à me substantia: accidente autem refertur ad me, iccirco potest à me vocari, quia est alius. & vocatur per pronomen deductum à me, quia est quodā certóque modo quasi vnum mecum. Est enim vnum, relatione: ideo relatiua alterum sine altero nullum esse quit. At in, Tuus, non idem esse potest. Nam etsi est diuersa persona vocata à vocante: tamen significatam rem appello, & terminum relationis ad alterā personam dirigo. ita distractus sermo ad seruum tuum vocatum, & ad Te, ad quem refertur ille, non potest cohærere. Videamus verò subtilius, an huic quoque casus ille attribui possit, ac sic dicamus: Possessio excludit aliam possessionem, iure enim meo ius alienum tollitur. Meus enim ego sum, nō alterius: quare Ancillam manumissam sic vocabo,

ô Tua.quia etiam sic possim, quum eam libero: Abi,iam tua es. Vsus tamen infrequens non posuit legem hanc loquendi sic. De Suus,autem sic statuamus:Contradicere sibi ipsis,qui hæc duo dicãt,Suus,semper reciprocum esse debet:Suus,habet vocatiuum.quæ enim reciprocatio possit interuenire inter vocantem, & vocatum relatũ ad aliam personam ab vtroque? Itaque nos & affirmamus,habere vocatiuum:& negamus, semper esse reciprocum:sed rectè dici, Sui serui eum sustulere:&,Sui serui eum sustollite.

CAP. CXXXV.

Figura.

Simplicia,Hic,Is,Ego,Tu,Sui. Componũtur autẽ partim secum, scilicet geminatione pura:partim aliquo interposito:vt,Identidem:quod etiam mutauit naturam. Item cum diuersis: vt, Isthic. Etiam cum aliis extra genus suum:vt, Tute,Egomet,Idem,Suapte,Hocce.Sic cum Præpositionibus, Nobiscũ, Mecum. Cum nominibus, Reapse,quod aiunt pro,Re ipsa, positum ab antiquis. Ipse,quoque compositum esse diximus,& Iste,& Ille,ab Is,Dores imitati, qui τυ addebant, & Iones κε. Aeoles etiam dicebant ψε, pro σοί,& eorum pars,Dores.Sic Theocritus in quarto Idyllio:ἦπά ψε κρύβδαν. At enimuero quum inflectantur Illius,Istius,Ipsius,non videbãtur composita. Sicut Tute nõ flectitur,neq; Hocce, nisi interius, Huiusce.Composita sunt tamen, quæ vsus suo arbitratu deflexit. Cum his autem alia quoque inuenias.Egoipse:& numerosius,Egometipse.

CAPVT CXXXVI.

Excludit à Præsenti opera, consilia antiquorum.

MVlta alia de Pronomine ab antiquis dicta sunt, quæ alterius operæ indigent. partim enim pertinent ad eam contemplationem, quæ docet inflexiones: partim ad cõstructionis leges: quæ omnia simul coaceruata minus rectè veteres confudere.

CAPVT CXXXVII.

Materialis caussa Pronominum.

QVorundam materia patet, aliorum non item. Nam obliqui quorundam secuti sunt nominum tertiæ declinationis terminationem, Mis, Tis, Sis. Quædam pronominũ, Huius, Eius, Illius. Obliquus autem Tui, Atticos secutus est, τȣ̃: additum ἰῶτα, vt τȣ τȣί. Tibi, interposuit consonantem, non aspirationem, vt Mihi, Toi, Moi. Nos, & Vos, non habent elementa, quæ sequantur Græcam originem: sed Nigidius conatus est deducere materiam à caussa, non penitus inepté. eam, qui volet, è Gellio petet. Inter Primitiua est Is, & Hic: alterum sine aspiratiône, alterum sine sibilo, ab eo quod Græcè erat, ὅς, addito κε, & adempta vocali prioris obliqui aliam sibi vocalem asciuere, Is, Eius, Ei. In quibusdam com munem habuit. In plurali, Ii. In caussa est sonus affinis vocalium, quem sonum soli Belgæ hodie incolumem, vt pleraque alia, seruant.

CAPVT CXXXVIII.

Contrà, quàm fecerunt Prisci, qua de caussa prius de pronomine, quàm de Participio egerit.

ETsi huius libri initio factum est, vt declararemus ordinem, quo esset Pronomen statuẽdum: tamen hic quoque nonnihil consilij capiamus. Pronominis intellectionem esse priorem Participio, sic satis constat: Si nomen anteit alias species, etiam Pronomen præponetur. Nam si partes anteponuntur toti, ea quoque quæ Partiũ vices gerunt præibunt id, quod totum sit: veluti carnium, ossiúmque substantia primo loco nota sunt: item Pedis, Cruris, Oris ratio notior quàm totum animal: puta Homo, Leo, Canis: ita etiam harum partium vicariæ partes, quæ ἀνάλογα vocant Græci, antegredientur intellectionem animalis ex ipsis constituti: vt, quæ loco sanguinis sunt in Insectorum genere, & à Græcis dicuntur ἰχῶρες: quæ pro osse sunt in Piscibus, & vocantur, Spinæ: quæ pro ore sunt in Plantis, & nominantur Radices: hæc omnia antè erunt cognoscenda, quàm aut Insecta, aut Pisces, aut Plantæ. Quamobrem quum Participium quiddam sit è Nomine, Verbóque conflatum: non tantùm post Nomen, Verbúmque, sed etiam post Pronomen exhibet sese nobis intelligendum. Præterea (vtar enim quibusdã falsis, sed quę illi ipsi pro veris habuere) oratio perfecta esse sine Pronomine nulla potest: constitui enim personas à solo Pronomine arbitrati sunt, saltem primam, & secundam: at sine participio potest: vt etiam Pronomina sint ad orationem, quàm Nomina magis necessaria.

CAP.

CAP. CXXXIX.

Affectiones quædam.

PRoprium Primitiuorum vagari, ac diſtribui in multa, putauerunt. eo exemplo:

Néue tibi ad ſolem vergant vineta cadentem.

aiunt enim omnibus dictum eo Pronomine Tibi: verùm res ſeſe aliter habet: Alloquitur enim Mecœnatem: libri enim didaſcalici maxima ex parte certis nominibus diſcipulorum nuncupantur. Ita etiam aiunt ad ornatum orationis poni apud Ciceronem ad Brutum, Ecce tibi Pomponius noſter: nam tum aberat Brutus. Ego verò aliter cenſeo: Aduerbium potius Ecce, poſitũ ad ornatum, ſicut & apud Iureconſultos: at pronomen Tibi, ſeruire legenti epiſtolam Bruto.

Proprium autem Pronominum etiam alia ex ſeſe parere Pronomina, vt Is, Ille. Et Aduerbia Illò. Quod verò ſcripſere, oriri ab ipſis etiã Nomina, falſum eſt; neque enim Noſtras, nomen eſt: ſed vt noſter ad poſſeſſionem communem, ita Noſtras, ad communionem poſſeſſionis. Nónne dicis, Meus ciuis, & Meus popularis? Sic dicet Soſia, Noſtratem Getam, apud Terentium. Itaque ij, qui nomen putauere, etiam inter Pronomina recenſuere: ſed alio exemplo vtendum fuit. Nam à Quiſquis, Quiſquiliæ dictæ ſunt. fuit enim quicquid, τὸ τυχόν· vile, & obuium forte, non conſilio.

Proprium etiam, vt diximus, & inter ſe & cum aliis iungi, & geminari, & inter ſe cõſtrui ad orationem: Mea tu. Etiam inter ſe referri: Is, qui venit. Item amittere ſignificatũ pro caſus ratione,

more Aeolico, τύ. interdum enim nihil significat apud Theocritum. Sic nos, Tute solus loqueris. Plautus in Milite etiam amplius, *Tute scis, soli te tibi.* vt possis arbitrari esse potius additamentum, vt in alio pronomine, *Iste.*

Proprium quoque, poni pro nominis significato: Suus, pro proprio, & agnato, apud Iureconsultos. at exemplũ quod adducunt, non seruit, -*Sunt etiam sua præmia laudi.* hic enim est possessiuum. Sic falluntur altero exemplo: Is, pro Talis: *Non ea vis animo-* & apud Ciceronem, Pro eo quãti te feci: imò pronomen est relatiuum. Pro Aduerbio etiam ponitur: Quid maiora sequar. est etiam aduerbium interrogandi: non, vt putarunt, Coniunctio. Coniunctio potius illa sit, Quod scribis te venturum, vt voluere: mihi verò acutius videtur esse relatiuum, Hoc, quod scribit, te venturum. scripsisti enim hoc, Veniam.

***

IVLII

IVLII CAESARIS SCALIGERI

DE CAVSIS LINGVÆ LATINÆ, LIBER SEPTIMVS.

CAPVT CXL.

Non rectè seruatum à veteribus ordinem in disputando de Participio.

QVEMADMODVM perturbarunt ordinem partium, ita quæstiones non suo quanque loco tractauere. Duo enim soliti sumus quærere. prior quæstio est: vtrum sit, nécne? Altera hanc sequitur, Quanã sede id de quo quæsitum est, sit collocandum. hæc illi cohæret, tanquam effectus caussæ: ex ipsa enim substantiæ notione eliciuntur rerum prærogatiuæ. Quare peruersè tractauerunt prius sedem Participii: posterius autem, an Participium esset pars, & species dictionis. At enimuero si Participiũ res nota est, quorsum tantæ congeries argumentorum: si non est nota, imò verò si nonnullis ne pars quidem orationis vlla ab aliis separata iudicata est, quo cõsilio ei rei, quæ nusquam extat, sedem statuunt?

Quoniam verò nullus artifex probat ſuum ſubiectum eſſe: ſed ſuperiore ſcientia prolatum, pro certo ſtatuit: iccirco videamus, qua ratione participiũ, quod ſubiectum eſt libri huius, eſſe probetur. Triplex modus eſt probandi, per cauſſam, per effectum, per redargutionem. Primus modus eſt per demonſtrationem, ſic: Dictiones quædam ſunt declinabiles, quia omnis ſermo eget aliqua variatione. Alter modus eſt, per cõuerſionem demonſtrationis, ſic: Variatur ſermo, quia dictiones ſunt declinabiles: cauſſa enim hic probatur per effectum. Tertius modus eſt, quũ à pertinacibus negatur ſubiectum ipſum eſſe: veluti quum dicimus, Ideas eſſe nullas. Aut ſubiecti ratio formalis: veluti quum dicimus, Metalla quidem eſſe, ſed tranſmutationem non inueniri arte humana, quare Alcumia nulla erit. Aut quum agnoſcimus quidem & ſubiectum, & rationem formalem, ſed negamus pertinere ad eam ſciẽtiam, cui attribuitur: veluti quum Grammaticus de voce vult diſputare. Horum modorum duo priores non admittuntur ad probandum ſubiectum eſſe, ſed ſolus Tertius. Ratio autem huius legis eſt aliis libris à nobis explicata. Nũc autem aduerſariorum rationes perpenſas diruamus.

CAPVT CXLI.

An participium ſit Dictionis pars ab aliis ſeparata.

QVi Participio partium numerum non augent, appellant ipſum ἀνταναάκλαστον προσηγορείαν, ſiue ἀντιστρέφουσαν. id autem ſonat, reciprocam, itidémque altera ex parte reſpondentem

dentem appellationem: quoniã ſic dicatur, Currens eſt curſor: &, curſor eſt currẽs. Præterea nullum deriuatum aliam à primogenio naturam ſortiri: nam ſi Pater Nomen, etiam Patrius nomen: Ferueo Verbum, etiam Ferueſco. Quare cum Participium à Verbo fiat: ſub Verbi veniat rationem. Vt horum argumentorum videamus vim, quid Reciprocum ſit, & quemadmodum fiat, & quomodo deriuetur aliquid à primitiuo, intelligendum eſt. Ac quanquam ſuperiore libro de Reciproco diximus, id tamen eò ſpectabat, vt Nomen acciperemus: meliúſque à nobis, quàm à Græcis expreſſum eſſe. Nunc autem paulò accuratius contemplemur. Reciprocatio, eſt par prioris ex eiſdem, aut ex contrarijs tranſpoſitio. ex Eiſdem: vt, Conſul eſt, qui conſulit ſenatum: &, Qui conſul eſt, conſulit ſenatum. Ex contrariis: vt, Philoſophia eſt, eloquentia diſputatoria: eloquentia eſt philoſophia elocutoria. Oratoria eſt, dialectica diffuſa: dialectica eſt oratio preſſa. Palma eſt pugnus apertus: pugnus eſt palma clauſa. Hinc dicta reciproca. quoniam procentur retrorſum: id eſt repetant. Sic reſpondere opinioni, atque expectationi: cùm par eſt opera indoli. His conſtat, non rectè dictum reciprocam appellationem. Neque enim pares hæ ſunt orationes. Curſor eſt currens: &, currens eſt curſor: nam Curſor deſignat nobis naturam, ingeniúmque ad currendum: Currens autem dicit actum currendi nunc. At non omne currens eſt habile ad currendum: habilem autem dico ad celeritatem, non ad conatum, τὸν πεφυκότα. Currit ſuo modo

testudo, non Cursoris. Id autem manifestius alijs nominibus apparet: Non enim omnis Pugnās, Pugil est. Et cùm Orare, sit ore pronuntiare: veteres verbum illud omnibus concessere: oratoris autem nomen sui vnius in L. Crassi persona agnouit Cicero. Neque carent ratione hæc: vis enim horum nominum inde manauit, quòd ex frequentibus actibus habitus sit. qui igitur vicit vrsum semel, fortasse casu factum est, vt debellaret: at Carpophorus Domitiani, & Vergilianus Picus debellatores appellabuntur. Si igitur essent eiusmodi appellationes eiusdem substantiæ vniuersali enuntiatione vltro citróque efferrentur, atque referrentur. Deriuatū autem vel sequitur Primogenium, vel excedit, exceditúrve. Si sequitur, eiusdem speciei est (intelligo nunc speciem contentam sub dictione, tanquam sub genere) vt, quia Rex Nomen, etiam Regius: non excedit enim, neque exceditur. At à Bono, Benè cùm deriuetur, exceditur numero, & alijs. Quare Participium cùm excedat casu, & genere Verba, nullo modo esse Verbum poterit. Falsò igitur negabant, desciscere Deriuatum à Primogenij ratione: quin etiam Deriuata quædam vel manciora sunt, vel ampliora, vt ipsorummet vtar placitis. Aiunt enim Tuus carere casu Quinto, quem tamen casum Tu, constituit. contrà Suus, & Meus, Primitiua excedunt sua: hoc Quinto casu, quo caret Ego: illud & casuum, & numerorum variatione, quo caret Se. Ad hæc si à cantando, erit cantor, Verbum erit, non Nomen. Quod autem Participium, Nomen non sit,

ſit,inde colligimus:habet enim Verbi cõſtructionem: Legens librum. At Nomen nullum his legibus frui poteſt : ſed ſiquem caſum nanciſcuntur, id euenit aut vi orationis,aut verbi cuiuſpiã merito:vt Potens Lyræ, poſſeſſionem quandam ſignificat, ſicut, Dominus Lyræ. Quòd ſiquis dicat, Appetens gloriæ, non ſignificare poſſeſſionem (quod enim appetit, non poſſidet) is intelliget eo modo dici, quo Auidus gloriæ : eſt enim διάθεσις ad poſſeſſionem. Alij autem caſus attribuuntur Nominibus per defectum ſupplementi:vt, Amicus illi: id ſic eſt, quoniam ſit amicus, adſit illi, ac faueat: Superbus pecunia, factus à pecunia. Debile autem eorum eſt argumentum,quo excludunt à Nominis ratione, cùm dicunt, Quia non ſignificant actionem. Malè enim elocuti ſunt, quòd rectè ſentiebant : nam etiam Nomen hoc Actio, actionem ſignificat. Ergo Participium ab alijs ſecreta erit orationis pars.Neque impedimento ſit,quòd nomen ſuum acceperit à portione Verbi ac Nominis : Tertium enim quiddam factum eſt. Neque enim ex verbi nominíſque coitione facta eſt Tertia ſubſtantia : ſed ortum à Verbo traxit ſecum tempora & ſignificationem, adiunxítque generi & caſibus : plus enim Verbi quàm Nominis obtinet: id quod ſanè non potuit exprimi ipſo nomine, quod nomẽ actiuè intelligi voluere,quia caperet. At Mancipium,aliam ſequutum eſt analogiam,vt ſignificaret,quod manu caperetur.Sed Participiũ cũ Municipio cõuenit.Minus verò bona oratione vſi ſunt,qui ſic dicerẽt, Partẽ capit à Nomine,

partem à Verbo, partem ab vtroque. Quis enim sic, Partem à Cæsare, partem à Lælio, partem ab vtroque nónne iam ab vtroque accepit? Sed ita intelligendum est, Accidentium quæ sunt Participij, partim esse à Nomine solo, partim à solo Verbo, partim vtrique communia: dummodo illud quoque meminerimus, ipsum habere: cum Nomine communem differētiam Adiectiuorum, Substantiuorum autem nullam.

CAPVT. CXLII.

Participij necessitas.

AT verò ne ad orationis quidem voluptatem solam inuenta ea species est, quemadmodum partes quædam coniunctiuæ: sed necessitate quadam, ac vi naturæ. Cùm enim declaratum iam sit, Verbum significare aliquid, quod significato Nominis adijciatur, sic, Cęsar pugnat, coacti sunt sapientes aliquid excogitare, quod non solùm recto casui adnecteret, vt hoc exemplo: sed etiam Obliquo. Neque enim si dicas, Video Cæsarem: addas eiusmodi Verbum nisi addito relatiuo, sic, Qui pugnat. Quare Participium commenti sunt, quod & significationem obtineret, & adderet modum adiectionis: quasi cùm dicas, Cæsarem pugnantem: eadem sit ratio, ac si sic, Cæsarem pugnacem. Quòd siquis obiiciat ita dici posse etiam per Verbum, Video Cæsarem pugnare: sanè intelligat Verbi illius vi factum esse, non infinitiui: si eius loco substituat aliud, sic, Verbero Cæsarem: neque enim similiter apponere queas infinitiuum. Est præterea

caussa

caussa alia nō ignobilis. Quo modo res vna diceretur, suprà docuimus te: nunc qua ratione vna sit oratio, videamus: Quædam enim est vna, Natura: vt, Cæsar amat Lucinam: quædam Coniunctione: vt, Cæsar amat Lucinam, & pugnat. atque huius quidem modi species libro Vndecimo declaratæ sunt. Quæ verò Natura vna est, vnum de vno dicit: quæ Coniunctione vna, secatur in plures. Nam & Amor, & Pugna in Cæsare, & de Cæsare dicitur, nihilo secius, quàm si dicas, Cæsar amat, Cæsar pugnat. hîc sunt seiunctæ orationes duæ, carent enim tam Artis, quàm Naturæ coniunctione. Quare manifestum est, Artem coniungere in oratione, quæ Natura coniunxit in corpore subiecto. Hæc autem aut seriatim sese consequuntur, aut disiuncta sunt. Si sunt dissita natura, vt Candor: & Dulcedo in Lacte, per ipsum corpus, quo deferuntur, coniunguntur quoque. Ita in oratione per copulam coaguntur, sicut per corpus in re. Si sese consequuntur, ea sunt, aut Substantia, aut Accidens. Neutrum verò eget artificiosa coniunctione: sed quēadmodum natura vnum sunt sibijpsis subeuntia, continentiáque alia aliud, tanquam cùm est Triangulum in Quadrangulo: ita etiam earum rerum notæ vnum sunt, hoc modo: Corpus Animatum, Sentiens, Rationis capax, vna res est: ita vna oratio hæc Homo est corpus animatum, sentiens, rationis capax. Ni hilo secius in accidente, sic, Aptum natum admirari, discere, scire: neque enim scimus, nisi discamus: neque discimus, nisi admiremur: quæ hæc ad hunc modum vnum

ſunt: neque vllius artis egent ad coniungendum. Quæ verò diſiuncta ſunt, ea per copulam cōiunguntur: vt, Lego, & Scribo. quamobrem ſicuti per ſubiectum à natura coniunguntur: ita factum eſt, vt per Participium ſimilem nanciſcerentur còniunctionem: vt, Legens Scribo. Tertiam verò Neceſſitatis cauſſam vt intelligamus, hæc prius ſunt perpendenda: Cauſſarum quædam extra rem ſunt, quas Galenus vocat προκαταρκτικὰς, recentiores Primitiuas. Quædam interiores, atque hæ duplices aut enim ſunt, aut non ſunt coniunctæ. Ea verò diuiſio ſecundùm Accidens, non ſecundum Subſtantiam fit. diuerſæ enim ſunt aliquando à ſeipſis ſecundum Situm, vel ſecundum Tempus: neque vnam tantum ſpeciem cauſſarum ſequuntur: ſed tum in efficiente, tum in materiali inueniuntur. Ac illa quidem quę extra rem à nobis agnoſcebatur, eſt: veluti, Ferrum, ſiue ferri illa actio: è percuſſione enim fit vel tumor, vel ſanies, vel eiuſmodi. Quæ autem interior eſt, nondum coniuncta, προηγούμενον à Galeno, à noſtris Antecedens dicta eſt, tam aptè, quàm à Cicerone cùm dicitur in Officijs, Antegreſſam eſſe honeſtatem: vt, ſuccus heſternus, qui poſtea putruit, cauſſa febris factus eſt: cauſſa coniuncta eſt is, qui nunc putridus eſt, atque hic quidem non ſolùm tempore, aut ſitu tantum differt à ſeipſo, ſed etiam ſubſtantia. Aliquando autem, vti dicebamus, non Subſtantia, ſed Loco: interdum enim fluit ſanguis probus, atque incorruptus, qui tumorē efficiat, cuius ipſe cauſſa ſit materialis. Ad has igitur cauſſas ſignificandas

cùm sit Participium fabricatum, maximum sui vsum videtur præbuisse. Quippe si dicam, Percussi, & vulneraui: non necessario adducor, vt credam, vulneris caussam esse percussionem, quam intelligo ex verbo, Percutio. Quòd si dicam, Percutiens vulneraui: iam planè constat. Si dico, Sanguis putruit, & febrem fecit: Putret, & Facit, non tam clarè explicat atque sic, Putrescens facit. Pręter hanc necessitatem, etiam mirum afferunt orationi decorum: cuiusmodi in futuro passiuo vtitur Liuius in XXIIII. Et sibi pedites comparandos esse: id est, qui possint cum cæteris committi, neque cedant.

CAPVT CXLIII.

Gerundij Caussæ.

CVm igitur efficiens, & materia per Participium absolueretur, maiorum nostrorũ prudentia factum est, vt haberemus, quo modo formæ, finísque eadem orationis commoditate explicarentur. Quare ex his Participiis tēpora quędam elegere, quæ imitarentur quidem Græca illa λεκτέον, μαχητέον: ampliori tamen, vberiorísque vsu circumferrentur. Hæc Gerundia appellauere, tribus præscripta casibus, Pugnandi, Pugnando, Pugnandum: quorum medium seruauit vires Participij: sed tanto aptiore modo, quanto superabantur à Participiis Verba. Sicut enim apertius editur caussa, cùm dicas, Cædens vulneraui: quàm cecîdi: sic excellentius cùm dicam, Quia cæderem vulneraui. hoc autem Gerundio concipitur totum, Cædendo vulneraui. Est autem

multis in rebus forma,& finis idem. Finis autem partim extra nos est,vt Nauis extra fabrum:partim intus in animo,vt ea quam ἰδέαν vocant,qua mouemur ad eam quæ extra nos futura est. Vtrunque sapientissimè explicarunt. Nam & Pugnandi,& pugnandum,finem significant,sic,Pugnandi caussa equum ascendi:.&, Pugnandum est ex equo:sed illud est medius finis, hic autem illũ consequitur. Ex his autem patet esse Participia, tum natura, tum vsu non absimili, atque etiam forma. Habent enim casum, vt Ad vescendum, apud M.Tullium: &, Ob tacendum,apud Gracchum.Neque tempus, vt aiunt, amisere:nam tametsi cum præteritis ponuntur,sic,Iui ad pugnãdum: tamen pugna futura fuit, quæ nondum esset: alioqui nequeas dicere,Marius deduxerat legiones,facturas hostibus pugnandi copiam. Pugnando autem paulò liberius, elapsum est: Pugnando vinco: id est,dum pugno:ac potius caussam præcedit, quàm constituat: vincendi enim caussa pugnamus. Significationes quoque ita tenuere,vt casus suos expetant: Studio visendi vrbem. Sed ita sanè factum est, vt cùm forma sit passiua, infrequentius passiuè accipiantur: adeo vt quidam an rectè ponerentur, dubitarint. At enimuero eorum vsum primùm formæ ipsius rationem sequutum esse, par est. Iustinus tam in procemio, quàm in XVII. ex ipso Trogo etiam primum casum passiuè posuit: Athenas erudiendi caussa missus. Hac quoque parte Græci sunt à Nobis superati, quibus Infinitiuus cum articulo mendicandus fuit. Veteres autem breuita-

uitatis ſtudioſi frequentius vſi ſunt, etiam in ipſis Titulis, de edendo, atque eiuſmodi. M. Tullius in tertio Officiorum feſtiuè, Si diſcēdi labor potius eſt, quàm voluptas. non enim poſuit pro Infinitiuo, vt dixere: ſed abſtinuit ab repetenda voce illa Labor, ſic: Si diſcēdi labor, potius labor eſt, quàm voluptas. Hinc doctiſſimi viri collegere, ne nos quidem paſſiui Participij præſenti deſici tempore: Verberando ſum defeſſus, Pugnando vici, Legendo libros: idem eſt, Verberans, Pugnans, Legens. Etiam illud Vergilianum, Voluēda Dies, præſentis temporis inuenere: ſicut & Iuſiurandum. Sed ſanè Iuſiurandum, futuri fuit temporis. antequàm daretur, ſic dicebant, Iurandum tibi eſt: ſic, Voluenda dies, quæ attulit, quod nondum fuerat. Poſtea vſu deflexa ſunt in præſens tempus, atque etiam in præterito, vt dicebamus, Cæſar ignoſcendo auxit hoſtium numerū. quia ignouit. cauſſa autem eſt, qualis cùm dicis, Pugnaturus ſum, & fui. Quoniam verò tranſit in variationē ſicut, μαχητέον & μαχητέα, iccirco aliā partem à Participio nonnulli penitus negarunt: quia idem ſit, Legendis libris, & Legendi libros. Alij verò hoc ipſo affirmarunt eſſe aliam, propterea quòd conſtructio eſſet diuerſa. Sed nos eandem cum Participio diximus, vſum autem non ſemper eundem: Accidenti autem non mutatur ſpecies. Proprium autem eſt recipere Præpoſitiones, Ad agendum. Vergilius etiam aliam appoſuit, Ante domandum: &, Inter agendum: quod Græci μεταξὺ ἄγων. &, Ob tacendū: & apud M. Tullium: vtrunque dictum eſt ab amando,

παρὰ τὸ φιλεῖν, ἀπὸ τοῦ φιλεῖν. Et Quintilianum, ratio ſcribendi iuncta cum loquendo eſt. Auſi ſunt quidam dicere, In capiendum hoſtem vado: ſed hoc non memini. Proprium itẽ carere variatione Perſonarum, Generum: atque etiam Numerorum. id quod traxere ab Infinitiuorum natura. Cæſar it ad oppugnandum Maſſiliam: Camilla pergit ad fugandum Aruntem, vt commune ſit ad vtrunque, Oppugnandam Maſſiliam, & Fugatura Aruntem. Sic Numerum communem apud M. Tullium: Stoicos Epicureis irridendi ſui facultatem dediſſe. & Liuius in primo: Veſtri adhortandi cauſſa. Falluntur autem qui per Debet, aut Oportet, putant interpretari Gerundium, vt in illo, Pacem Troiano ab Rege petendum. Omne nanque futurum, aut hanc, aut eiuſcemodi recipit interpretationem: ducimur enim, aut vtili, aut neceſſario. Quoniam verò cauſſam ſtatuunt, iccirco plus indicant, quàm Verba, atque etiam Participia, ſic, Video futurum vt vrbs expugnetur, Video vrbem expugnandam: euentum ſolùm narras. at ſic, Dico expugnandum vrbem: proponitur non ſolùm finis, ſed etiam deliberatio. quare Græci dixere Aduerbia θέσεως, ἀπολευστέον, τυραννοκτονητέον. Latini autem etiã motum illũ animi qui in finem duceretur, commodius declararunt, cùm Gerundia appellarent. Sed quo vocis flexu? eodem ſanè qui eorũ naturæ fons fuit. vt quia gerendæ res eſſent, quæ voces hoc indicarent Gerundia dicerentur. Alij ab eorũ vſu, Nomina participialia: neque enim eſſe pura Nomina, quæ regerent caſum: neque pura Par-

Participia, quæ paſſiua voce gererent actiuam ſignificationem. Cauſſa autem qua ducti ſunt, vt defraudarent ſignificationem, atque in actiuam demitterentur, hæc fuit: quòd paſſiuè intelligebant ex parte appoſiti, non ſuppoſiti, ſic, Eo ad oppugnandum vrbem: quoniam prius fuerat, Ad oppugnandam: & eodem modo dictúm fuit, ſicuti notauit Gellius, & nos diximus in capite de Infinitiuo, Hanc rem præſidio futurum. Alij etiam Gerundiua voluere, quæ ab illis petes.

CAPVT CXLIIII.

Supinorum Ratio.

PAr propemodum ratio Supinorum: ſed longè maiore affectu notant: nã Eo ad pugnandum, futurum ſignificauit: Eo pugnatum, ita poſuit futurum, vt iam abſolutũ ſit. Ita eſt, quomodo apud Homerum, τὸ δὲ τετελεσμένον ἔστω. Significat igitur actionem cũ Actiuis, paſſionem cum Paſſiuis. Eo factũ iniuriam: Iniuria mihi factum itur. Sed ſanè ſemper paſſionem quandam ſapit: neque enim eſt, Eo vt faciam: ſed, Eo vt hoc fiat. quaſi, Eo ad rem faciendam quidem, ſed ita, vt factum iam ſperem. Sic Soſia: Dictum puta. Cùm igitur hîc finis ſignificaretur, non immeritò altera voce alterum extremorum ſignatum eſt. In motu enim eſt, & vnde fit & quo fit. Itaq; rectiſſimè dicitur, Venatu venio: ſicut, Venatum vado. Sextũ enim caſum huic vſui eſſe comparatũ diximus. A me itur: ſic, Venatu itur: contrà quàm putarunt. Plauti. n. eſt in Menæchmis, Obſonatu

redeo. & Catonis in libro de re Rustica, Primus cubitu resurgat. vt hæc sit vera constructio huius Supini. Nam ea quam ipsius putant, Expugnatu difficile, Mirabile dictu: fortasse non sit, sed Nominis. Vocatu Drusi, id est, vocatione. sic Iussu, & Permissu: dicimus enim, Facile expugnatu: id est, expugnatione.

Quare autem supinum dictum sit, haud sanè constat. Nam quod aiunt veteres, id ea caussa factum, quia à præteritis passiuis ducta essent, quæ præterita veteres Supina appellarint: non solùm non soluit quæstionẽ, sed etiam auget. Nam quãobrem Præterita, eáque passiua tantùm hoc nomine dixerint illi? Nos in libris historiarum Aristotelis ostendimus quid Pronum, quid Supinum sit. Neque rectè à Theodoro τὸ ὕπτιον esse acceptum, vt Latinis auribus satisfiat. hîc verò ita placet satagere: Gerundium à supino ita differre, sicut Futurum à Præterito: vt aliud sit, Faciendum: aliud, Factum. Itaque quod gerendum esset, strenui viri, ac fortis iudicarent: contrà, quod iam esset gestum, minus excitare nos ad agendũ. Itaque Tityrum supinum facit poëta sub arbore, lentum scilicet, ac recubantém: Melibœum certantem cum fortuna, ac res suas magis strenue, quàm feliciter gerentem. Igitur, Eo ad pugnandum: gerendam rem significat in viro diligenti: Venio pugnatu: rem gestam in homine, qui possit otio parto frui. Hæc esto caussa, quæ persuaserit antiquis vt Præterita passiua, Supina dicerentur. vt posset in vtranque aurem, atque etiam supinus cubare.

CAPVT CXLV.

Non excludi Modum à Participijs, sed Modi variationem.

QVemadmodum Gerundium idem diuersis Temporibus accommodatur: Pugnando vinco, vici, vincam: sic etiam idem Participium diuersis modis: adeò, vt in passiuis etiam modos ipsos constituerit: Doctus essem, fuissem, fuerim, fuero. Vtinam pugnans vincerem, alio modo dicitur, quàm sic, Pugnans vinco. hic enim est & Pugno, & Vinco: ibi autem, Vtinam pugnarem, Vtinam vincerem. hoc quoque à veteribus omissum est.

CAPVT CXLVI.

Non rectè Generum caussam à veteribus assignatam.

GEnera tria eadem vox complectitur, Hic, hæc, hoc pugnans. neque id natura potius quapiã, quàm forte: nihilo sanè consultius, quàm in nomine Felix. Falsam nanque adducunt caussam: Cùm enim Verba, inquiunt, omnibus sine vllo discrimine iungantur generibus sub eadem voce: Vir, Mulier, Mancipium sedet, eiusdem nimirum esse debuit naturæ Participium, cuius fuit Verbum, à quo fluxerat. At enimuero falluntur: Quippe verbalia quoque nomina, quæ à verbis manant, nihilominus genera variant: Victor, Victrix, atque etiam Victricia, apud Lucanum. Pręterea quis nescit apud Gręcos tria genera in Participiis totidem signari vocibus? Postremò ne in nostratibus quidem variatio illa ignota est: vt in passiuis patet: Amatus, Amata, Amatum, & in actiuis, Amans, Amantia.

CAPVT CXLVII.

Figura.

PRiſci negabant Participia per ſe componi:ſed compoſita à cõpoſitis Verbis deriuari: icirco Figuram ab illis trahere, non ipſa illam conficere. Hoc autem falſum eſt: multa enim ſunt quæ ſuo in genere Compoſitionem admiſere, nõ ab aliis traxere: vt, Omnipotens. neque enim à Verbis tantum compoſita fluunt omnia, Ergo figura Participiis per ſe competet, vt cæteris: non per accidens, vt dixere.

CAPVT CXLVIII.

Tempus.

TEmpora quædam ſimplicioris intellectus, quædam amplioris habuit Participium: neque ſecutum Verbi eſt integram rationem. Nam Futurum, quod erat diffuſiſſimum, atque ob id à Gręcis ſciſſum in duo, vnica voce complexũ fuit. Item duo Præterita. At Præſens quod eſſet ſimpliciſſimũ cũ intellectione Præteriti imperfecti coniunxit vnica nota. vt Amans eſſet, qui amat, & qui amabat. Neq; caruit ratione: oſtẽdimus enim apud Philoſophos naturalem quandã continuationẽ ſignificari per Præteritũ imperfectũ, vt nõ multum à Præſenti diſſideret. Illud verò maximè quæretur: cùm apud Græcos tria hæc Tempora tam Actiuis, quàm Paſſiuis ſint attributa: quãobrem Latini Præterito actiuo, paſſiuo Præſenti defecti ſunt? Atque in quibuſdã ſanè hæc omnia ſunt: Hortans, Hortatus, Hortaturus, Hortãdus. At in aliis, quæ ſimplici conſtant forma, vt Amo, quare

quare non possedere præteritum: vt Amor, quare non possedere præsens? Sanè hic nihil habeas, quod respondeas, præter negligentiam: adeo vt in illis quoque, in quibus omnia esse videbantur, vocem quidem videas, significationem non videas. Nam Sequens, præsens quidem est, & Hortans: sed significatus actiuus: ac sanè ab eodem verbo Sequor, si potuit deduci & Sequuturus, & Sequendus: quare non potuit in præterito distinctum esse, Hortatus actiuũ, ab Hortatus, passiuo? Si potuit ab Amo, Amans: quare ab Amor, nihil potuit?

CAPVT CXLIX.

Significatio.

QVemadmodum Verba manent, aut mutantur, sic & Participia. Nam Lauant, recensebamus inter μέσα. sic Voluentibus annis, eadem fuit significatione, qua Voluenda dies, vt est apud Homerum: περιπλομένων ἐνιαυτῶν. Sic mutauit Oriundus, non sine ratione. subest autem caussa, vt ignorata, sic acuta. Est oriũdus Roma, qui Bononiæ ortus, Romæ oriri debuit, quo in loco lares habet patrios. itaque idem est Oriũdus, quod Oriturus. Futurum enim hoc non designat quod erit, sed quod non fuit, & futurum esse debuit. In passiua autem voce declararunt: quoniã ipse iam per se non poterat oriri, aut agere, vt oriretur: sed fato, aut senatusconsulto, aut rescripto, aut recẽsione affici muneribus ciuitatis poterat.

CAPVT CL.

Affectus.

PRopriũ eſt Participij, fieri à quibuſdam Verbis, quorum non ſequatur ſignificationem: vt Sequendus, à Sequor: paſſiua ſignificatione ab actiua. Id autem propterea euenit, quia hęc omnia, quæ vocamus Deponentia, olim Cõmunia fuere: atque iccirco Deponentia dicta, quòd depoſuiſſent alteram ſignificationem, quam habuiſſent. Sic Verbi ſignificatio vetus abolita in Verbo, manſit in Participio. quemadmodum deleto Verbo toto, manſit Participium: Laboratus, Regnatus, Erratus, Triumphatus, Decurſus. Sed adhuc lõginquiore ratione, Auritus, Pellitus, ſi ſunt Participia. Quæ autem exempla afferunt mutatæ ſignificationis, fortaſſe non omnia carent ratione. Nam Diſcretus, ſic ſignificet virum moderatũ: non eſt quia diſcernit, ſed quia à vulgo ſapientũ ſententia ſecretus fuit. ſic Circumſpectus, non qui Circũſpicit: ſed, vt Homerus dicebat, qui circunſtantium ora, atque oculos in ſe conuertit: id quod cùm fiat ob eius præſtantiã, actũ admirantium tranſtulere ad ſignificandum cauſſam, propter quam admirarẽtur. Sic Beatus, diuitem notat, qui multa benè, ac benignè poteſt agere: at Beatus paſſiuũ eſt Participiũ, quem bonis, vt appellãt Græci βίον, Fortuna voluit beari. Sic Cautus, quem cauendum dicerent: quem, vt ait ille, atrum agnoſcerent, aut fœnum in cornu geſtantem. Falſum, quoque quis neget paſſiuè ſemper accipi? etiam cùm Falſum eſt teſtamentum: iccirco ſic dicitur, quia ipſum fefellit ſcriba: Fallere enim eſt σφάλλειν. diffuſa ſignificatio ad falſum teſtem, quare actiuè hic accipi putarunt, quia falleret:

leret: verùm analogia transtulit à Testamento ad testem, quoniam vtrunque corruptum esset. Tutus quoque semper passiuè: Tutus portus, qui alios tueatur, propterea quòd ipsum tueantur rupes. Ita alia nonnulla eruentur, & reddentur suis caussis: neque enim nostra nunc interest omnia persequi. Quædam tamen omnino, vt diximus, mutant significationem: vt Disertus, & Profusus apud Sallustium: neque enim mirum cùm etiam Nomina ipsa hoc passa sint: sic enim & Gnarum, qui nosceretur, & Nescium, qui ignoraretur sunt interpretati. Sicut etiam Euidens, atque alia animaduertêre.

Proprium item est Futuri temporis passiui, poni etiam pro re quæ non sit futura, modò esse aut possit, aut debeat: vt exemplo Liuiano dicebamus, Milites comparandos, & alia eiusmodi. Proprium etiam nō defici Casibus, & carere Specie: negarunt enim prisci vllū ab alio deriuari, sed à Verbis deriuatis fieri, vt Gemiscens nō sit à Gemens, sicut Gemisco à Gemo. Itē, Transire in nomē primogenium, vt Pugnans pro Pugnator, aliquādo in deriuatum, vt Confidēs. Interdū ambiguum est vtrum sit, vt Horatianum illud: *Metuens tangi.* Etiam creare Nomen: Amans, Amantior. Et transferre significatum à re patiente in agentem: nam etsi dicimus, Cœnatur rhombus: tamen Lucullus dicet, Cœnatus sum: sic Pransus, & Potus. Hoc factum est, vt in Pasco, Pastæ oues: &, Depasta salicta: vt fuerit Cœnor deponens, sicut Pascor. Et euadere Nomen substantiuum: vt Senectā: fuit enim Verbum Seneo, quo & Ca-

Bb

tullus vſus eſt: cuius paſſiuum participium, fuit hoc. Itaque veteres ſic dicebant, Seneᴄta ætate. Eadem licentia, Occaſum dicis locum, vbi Sol occidit: at paſſiuum hoc fuit Participium, vt in XII. tabulis: Sole occaſo. Præterea etiam aduerbiũ gignere: Indulgens, Indulgenter. Proprium etiam ſequi Verborum naturam, qua deficiuntur certis modis orationis: nam ſi Pario, fœminam tantum ſpectat: ita Pariens, vnico tãtum genere præſcribetur: niſi figura quapiã in ordinem redigatur: ſicuti dicimus, Mulierem fœcundam: ita etiam Ventrem fœcundum: quare etiam Ventrem parientem, quominus dicamus, vis Participij nequaquam prohibet.

Antimeria in participio fit, cùm pro Verbo ponitur, vt in Hecyra: In arcem tranſcurſo opus eſt. Et apud Salluſtium, Mature facto opus eſt. Sed non ſine cauſſa hoc factum eſt: plus enim dicit Tranſcurſo, quàm Trãſcurrere: & Facto, quàm Facere. illa enim rem abſolutam deſignant, vt iam totum iter, quod inter Pamphilum & arcem interiacebat, iam eſſet tranſcurſum.

IVLII

IVLII CAESARIS SCALIGERI

DE CAVSIS LINGVÆ LATINÆ, LIBER OCTAVVS.

CAPVT CLI.

Quatuor partes reliquæ, quare sint indeclinabiles: & Quare alijs postpositæ.

EX DICTIONE tanquam ex genere summo, alteráque differentia, quæ tollit inflexionē, fit species media, quam vocant Indeclinabilium: sub ea sunt partes quatuor, Præpositio, Aduerbium, Interiectio, Coniunctio. Quare autem Persona, aut Numerus his non sint attributa, quærendum est. Propterea quòd hæ partes erant notæ connexionum, quemadmodum suprà dicebamus: at ea, quæ connectebantur erant iam prædita his affectibus: quos affectus si hæ quoque essent consequutæ sanè immensus fuisset numerus simul, & superfluus, aliquótque earum à suis primogenijs nihilo differrent. Si enim Benè scribit & Cæsar, & Corinna,

& Mancipium: adde genus ei Aduerbio, iam fiet Nomen Bonus, Bona, Bonum. Quædam tamen partes sequutæ sunt aut Tempora, aut Modos, aut Casus, tanquam asseclæ propter significationem, non tãquam compotes propter modũ significandi: vt, Heri, significat tempus, itaque addetur modo significãdi tẽpus, Amaui: significat enim non tempus, sed actionem amandi cum tempore. Ita est, Vtinam amẽ: Si ames, Ad amandũ, Ob pugnãdum, De reducendo Regem. Quare autem sunt alijs postpositę? Nã sunt simpliciores. ergo priore loco erant cognoscendæ. Item sunt nobiliores quædam quibusdam, nonnullæ omnibus: magis necessaria est Præpositio, quàm Pronomen: perfectior est Interiectio, quàm vel Verbũ, vel Nomẽ, integra enim oratio est, *Heu.* Hîc ita respondemus: Facilius cognosci potuisse Pronomen cum Nomine, quàm si differretur. Simplicitatẽ autem illam mancam esse, neque posse percipi illorum naturam sine declinabilibus: quia hæ illarum cõiungendarum notæ sunt. Præterea non est Simplicitas, carere Declinatione, sed Defectus. Quare non possis intelligere, quemadmodum Aduerbium Personis careat, nisi scias prius, quid Persona sit. Nescias quid sit Persona, est enim accidens, nisi noris essentiam eius cuius ipsum accidens est. Harum autem partium nomina à sedibus, quas in oratione sortitæ essent, dicta sunt à veteribus: qui & hoc negligenter nimis, cùm per accidens essentiam definirent: & ineptè prius inter se partes has compararunt, quàm quæ, qualésve essent ipsæ declararent. Nos autẽ, propterea quòd compo-

compoſitus intellectus à ſimplici ante itur,& cõparatio eſt ſimplicium compoſitio,ſigillatim quę cuiuſque ratio,atque natura ſit videamus.

CAPVT CLII.

Præpoſitionis definitio, & ſedes inter cæteras partes.

SIc igitur definiuere, Præpoſitio eſt pars orationis,quæ præpoſita alijs partibus,ſignificationem earũ aut complet, aut mutat,aut minuit. Complere, vt Intercipio, Demiror: Mutare, vt Aufero:Minuere,vt Subrideo. Verùm & confuſa eſt,& ab accidenti, & non omnibus competit, & ſuperfluis particulis. Nam quòd ſit confuſa ſatis patet,cùm non deſignat quibus partibus præponatur:pars eſt orationis Interiectio,at ei nulla vnquã Præpoſitio prępoſita fuerit.Ab accidẽti data eſt:neque enim eſt Præpoſitio, quia præponitur: ſed præponitur,quia eſt Præpoſitio. Non omnibus cõpetit: neque enim cõpoſitæ Præpoſitioni, Mecum,tecum. Particulæ autem quædam vacant ſic,quod cõplet,aut minuit, mutat: eſt enim mutatio,effectio vt aliquid differat ab eo,quod erat. Voluere ſic intelligere, Mutare, id eſt, deſtruere ſignificatum: ſed exemplo inutili vſi ſunt:etenim & qui adfert,& qui aufert,fert. Commodius dixiſſent augere,minuere,& alia talia. Fortaſſe verò falſa quoque ſit,neq; enim eſſentia Prępoſitionis eſt præponi, ſed vſus: ſiqua enim vnquã poſtponeretur:ergo ea deſineret eſſe præpoſitio:quare alio conſilio eius definitio eſt inueſtigãda.Rerũ genera ſumma cætera ſuperioribus libris recẽſuimus, ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem,&

eiuſmodi. vnum in præſentia nobis reliquum eſt, philoſophis tantum notum, πȣ̃ Græci vocāt:quibus autem rationibus cum loco conueniat, aut ab eo differat, alijs libris dictum eſt : hæret ſanè ſemper & loco,& corpori: nullum enim Corpus inuenias, quod alicubi non ſit.Porrò Omne corpus aut mouetur,aut quieſcit:quare opus fuit aliqua nota, quæ τὸ πȣ̃ ſignificaret, ſiue eſſet inter duo extrema, inter quæ motus fit:ſiue eſſet in altero extremorum in quibus fit quies. Hinc eliciemus Præpoſitionis eſſentialem definitionem. Affectus autem præponendi hinc fluxit, propterea quòd terminum ſignificaret: Ad forum:indicat enim interuallum, quod ante forum eſt : ſic, Apud te:deſignat ſpatium à me ad te: quem terminum cùm nacta eſſet res mota, & quieſceret, meritò etiam præpoſita eſt : pendet enim à motu. Itaque eadem Præpoſitio vtrunque munus obiuit: dicimus enim, Eo in vrbem: ac tandem, Sum in vrbe. Quæram tamen, quare præponatur ea, quæ locum, vnde fit motus deſignat, ſic, Ab vrbe ad villam:ſi enim interuallum notat in quo res mouetur,debuit illa prior poſtponi. Hîc ita reſpondendum eſt, Conceptam animo ſententiam primo quoque loco exponi debere oratione : igitur cùm dico, Vrbs, vnum vno modo intelligo. Cùm deſtinaui futurum, vt vrbs ſit terminus, vnde motus futurus ſit, ſtatim hoc occurrit intellectui : quod, cùm ſtatuatur per præpoſitionem,primo loco ponendum fuit.Hæc fuit ſedes in oratione. Locus autem in partium enumeratione,quæ inflexione carent,primus da-

tus

tus est non immeritò: est enim maximè necessaria. quippe Natura omnis constat aut motu, aut quiete. Præpositio autem, harum rerum nota est. Interiectio autem, quanquam exprimit perfectè animi quasdam affectiones: tamen ea, vt diximus, potuimus carere. Coniunctio autem tanto posterior est Præpositione, quanto est prior simplex oratio, cõpositis. Aduerbij verò necessitatem suo loco declarauimus: verùm supplementum potius orationis esse, minore prerogatiua, quàm qua vtitur Præpositio, videtur. An verò hoc ita sit, seqẽti libro acutius perspectum est.

CAPVT CLIII.

Præpositionum generica diuisio reducta ad caussas.

DIsputarunt Philosophi vter esset prior, Motúsne an Quies. ac sanè in nostratib⁹ Quies prior est: nòn quòd sit priuatio Motus, vt aiunt, (Motus enim item Quietis priuatio est) sed quia nobilior: mouemur enim vt quiescamus. Contrà videatur cuipiam Motum esse priorem: tũ quia, (vt ipsi credidere) semper in cœlo fuit: tum quia vult Auerrois, Motum esse perfectionem corporis naturalis. Verùm vt de cœlo loquamur, dicimus ipsum moueri vt certis πȣ̃ quiescat. Intelligo nũc Quiescere, adipisci quod nõ habebat hac vel illa parte. Deinde satis patet, ipsum toto loco quiescere: quiescere igitur propter se: moueri autem propter nos nostráque: at finis sui perfectior est. Auerrois autem non debuit intelligere vltimam perfectionem, sed perfectionem per processus: & quam vocant ἐν τῷ γίνεσθαι:

perficimur enim mouendo, propterea quòd ad quietem propius accedimus. Cùm igitur quædam Præpositiones motum, quædam quietem indicent, quædam vtrunque: hæ ambiguæ vltimo loco tractandæ fuere: quæ autem quietem significant, primo. Verùm vnam tantùm inuenio, quæ solius quietis nota sit, ea est, *Penes*: significat enim potestatem immobilem ab eo, cuius est: itaque maximè Substantiuum verbum sibi vindicauit. Plures sunt motus indices: Terminum vnde fit motus notant, A *De*, *ex*: quæ ad commoditatem orationis sunt interpolatæ, *Ab*, *Abs*, E. Alterum autem terminum, *Ad*, *Ob*, *Vsque*. Est etiam vna quæ tres terminos comprehendit, ita vt terminum ad quem fit motus, nominet, atque in interuallo statuat: ea est, *Trans*: Curro trãs montem ab vrbe: supponit vrbem, nominat montem, & petit aliud. Aliæ vtrunque significãt pro verborum, quibus iunguntur, ratione: In vrbem eo: In vrbe sum. Itaque etiam casus mutat, quorum rationem suo loco diximus. Sunt etiam quæ simul vtrunque miscent: vt, *Apud*: sic, Apud te currentem curro: est hic cursus mistus cũ quiete. Non dimoueor abs te: hæc est quies: Moueor æquè ac tu à carceribus: hic est motus. Est autem quidam motus verus, vt in corporibus: quidam, vt aiunt Græci, ἀναλογικὸς, vt cùm dicimus quempiam mente motum. Sic igitur etiam loquimur, E' Dauo audiui: motus quidam est. Et, Ad me redeo: &, A' libellis, A' manu: ex eius enim manu proficiscitur actio ad officium. Sic *Ob*, & *Propter*, olim locum significarunt: Ob Romam obequi-

obequitans Annibal: Athesim propter amœnum. Nunc deflexæ sunt ad caussam tantùm declarandam.

CAPVT CLIIII.

Affectus præponendi ratio, atque vsus.

VIdendum igitur quid sit Præponi, quótque modis quidquam præponatur: tum præponendi vsus quibus partibus communicetur. Cùm igitur voces ad eum finem sint comparatæ, vt aut ex duabus vna fiat, aut ex duabus seiũctis vna oratio, atque vtrobique necesse sit, vt altera alteram sequatur, vtroque modo Præpositio præponi debuit. Quamobrem satis constet: minus consulto veteres alterũ modum, Appositionem appellasse: aliud nanque est Apponere, aliud Præponere: ac fortasse hæc inter se contraria: sic enim dicimus Appositum, quod est in extrema situm orationis parte. idem enim est Addere, & Apponere. Cùm, postquam res videtur perfecta, iusta quippiam ponitur: atque eodem modo Aduerbium nominarunt, quod verbo tanquã præscriptio quædam apponeretur. Quare non rectè intelligemus, Appositionem, esse speciem præponendi, sed oppositum quoddam genus: sed vtrũque præpositionem: eius autem species, Seiunctã, & Coniunctam. Ergo cùm prius sit seiunctim, quàm coniunctim præponi, de eo prius quoque dicendum est. Seorsum igitur prçponitur Nomini, Participio, Pronomini, Ad Cæsarẽ: Ad ipsum: Ad pugnantem. Coniunctim autem & iisdem, & Verbo, & Aduerbio, & Coniunctioni. Prçfortis,

Addo, Subiẽs, Perinde, Abſque. Quod verò aiũt, cum Coniunctione vim ſuam mutare, falſum eſt: etenim, *Abſque*, tametſi motum verum non dicit, tamen ita eſt, Ab vrbe diſtamus mille paſſibus: ita, Abſque te Triumphaui. Significat abſentiã. & interuallũ. quòd poſſit eſſe locus rei motæ inter duo extrema. Caſus autem duos certos ſibi deſtinarunt. Quartum, & Sextum: ac Quartũ quidem, quoniam cauſſam finalem ſignificat: Amo Cæſarem: Cæſar cauſſa amoris eſt. Eo ad Cæſarem: cauſſa eſt motus. Huius naturã ſecutus eſt Secundus quoque caſus, ſic enim dicimus, Vincendi cauſſa pugnamus: ſignificat enim terminum quendam etiam in poſſeſſione: Ego ſum Dei, non Fortunæ. Itaque etiam hunc caſum ad eundem vſum traxere, Crurum tenus, apud Vergilium: Neutricum tenus, apud Catullum. Alter caſus Sextus deſignauit rectè terminum vnde fieret motus, eius enim natura talis eſt: Ab vrbe. Et quia tẽpus cum corpore, & loco, & motu multas habet affinitates, iccirco eadem locutione interdum ſic loquimur A' prandio, Ab orbe condito. Sic etiam cauſſam materialem indicauit: De iure diſputo: quia ab ipſius contemplatione motus, in eo declarando verſor.

Quæret quiſpiam acutius, quamobrem Sextus caſus etiam quieti ſignificandæ attributus ſit? Haud ſanè præter rationem hoc fuit: nam Græci Tertium caſum ei aſſignauere, ἐν ἄστει. ſignificat enim acquiſitionẽ: nihil enim ſimilius loco, quàm locatum ac propterea Latini, qui ex tertio caſu ſuum Sextum progenuere, illius in hunc

præro-

prærogatiuã transtulere. Est præterea quod inuestigemus: quædam enim sunt Præpositiones, quæ Quartum casum exigunt,& tamen terminũ, vnde fit motus, denotant: Post hyemem: Post prandium. Huius rei ratio est, quæ & in *Trans*: significat enim motum ad prandium, atque etiã vltra. Par caussa & in *Circa*. Quartum enim habet:Circa vrbem. Nam omnis motus, aut est ad centrum, aut à centro, aut circa centrum. Ergo centrum tametsi non est meta motus circularis, tamen est præscriptio quædam:atque iccirco eũdem cum Meta ipsa casum admisit. Ratio autem qua sunt adducti, vt eidẽ Præpositioni duos casus apponerẽt,iam dicta est. In vrbe,quietem dicit:In vrbem,motum. At verò quæ porrò caussa, vt & motum,& quietem eiusdem esse paterẽtur? propterea quòd *In*,loci significat rationem: In vrbe,tanquam in loco. Itaque cum motum ita significares,vt etiam terminum nõ solùm pro termino.sed etiam pro loco statueres,eadem vti potuisti:nam,Eo in vrbem, ita dicimus, vt etiam in vrbe futurus sim. Aliæ autẽ pari consilio ad caussas reducentur:Sub terra sum,sub terram eo. *Super*,flexit significatum, vt poneretur pro *De*:quoniam argumentum,de quo loquimur dictum est ab antiquis,Materia: at Materia defert:itaq; etiã ὑποκείμενον,vt suprà scriptũ fuit,appellarunt. Verùm de his sigillatim,quid vsus statuerit,in libris Originũ diximus adeo, vt sit prætermissũ nihil. Nũc nõ est huius operæ,sed vniuersalia philosophorum more inuestigare. Sunt autẽ quædã,quæ sẽper seiũctim ponũtur: vt, *Apud*,*Circiter*,*Secus*,

Quædam contrà: vt, *Dis*, *Re*, *Se*, *Am*. Quędam indifferentes: vt, *Ante*, *Cum*, & eiusmodi. Ac Sciunctis quidem qui casus deberentur, diximus. Coniunguntur autem cuiuis sine discrimine. Neque eæ solum, quæ absolutè poni possunt: vt Ante, in verbo, Anteuolans: sed etiam quæ casum exigere videntur, qualis est *Pro*: quod manifestum est in voce hac, Pronomen. Quare non rectè dixere recentiores, Magistratum, qui pręsit prouinciæ, auspiciis viri cõsularis, sine vlla inflexione nominari in Sexto casu tantùm, sic, Cæsar pro consule, Cæsarem pro consule. Nos verò vt non negamus rectè dici, ita affirmamus etiã pro cuiusque sententia variari, non minus quàm primariã vocem, Consul. Nam præterquam quòd superioribus rationibus ac ferè omnium vsu liquet, Græcis quoque id defenditur: quippe dicunt, ἀνθύπατον. Et nos, Proconsulatũ, nihilominus flectendo vsurpamus. Nónne pernox Luna dicitur? Atque huius quidem vsum commoditas potius persuasit, quàm ratio docuit. Sanè nos, qui caremus articulis arripuimus occasionem tam breui sermone vtendi: sic enim relatiuum esset interponendum, Dignitas proconsulatus: dignitas, quæ pro Consulatu est.

Proprium autem quarundam est, vt significata varient, qualis est, Aduersum: quarundam, vt suum perpetuò seruent, qualis est Inter. Quædam semper cum casu sunt, vt *Cis*: quædam semper sine casu, vt quæ componuntur: circumaguntur enim per omnes casus. Quædam vsus sentiunt vicissitudinem, vt Pone. Quædam semper præponuntur;

nuntur, vt Ad. Quædam semper postponuntur, vt Tenus. Quæ sit ratio vt (quemadmodū dicebamus) non rectè in definitione positum sit tanquam essentiale, Præponi. Neque enim Aduerbium est, vt dixere: iungitur enim casu. nam si ἄχρι sit Aduerbium, quid ad nos? Tenus enim est μέχρι. vt apud Aristotelem in sexto historiarum, μέχρι πόῤῥω: & tot locis apud eundē: μέχρι τοῦ, aliquatenus. Quædam nunc subeunt, nunc præeunt: Cum Cæsare: Mecum. Neque solùm in compositione, sed etiam altero modo: vt apud Terentium in Eunucho, Vnà ire amica cum Imperatorem in via. Hinc satis constat, nullum esse vsum tertium, quem dixere, interponendi, his exemplis, Qua de re, Quam ob rem. signat enim Relatiuū, cui postponitur: non Nomen: quod manifestum est alia locutione hac: Res, qua de agitur. Proprium & illud, vim amittere constructionis, cùm cōponuntur: Præpono te mihi: Tertius surrepsit pro Sexto. quasi Verbum esset simplex. Sed & aliis modis, Præeo Cæsarem: vbi Quartus pro Sexto. Sed & in ipsamet compositione: Quapropter, Quo circa. Sed & seiunctim, si postponatur, Multo post tempore: & fit Aduerbium, atque absolutè ponitur, sine vllius casus officio. Superfluo etiam additur, Adeo ad Cæsarem.

CAPVT CLV.

Præpositionum Efficiens, & Materia.

HÆc de earū forma, & fine, hoc est vsu: nunc de Efficiente & Materia videamus. Generant igitur seipsas interdum, vt A, facta est ex

alia, quæ eſt *Ab*: quæ à Græca fuit mutila, ἀπὸ: ἀπ' ἰλίου, ab Ilio. Sic ex *Dis*, facta *Di*: & illa à Græca δίς. quod enim bis fit, ſeparatim fit. Quædam à Verbis, vt Sine, Pone. *Am*, tota Græca eſt, & apud nos non niſi in compoſitione: Theocritus autem etiam ſeorſum poſuit, ἄμ μέγα. Et quemadmodum Græci vſitatum additamentum φι, addidere, ἀμφὶ, ſicut βίηφι: ſic nos noſtrum *Te*, Ante: ſicut Iſte, Tute. Nam Ante, caſtrenſis vox fuit: cùm obſiderent oppida, dicebant ſe eſſe ante oppidum. *Vſque*, à Græca ὡς, τε. pro eo quod eſt, πρός. *Coram* tota Græca, ob oculos, κόρῃ. Etiam à participiis, Aduerſum. *Cum*, & *Con*, vnam eandémque eſſe, aliis locis diximus: Conſonantem finalem mutari pro natura ſequentium ſe, vt Compono, Confero: Vocalem autem, vt auribus plus ſeruiat, item mutari, vt Comes, Comitium: Cumprimis, Cumprime. quòd autem ſit Com, non autem Con, patet ex eliſione: vt Coorior, Coëo, & in *Contra*. eſt enim à *Cum*: ſunt enim contraria relatiua, ergo ſimul. Fuit autem Græca, καὶ ὖν. nam ὖν, fuit particula completiua, ἤτοιυυ. Ea igitur genuit Contra: ſicut, In, Intra: Ex, Extra: Cis, Citra: In, Infra: Sup, Supra: fuit enim ſic prius: poſteà Sub, ab ὑπὸ: vt Ab, ἀπὸ. Sed antea orta ſunt, Inter, Infer, Super, Exter: deinde, Intera, Infera, Supera, Extetera: quemadmodum ex Phænomenis Ciceronis obſeruari potuit,

Toruus Draco ſerpit, ſubter ſuperáque retorquens. Fuit & alia terminatio, Subtus, ſicut Intus. Paſſæ autem ſunt σόλοικον apud Græcos: nam Ariſtoteles

& Thu-

& Thucydides, & Plato, & alij Attici, ita vtuntur, ἑἑω, pro ἀυτός. Ex *Di*, factum est *De*, sicut ex *Pri*, *Pra*: vnde Pridiæ: & sicut ex *Ni*, *Ne*. Aliquãdo putaui à Græco δεῖ, De ductum: neque ineptum est. Hæc de origine, & materia: nunc de aliis affectibus: Etiam à Nomine, Circum, ab eo quod est Circus, κίρκος.

CAPVT CLVI.

Accentus præpositionibus, quemadmodum attribuatur.

VEterum Æolensium, vt sæpe diximus, in quamplurimis autoritatem secuti: vt à nominibus, verbísque abiecimus à fine accentus vsum: ita in præpositionibus recepimus. Sic enim prisci prodidere: Omnes extremæ syllabæ, nisi postponantur, Græcorum ritu, acui: eodémque ritu, si postponantur, accentum transferri, πολλῶν κάτα, μάχης πέρι. Ita nostris placuit, vt diceremus Penès Cæsarem: &, Cæsarem pénes. Quòd si vsu veniat, vt Præpositio sit ambigua vox, alijque parti communis: ne postposita quidem transferri: vt semper dicatur, Altaria circùm: sicut Circùm altaria: ne concurrat cũ Quarto casu nominis huius Circus. Quædam verò etiam amisere accentum, quippe eæ quæ Encliticarum naturam induêre, vbi postponuntur: qualis est *Cum*: dicimus enim Mécum, sicut Méne. Verùm de Accentibus, déque Cantillatione illa satis suo loco dictum est. Eosdem Æolenses respexere veteres cùm nullam aspirarunt: Illi enim ὑπὸ, & ὑπὲρ, dicunt. Caussa autem huius

rei feſtiua eſto: cùm enim motum ſignificet maxima earum pars, celeritate opus fuit, non mora & craſſicie ſpirationis. Item quæ dicerent quietem, ſuauiter & tranquillè eam indicandam ſuſcepere: Aſpiratio autem animi eſt affecti nota.

CAPVT CLVII.

Alij affectus.

PRoprium item componi & inter ſe, Circumcirca: vt apud Homerum, ἀμφιπεριστρόφα ante conuecto: Et cum ſeipſis, vt apud eundem, προπροκυλινδόμενος: Et cum aliis partibus: cũ Nomine, Incola: cum Verbo, Impono: cum Participio, quod à Verbo venit: cum Aduerbio, Abhinc: cũ Coniunctione, Abſque. Interdum autem retinet ſignificatum, vt Deinceps, Coniunx: ídque aut ſimpliciter, vt his exemplis: aut auget, vt Impotens, Infractus. Interdum amittit, idque aut torquet in contrarium, vt iniuſtus: aut in diuerſum trahit, vt Perbonus. Ratio autem huius poſtremi à Græcò fluxit: nam περὶ ſignificat Circum: quod autem continet, id maius eſt, quàm contentum. Ab eo noſtrum *Per*, ductũ eſt. itaque Perbonus, eſt: ὁ περιέχων τὸ ἀγαθόν. Quæ autem intendunt ſignificatum cauſſam hanc habent: funguntur enim penè officio eodem, quo in diſiuncta oratione. Impotens, vt ſit, potens in alios: Infractus, qui ipſe intus fractus ſit? At verò quæ in Contrarium transformarunt, qua ratione id efficere potuere? nam ſanè priuatiua Græca habuit cauſſam. ἄδικος: nam τὸ ἀ, eſt ſicut τὸ ἀπὸ, vnde noſtrũ A: ſignificat enim motum, vt ſit, qui mouetur à iuſtitia:

at noſtrum *In*, ſignificat locum, & habitum: quare non ſatis manifeſta cauſſa eſt. Sunt & aliæ præpoſitiones augentes, vt Adprime: motum enim & propenſionem notat ad id cui iungitur. Contrà, ſunt quæ minuunt: vt Subrubidus. Subpudebat: non immerito: eſt enim reſpondens è contrario τῷ ὑπέρ. quod enim ſub aliqua re eſt, ab ea tegitur: ergo eſt illa minus. Proprium etiam ſupponere aliquid ad ſignificãdum, quod in ea compoſitione nõ ſit, vt Interneciuum: hic Nex ſignificatur. Inter autem eſt nota relationis ad duo: at ea non ponuntur. Græci clarius, ἀλληλοφόνον πόλεμον. Et mutari in eodem verbo Effero, Elatus. verba tamen duo ſunt. Proprium etiam creare ex ſe Nomen, Ante, Anticus: Verbum, Prope, Propinquare.

Proprium etiã, vt altera pro altera ponatur: dicimus.n. A, pro DE, & è cõtrario: ſed nõ rectè vſi ſunt exẽplis quibuſdã, vt idẽ ſit Ad oppidũ, & In oppidũ. Barbarè item dicunt, Per vrbem ſum, ſicut In vrbe. Barbarè Apud Baſileã ſicut Baſileæ: falſi analogia alterius locutionis, Apud forum: ſic enim dicebãt priſci, vt Terẽtius in Andria, In foro enim homines litigant: & annona eſt. Tũ Donati interpretatio hęc: Verba, inquit, Daui de foro veniẽtis. voluit dicere, ſimulãtis venire de foro. quare autem ſic auſi ſint, haud ſatis cõſtat: aliud enim eſt περί, aliud ἐν. Illud τὸ ἐρχόμενον. hoc τὸ περιεχόμενον notat. Falſò quoque putant Propter, poni alieno loco pro eo, quod eſt Prope: nam hæc illius parens eſt. πρὸ diximus alio libro, Græcã eſſe πρό. itaq; Prope, fuit pro pedibus. ita Gręci loquũtur,

προ ποδῶν. at à Prope, facta est Propter: ſicut ab In, Inter: à Sub, Subter. quare Vergilius cùm dixit, Atheſim propter amœnum: ſincero, rectóque ſignificato vſus eſt. cùm autem nos referimus ad vſum cauſſæ finalis, tranſlato vtimur ſignificato: quoniam finis cohæret actioni, mouet enim nos. Apud, autem fuit, ad pedes, eodem modo: itaque Ad, &, Apud, proxima ſunt & ſignificatione, & vſu. Ad Leccã velle cœnare, vt ſit etiam prægnans oratio: Ad Leccam cogitare cœnandi cauſſa. Ad Capuã caſtra habere: quoniã eò cõtẽderat prius. Conſequens à præcedenti. ſic mutila oratio, Ad febres facit: immo Ad ægrotum, cõtra febres. ſed Ad, accipitur pro qualicunque termino, etiam hoſtili. πρὸς κολώτην, pro eo quod eſt, aduerſus. Cætera omnia exempla ad hunc & motum & terminũ reducuntur. Quod autem aiũt, Apud maiores, poſitum pro eo, quod eſſet, A maioribus, falſum eſt: ſed eſt ſicut, Ætate noſtra hoc fit: quippe ab aliquo apud cæteros, quod ad ſæculum hoc pertinet: præſentes enim ſumus tempore.

Proprium & illud, Poni abſolutè, atque interdum fieri Aduerbiũ: vt apud Vergiliũ, Pone ſubit coniunx. nam oratio ſimplex eſt ex Aduerbio, intellectus autem Præpoſitionis. Poſt, enim ſignificat relationem: quod enim eſt Poſt, habet aliquid Ante. Eſt autem Poſt, pone eſt. Interdum quod plus eſt euadit Verbum, vt apud eundem:

O mihi ſola mei ſuper Aſtyanactis imago. pro eo, quod eſt, quæ ſupereſt: vt quodammodo ſit quaſi Participium: atque hoc quoque Græcorum imitatione factum eſt. Frequens eſt apud Sophoclem

phoclem locutio, πέρι, pro περίεστι: & ἔνι, pro ἔνεστι. Quorum legibus nostri quoque accentum translatum voluere.

Obseruata est ἀντιμερεία his exemplis, pro Aduerbio, apud Terentium, Fortunatus sum cæteris rebus, absque hæc vna foret. apud Sallustium pro Coniunctione, Præter rerum capitalium condemnatis. sic Varro, Præter si aliter nequeas. Sed mihi videtur caussa huius loquutionis in promptu esse: nam præpositio illa Præter, totum quod sequitur excludit: sic est illo exemplo Enniano, Præter propter vitam: id est, viuimus ita, vt videamur propter quiduis potius, quàm propter vitam.

IVLII CAESARIS SCALIGERI

DE CAVSIS LINGVÆ LATINÆ, LIBER NONVS.

CAPVT CLVIII.

Aduerbij necessitas: Sedes inter partes: Nominis ratio falsa: Item Definitio, Ortus, Species.

DVPLEX Aduerbij neceſſitas fuit, ſicut & duplex eſt vocum temperamentum per adiectionem. Nāque aut adijcitur accidens ſubſtantiæ, aut gradus accidenti. Exempla hæc ſunto, Vir fortis: hîc accidens ſubſtantiæ additum eſt. at cum dico, Fortior: tunc gradus accidenti additus eſt. Igitur quod faciunt adiectiua ſubſtantiuis, vt ſecum afferant accidentia: hoc vt agant Aduerbia Verbis, excogitata ſunt, neque enim ſi dicas, Velox ſcribo, aut, Velocia ſcribo: intelligas ſcriptionis velocitatem: ſed Velociter ſcribo, ſi dicas: intelligas. Sic igitur cùm expleſſet Verba, adhuc ſupererat aliquid agendum. itaque etiam gradus illi deſignandi fuere. Quare cùm bonitas, atque aliæ qualitates intendi, ac remitti queant, neque Comparatiuo, aut Superlatiuo ita plenè poſſint explicari, Aduerbij ope factum eſt, vt explicarentur: Valde bonus, Nimis ſæuus, Longe alienus, Multo fortiſſimus: vt etiam illa ipſa nomina gradus ſignificantia, hoc indigerent, Paulo doctior, Quare non ſolùm nomen Aduerbij malè fabricarunt veteres, ſed etiam imprudenter aſſignarunt definitionem: neque enim ſolius Verbi temperamentum eſt, ſed Nominis quoque. Sed nimis ſecurè ſecuti ſunt Græcos, qui æquè inconſultè ἐπίρρημα ipſum appellarunt. Hinc conſtat ratio originis, & ſpecierum. Nam ſicut Adiectiua apponuntur Subſtantiuis: ita quod verbo apponendum fuit, ab ipſo Adiectiuo deduci par eſt. Si enim dicam, Celerem ſcriptionem: dicam etiam, Celeriter ſcribere. quæ ſanè ſortientur

tientur nomina ſpecierum à natura ipſorum Adiectiuorum : vt ſi Bonus qualitatem , Magnus quantitatem ſignificat: etiam aduerbia ab his deducta aut qualitatem, aut quantitatẽ dicere intelligentur. Propterea verò quòd actio & locum,& tempus exigit, iccirco horum quoque prę̨ſcriptio ad Aduerbij vim relata eſt. Temporum enim & locorum vaſtiorem ambitum certis limitibus intercidi oportuit. Itaque neceſſariò inuenta ſunt, Heri, Cras, Hîc , Illuc. Cùm igitur gradus quaſi quoſdam deducat per Verbi Nominíſque tractus: eiuſdem quoque interfuit, eoſdem gradus detrahere ad nihilum vſque. Quare ſi dicam. Currit celeriter, tardè: &, Albus plus, minus: debuit etiam poſſe tolli eodem inſtrumento, quo minuebatur: itaque deuentum eſt ad negationem , tum eam, quæ verbis præponitur ad contradictionem affirmationis: tum eam, quæ præponitur Nominibus ad efficiendum id, quod vocat Ariſtoteles, ἀόριστον: Non currit, Non homo. Quæ negatio cum ſolo Aduerbij genere cõplectatur, ſanè efficere potuit, vt cõtrà, quàm veteres putarint, omnium partium indeclinabiliũ princeps eſſet. Omnis enim oratio ſtatim à ſuis primordijs in affirmatiuam, & negatiuam diuiditur: quare ſi officij meritum putes, illico poſt nomẽ, ac verbum Aduerbium ſtatuendum eſt.

Deducuntur autem Aduerbia alia apertè , vt Bonus , Benè: alia obſcurè , vt Senſim , à Senſu. Item à Verbis , vt modis quibuſdam ſeruiant, vt, Age, Ferè: illud hortando Imperatiuum exigit militare verbum fuit, ab Ago : alterum non

est similitudinis, vt aiunt, sed diminutionis: quid enim simile est, cum dico, Ferè poëtæ nullo in honore sunt? sed sic intelligo, apud paucos pauci poëtæ sunt in honore: intelligo autem diminutionem non magnitudinis, sed præscriptionis: vt aliquid detrahatur firmitati sententiæ, vt nequeam dicere, Nullus poëta: & item nequeam, Omnes, Sic Ferè singulos parit mulier: vt sit neque semper neque nunquam. Tractum autem est à philosophiæ radicibus: quod enim fertur, in motu est: itaque terminum nullum attigit, neque enim à Feris ductum fuit, vt aiunt, quoniam feræ sint celeres: nam & durum est, & nugantur, cùm dicunt. Feras esse celeres, quia sint quadrupedes: nam & Aquilæ sunt feræ, & celeres, neque quadrupedes: & multæ quadrupedes feræ sunt, neque celeres, vt Elephanti: & ἄποδα quædam celerrima, vt Angues. neque Canis fera est, & est celer. sed de his alibi. Belli autem, & Domi, & Vesperi, & Tempori, ad alia reducuntur, Loci, & Temporis: & Sorti apud Vergilium (vt voluere) Aduerbijs qualitatis annumerabitur. à nominibus omnia.

Quæ igitur Tempus notant alia sunt Infinita, vt Aliquando, Olim: alia Finita, vt Cras, Hodie. Sic & Loci, quippe à Pronominib. deducta sunt: Hic, Illic, designant certum locum: Alibi incertum, & Vsquam, & alia.

Falsò autem putarunt, Prorsum, Rursum, Sursum, loci esse: neque enim locum significant, sed motum ad locum. Illa autem, Ostiatim, Vicatim, Viritim, quantitatis discretæ sunt. Quædam

autem,

autem,vt dicebamus, ad modos relata ſunt. Sed cùm dicunt, O, eſſe optandi,tantum abeſt vt aſſentiar, vt etiam Vtinam putem eſſe interiectionem:neque enim modum vllum apponit Verbo: idem enim eſt, Amarem,& Vtinam amarem: &, O mihi præteritos referat ſi Iuppiter annos: idē eſt Heu quare mihi non refert? Neque omnino Vocandi vllum Aduerbium ſit:nihil enim detorquet, aut addit, aut tollit à Nomine: quare qui Præpoſitionem agnouere, propius fuerunt veritatem. Nam tametſi neque motus, neque quietis indicatrix eſt, tamen diſponit ad motum. Sicut punctum non eſt quantitas, ſed tamen ad prædicamentum reducitur quātitatis: ſic in hac, neque enim dicas, Ad me veni: niſi aut voces,aut vocatum intelligas.

Loci igitur ac tēporis Aduerbia maximo ambitu ferūtur: quare placuit veteribus ea inter ſeſe comparari. Sed turpiter nimis lapſi ſunt: Nā cùm dicant, Aduerbia loci ampliore eſſe ſignificato, quàm temporis: quia Nuſquam, plus amplectatur,quàm Nunquā: non animaduertêre,ſola corpora deberi locis. at ea ſimul cū aliis rebus multis,quę loco nullo continentur,ſub tempore eſſe. Non eſt in loco, Qualitas, non Relatio, non alia multa prædicamenta:& tamen ſub tempore ſunt, aut fiunt: igitur Tempus multò plura circunſcribit: Locus pauciora. Quod igitur nunquam eſt, nuſquam item eſt:at non è contrario:multa enim nuſquam ſunt,quæ aliquando ſunt. Quippe nullo in loco eſt hic actus ſcribendi meus: at aliquo tempore quin ſit fieri non poteſt.

CAPVT CLIX.

Figuræ in Aduerbijs.

IN Aduerbijs figuræ ſunt,ſimplex,vt Diu: Cõpoſita,vt Interdiu. Componuntur autem vel poſtquam Aduerbia ſunt,vel ab ipſis compoſitis fiunt,vt Hodie:fuit enim,Hoc die:& Nuper,fuit Nouo opere: Sẽper,Semiopere: Toper,Toto opere:ſignificat enim citò,& expeditè:ita vt opera abſoluta ſit. Itaq; Sẽper, ei contrariũ eſt,propterea quòd ſiquid dimidio tantum opere fit, id non abſoluitur,ſed continuatur. Geminatur, Vbi vbi. Componitur cum Nominibus, Vbi gẽtium? cum Verbis, Vbilibet: cũ Præpoſitionibus, Perdiu: cũ Cõiunctionib. ſimplicibus, Vbique: cum illis,& ſecum, Vbicũque,Profecto,Etiam,& illico,fuere compoſita vt Hodie.

CAPVT CLX.

Antiquorum Error in Structura.

Si igitur Aduerbiũ Verbi modus eſt, ſatis patet, quàm inconſultò veteres ita præcepere, præponendum eſſe Aduerbium Verbo, vt ita dicamus, Bene currit. At enimuero contrà eſt: acceſſio enim ſignificatus fit ad Verbum ab Aduerbio:& quemadmodum prius ſumus viri,quàm fortes:& prior natura Curſus eſt,in genere,quàm Curſus celer,in ſpecie:ſic erit prius Currere,quàm Celeriter currere. Non enim hic loquimur de ſermonis elegantia,ſed de cauſſis ipſius. Ac quãquam ars atque vſus dicitur naturã imitari: tamẽ in quibuſdam rebus placuit varietas. Itaque elegantius acceptum eſt Verbum in fine orationis con-

contrà, quàm à natura ipsius rei suppeditaretur. quo more præpositū est Adiectiuum Substantiuo: & verbo Aduerbium. Sic in Tripudijs sinistro pede mouemur primùm, cùm natura dextrum primùm moueat: vt arte id factum, non cuiusuis communi lege videatur.

CAPVT CLXI.

Affectus Aduerbij.

PRoprium est Aduerbiorum quorundā assumere sibi quædam Nomina, Vbi gentium, Terrarum, Loci: eiusdem naturæ, Nusquam, & Longè: respexere enim significatum: est enim Vbi, quasi dicas, Quo loco terrarum? Sed & tempus cum loco communicatum, Interea loci: cognati enim inter se sunt. Magna autem Affinitas Aduerbij cum Nomine, vt diximus: Itaque & à Nomine fit Hoc die, Hodie: & facit Nomen Hodiernus. Adeo, vt etiā casum retineat Nominis, vnde fit: quemadmodum Nomen retinuit casum Verbi, vnde fiebat: vt apud M. Tullium in Tertio Officiorum: Conuenienter naturæ viuit. quia etiam conueniens. hoc autem, quia cōuenit: Græcorum imitatione factus Atticismus, ὁμοίως σοι. Eadem affinitate casum quoque pristinum retinuere: In Recto, Fors: à quo cōpositum per dubitationem cum An, Forsan: & Verbo interposito, Fors sit an. In Secundo casu, Belli. & apud Comicum iocosè, Foci. In Tertio, Ruri. In Quarto, Romam. In Sexto, Forte: qua forma fuere, Citò, Falsò, Serò: & horum secutum analogiam verbum vnum, Præsto. Interdum etiam mutantur,

vt,Modus,Modo,Mox.

Sic etiam retinet naturam transformatæ in se Præpositionis cuiusmodi est *Cum.* coniungit enim tempus, Cum veneris faciam: vt officium meum cum aduentu tuo coniungatur. Itaque relatiua quædam facta sunt, Cum doctus, tum probus: id est, quo tempore doctus, eo tempore probus: coniungit cum doctrina mutuò probitatem. Sed hæc minutius in libris Originum dicta sunt.

Proprium etiam, inter se vsum commutare: sic dicimus, Illico, pro tempore: sed fuit, in loco: &, Hesternum panem atrum: pro pridiano. Refert enim Heri, loquentem tantum: sicut Cras, & Hodie, & Perindie. Imitati sunt Græcos, qui χθὲς ad hunc modum dicunt: vt est etiam apud Lucianum, in ἐνυπνίῳ.

Proprium item habere comparem, vt Haud, Non: & non habere, vt *Ne*: prohibet enim, non negat: quanquam in compositione positum inuenias negatiuè, Nequaquam, Nequicquam, Nefrendes: sicut Non, prohibendo apud poëtas.

Item habere seriem tēporis, Hodie, Heri, Nudiustertius, Quartus: & vt fecit Plautus, Quintus, Sextus: Cras, Perendie. Item minutiora: Nunc, Modo, Dudum, Nuper, Iam, Iamdudum, Iampridem. & futurum, Mox.

Præterea quemadmodum amisso casu Præpositiones abeunt in Aduerbia: sic aduerbia in Interiectiones: Euge: nam hoc fuit εὖγε. at Penè, Aduerbium est.

Item communicare eidem terminationi diuersum modum significandi, vt Cœlitùs, de loco est;

eſt, οὐρανόθεν: Diuinitus, θεόθεν: at Publicitus, non eſt δημόθεν, ſed δημόθι: habet tamen motũ quendam à populo: ſic Primitus, à Primo.

Falſum autem eſt, quod dixere, Caſum habere Aduerbia. vt ponebamus δημόθεν, δημόνδε, δημόθι. ſed à Caſu ducta, eo caruere: quare etiam contraria additur Præpoſitio. οὐρανόθι πρό. Item Perſonam attribuere auſi ſunt ridiculè, Mecum: oratio enim eſt facta vna. ſi enim ſit Aduerbiũ, ergo dicas, Ego cũ: Aduerbiũ enim nullũ caſum exigit.

Falluntur æquè cùm dicunt, Heu eſſe notam reſponſionis ad Heus: nam ſanè nullũ exemplum afferunt.

Ponitur autem Aduerbium pro Nomine: Sic erat conſilium: id eſt, Tale: aut ſit Pronomen, Hoc. Et apud Vergilium, Terrorum ac fraudis abunde eſt: id eſt, copia. & Græcè ſcit, pro Græca. Pro Pronomine: Hinc illæ lacrymæ: id eſt, ex hac cauſſa. Sic, Vnde: pro, A' quo. Pro Præpoſitione, Intus templo, apud Vergilium, pro, In templo. Sed eſt expoſitio in voce Templo, vocis Intus: ſicuti cùm dicis, Feram leonem: poterat enim eſſe, Intus, alibi quàm in Tẽplo. Quod autem dicunt, Pridie Calendas, eſſe Aduerbio poſitum, pro præpoſitione, falſum eſt: nam Pridie. eſt oratio cõpoſita, ſicut Mecum: Præ die: &, Calendas, eſt vox termini in quem tempus abit, ſic, Eo die, qui ante Calendas, & ad Calendas, (vt ita dicam) it. Itaque etiam dicimus, Pridie Calendarum: quanquam durius, in quarto caſu. Sed factum eſt analogia aliorum, vt quia diceretur, Quarto Calendas, id eſt, Quarta ad Calendas:

ita etiam, Pridie Calendas. etsi non erat ante eum diem, qui iret ad Calendas. Huius motus ratio & caussa elicitur ex modo loquendi Ciceronis: In ante diem nonum Cal. Pro Coniunctione: Quando, pro Quoniam.

IVLII CAESARIS SCALIGERI

DE CAVSIS LINGVÆ LATINÆ, LIBER DECIMVS.

CAPVT CLXII.

Interiectionis natura, & Ratio.

INTERIECTIONEM veteres cùm à situ & nominarint, & definiuerint, nequaquam à cæteris partibus distinxere: nulla enim pars orationis non interponitur. Sed ita intellexere, Interponi, quasi alienam à cæterorum structura: sicuti dicimus Interuenire. Verùm nomine paulo licentiore vsi sunt: nam &, Iacere, est duriuscula vox: & actionis significans terminatio. Nam Coniũctio sit, quæ cõiungit: at Præpositio? neque enim præponit, sed præponitur: ita Interiectio nõ interiacit,

cit,sed interiacitur,& interiacet.at à Iacendo,Iactus,aut Iactio non ducitur:vel si ducatur,rarius, vt diximus,sanè sit. Antiquorũ simplicitatem recentiores castigare aggressi accuratius definiuere,sic,Interiectio est,quæ sub rudi, inconditáque voce affectum animi demonstrat. Verùm hæc & falsa est, & cũ aliis quibusdam partibus communis. nã quid appellamus rude, quod vocem pronunciantis exasperat, vt duplici consonante, Euax:aspiratione, Ohe:mutarum obscuriorum terminatione,At at. Verùm enimuero aut tales,aut etiã duriores alibi inuenias offensiones. Verborum personæ eadem muta aliquot finiuntur, atque etiam obscurius sanè in plurali,Dormiũt. Aspiratio per omnes penè partes cõmeat: Honor, Haurio,Heri. Duplices onerant frequentius nomina,Felix,Xenophõ:quid rudius, quàm Extra, Intra, Infra? Quid simplicius,quàm o? Præterea quid est Inconditum? quod incompositum suam sedẽ amisit: Inconditas ædes,Incondite fluctantes acies,Agmen inconditũ. At nullus locus Interiectioni fraudi est:quare falsò à priscis dicta est Interiectio,quæ etiam præponi, etiam postponi, etiam sola poni possit. Quod autem animi,aiunt, significare affectionem, nõ est ab eis declaratum: nam vox hæc, Dolor, animi affectum significat: at Heu, non significat dolorem, quemadmodum Balteus ab Imperatore militi datus non significat militiã,neque enim est vox:neq; actio inciuilis Cimonis,significat stoliditatem: sed notæ tamen & signa sunt,illud militiæ,hoc stultitiæ: Sic Heu,dolorem non significat,sed est dolentis ani-

mi nota:-itaque sola posita explet audientis animum indicio suo. Quæ caussa fuit plena optimi consilij, qua maiores nostri ab Aduerbiis distinxerint. Est igitur Interiectio nota animi affecti, quæ nullius orationis indiget adiumento. Quare sequitur illa natura, vt careat inflexione: sibi enim vnusquisque affectus præscribit certos limites:non enim continuatur dolor admirationi,sed penitus distinctus est. Quare diuersarum quoque vocum ministerio designantur. Quot igitur animi affectus, tot erunt interiectiones. Minamur,Væ: admiramur,Papæ: fastidimus,Ohe:dolemus, Hei: pauemus, At at: indignamur, Vah: percellimur,Au:abhorremus,Phy:optamus,Vtinam: abiicimus, Apage: Laudamus,Euge: Attestamur, Doctis, Iuppiter,& laboriosis:sicut & apud alium poëtam, Nauibus, infandum, amissis. & Homericum illud,σχέτλιος,in fine periodi:mirificus enim ornatus orationis est, & augustiores efficit animi motus, quemadmodum in libris Poëtices à nobis exactissimè dictum est.Sic est apud eundem diuinum poëtam:

Hunc ego te Euryale aspicio?túne illa senecta
Sera mea requies?potuisti linquere solam?

Perfecta erat oratio:at incomparabilis ille vir non satis habuit,addiditque,

Crudelis- Nam etsi nomina sunt, tamen vim illam plenè obtinent. Iurantis quoque animus Interiectionis potius,quàm Aduerbij nota explicabitur, Profecto, Mediusfidius: & asseuerantis, aut sciscitantis, vt Sodes: & illud Terentianum,

ST,

ST, Indicentis silentium: quemadmodum etiam apud Plautum. Ex hac essentia atque vsu, illud enatúm est, vt etiam casus quosdam quærant sibi: in caussa enim est efficacia significatus, Væ me, Væ mihi. Certos aliæ sibi casus vsu potius quàm ratione asciuerunt, Heu me, Heu mihi, O ingentem confidentiam.

CAPVT CLXIII.

Voces quædam ab Interiectionis natura excluduntur.

CVm igitur affecti animi nota sit Interiectio, quærat aliquis, an brutorum voces in hunc ordinem sint redigendæ, Cra, Vhu, Cucu, Be, Bau, & eiusmodi. fortasse earum aliquæ sint, nihilominus, quàm nostrum Au: sed non recipiũtur in orationem, sicut neque alia ficta à poëtis, nisi per iocum, aut figuram, βρεκεκεκὲξ, θρεττανελώ, τήνελλα.

CAPVT CLXIIII.

Caussa efficiens, & materialis & affectus ab his, & ab essentia.

ESsẽtia Interiectionis, & finis hic est: origo autem multarum ab ipsa statim natura est: In metu enim vocem edimus primam quanque latissimam, Hu: in dolore Hoi, Hei, apud Plautum: aliæ autem ab aliis partibus subductis ex integra oratione, vt dicebamus, Iuppiter, Infandum, & eiusmodi. Item ab Aduerbiis, aut Coniunctionibus, aut Præpositionibus: nanque O, à vocandi munere acceptum, transferimus sine causu in

admirationem,aut vota:

O mihi præteritos referat si Iuppiter annos.

Vtinam Coniunctio fuit Vt, & additum est Nam:sicuti in Quianam:significat enim Vt,finē, quem in optando animo concipimus semper, non semper oratione explicamus. Coniunctio est At: geminata in metu nónne aduersatur imminenti periculo? A' Verbis quoque manarunt: Sodes.

Proprium ergo est aspirari iisdem de caussis: Aspiratio enim explicat suspiria, & difficultatis nota est. Itaque à Græcis sumptam seruarunt, Phy,φεῦ,Heu:non inuētam addidere,οἴ,Hei,Hoi, quibusdam initio,Hau:aliis in medio,Eheu,Vaha:aliis in fine,Proh,Oh,Ah,Veteres tamen negant,vllam vocem in fine aspirari:quare fuit,aiūt, Ah a.nostra nihil interest, quid senserint agrestes Opici: nā meliora secula ita pronunciarunt,Vah, Ah: quare etiam plus afficit Proh, quàm Pro: &, Oh,quàm O'.

Proprium etiam cómponi, vt οἴμοι, Mediusfidius,Heuheu:quare non rectè omisere Figuram.

Proprium etiam, nullo ordine statui: & ratio sanè subest valida: perturbatus enim animus, aut præuenit affectum oratione, aut affectu orationem: quare non rectè Ordinem: veteres assignarunt.

Propriū etiam carere specie,contrà, quàm dixere: neque enim vna ab alia deriuatur: nanque Eheu cōposita est,non deducta.Igitur hoc erunt consequutæ,vt inter se dicantur Infectę:sic enim voces primitiuæ à Varrone appellantur in secundo

cũdo de Analogia. Dico autem, inter se: propterea quòd ab alijs, vt diximus, deriuantur partibus.

Antimeria autē nulla afficitur alia, quàm quæ dicta est, vt pro integra oratione ponatur. Catullianum enim illud, *Iupiter: sic est*, *O Iuppiter, tu testis esto.*

IVLII CAESARIS SCALIGERI

DE CAVSIS LINGVÆ LATINÆ, LIBER VNDECIMVS.

CAPVT CLXV.

Nomen & essentia Coniunctionis.

GRAECORVM secuti quidam libentius interpretationem, quàm vocis concinnitatem, Cōiunctionem, quàm Coniunctionem dicere maluerunt. At verò & vsitatum nomen aptius sonat, & duritia translationis prohibet sic innouari: lenius enim dicimus Iungere quàm Vincire: quanquam Sextus quoque Pompeius σωνδεσμὸν potius Colligationem dicendam censuit. Cōiunctionis autem notionem veteres paulo inconsultius prodidere: neque enim, quod aiunt, partes alias coniū-

git : ipſæ enim partes per ſe inter ſe coniunguntur : Verbum nanque Nomini iungitur affinitate numeri,& Perſonæ.Sed coniunctio eſt,quæ coniungit orationes plures, ſiue actu, ſiue poteſtate: nam,Cæſar pugnat, Cæſar ſcribit, duæ ſunt orationes ſeparatæ,quæ Coniunctione in vnum coaleſcent : actu igitur duæ ſunt:at Cæſar & pugnat, & ſcribit, poteſtate duæ ſunt: quoniam Cæſar bis eſt repetendus.

CAPVT CLXVI.

Inueſtigat ſubtiliſſimè cauſſam ſpecierum.

IGitur hæc Coniunctio cùm fieri poſſe videatur, aut ſecundum ſenſum tantùm, aut ſecundum verba tantùm, aut ſecundum vtrunque: ex ipſis rebus quemadmodum hæc rectè fiăt, videamus. Res aut neceſſariò cohęrent, aut non neceſſariò cohærent,aut neceſſariò non cohærent.Neceſſitas autem duplex : aut abſoluta, vt Deus eſt: neceſſariò enim eſt non ab alio,ſed quia immutabiliter eſt:eſt nãque Neceſſe, quod nec eſſe aliter poteſt. Theologi autem abuſi ſunt hac voce, vt eam à Deo excluderent: quaſi idem eſſet neceſſe, & coactum:at enimuero ipſis,vt libet:vocis verò ratio eſt,Perfectio : contingens enim pertinet ad imperfectionem. Alia eſt Neceſſitas dependens: hæc in Deo nulla eſt: Deus enim eſt, Primum, & Simplex,& Potẽs omnia,& Omnium cauſſa. Huius Neceſſitatis duæ ſunt ſpecies, ſiue modi: nam ipſa cauſſa, quã aliquid ſequitur, aut extat ſuapte natura:aut nõ extat quidem, ſed per ὑπόθεσιν ſtatuitur.exemplum primi eſt:Homo,ergo diſciplinæ

næ capax. hic, Homo, caussa est, & seipso extat in oratione. At non ita in secundo modo, cuius exẽplum hoc esto: Si ambulat, mouetur. hic enim nõ statuitur Ambulatio. ex his igitur coniunctionum species sunt eliciendæ. Ergo secundum sensum tantum quæ coniungant, non reperientur, propterea quòd sensus notæ voces sunt: quare omnes verba coniungunt, sed earum quædam etiam sensum, quædam non.

CAPVT CLXVII.

Copulatiuæ.

AVt ergo sensum coniungunt, ac verba: aut verba tantùm coniũgunt, sensum verò disiungunt: &, si sensum coniungunt, aut necessariò, aut non necessariò: &, si non necessariò, tunc fiũt Copulatiuæ, quas Connexiuas vocat Gellius libro decimo, & sunt hæc, *Et*, Quæ, Ac, Atque: vt, Cæsar doctus fuit, & pugnax: non enim necessariò cohærent hæ res, quare etiam possunt disiungere apposita negatione, Cæsar doctus & non timidus: sic, Neque crudelis, neque timidus.

His addidere suspensiuas, hoc exemplo, Et fugit, & pugnat: sed frustra: merito enim verborum fit hoc: vt, Homo est, & inhumanus. Sanè est superflua curiositas.

CAPVT CLXVIII.

Continuatiuæ.

NEcessariò autem coniungunt, cùm caussam aut præstituunt, aut subdunt. Præstituunt eæ, quas Continuatiuas vocant veteres: recentiores autẽ Cõditionales: vt, Si stertit, dormit: caussa

nanque dormiendi,etsi non est ipsum stertere,sed è contrario: tamen ipsa Coniunctio necessariò huic rei,quæ est stertere, subdit dormire:vt quéadmodum res à re dependet,ita intellectus ordine contrario.Prior est Motus,quàm Cursus: Itaque posito Cursu,etiam Motus ponetur ab intellectu: est enim Cursus caussa intellectionis Motus:hoc autem est necessarium, non absolutũ,neque positiuum,sed ὑποθετικόν.Fit autem quia cõtinetur à specie genus: item comes est affectus. Quare non rectè scripsere,Coniungi ab his sensus imperfectos:sunt enim perfectissimi hi, Dies est, Lux est. Addunt etiam id,Iungunt,inquiunt,sine subsistentia.At hoc est falsum:aliquãdo enim subsistunt,vt Nunc,cùm scribo:Nox est.& dicam: Si nox est, Sol subterra nobis est. Ergo nunc nox subsistit,& tamen est continuatiua. Sed ita dicere debuere, Sine subsistentia necessaria: potest enim subsistere, & non subsistere: vtrunque enim admittunt.

Sub eodem genere sunt Abnegatiuæ: vt, Si interfuissem, pugnassem: ostendunt enim effectum abesse, quia defuerit caussa. Hoc autem non ex Coniunctione fit, sed merito Modorum, & Temporum:simile enim est id,Si interero,pugnabo.

Quæ autem non ex hypothesi, sed ex eo, quod subsistit, coniungunt: Subcontinuatiuas dixere. Caussas subdunt hæ, sic: Mouetur, quoniam ambulat. statuit enim ambulare,atq; iccirco moueri: Continuatiua autem non statuebat ambulare. Malè autem à veteribus ita dictæ sunt: nam Præpositio

positioSub,in hoc nomine aut speciem significat, vt hominem sub animali dicimus: aut diminutionem potestatis, vt hypotheten sub prophete intelligimus. At neutrum cōuenit: neque enim species esse quit certa res incertæ rei: & Subcontinuatiuæ potestas maior est, quàm Continuatiuæ. Sed ita excusandi sunt amplitudinem Continuatiuæ percipi ex eo quòd etiam impossibile aliquando præsuponit.

Ex hac quoque classe sunt Adiunctiuæ: vt, Pugna, dum vir es. Et quæ generis nomine Caussatiuas appellarunt: vt, Pugnaui, quia læsus fui. Et Approbatiuæ: vt, Pugnaui, equidem læsus. Collectiuis eadem natura, sed distant ordine: præponunt enim caussam: vt, Homo, ergo animal. Similes huic sunt, Igitur, Quare, Itaque, Quod: sic, Cæsar fuit Dictator, quare omnia occupauit. Exemplum vltimæ, Veni ad te euocatus: Pugnaui iussu tuo, vici: Regnum recuperasti, miser propterea sum: Quòd te per communes rerum vicissitudines rogo, subueni mihi. deest enim Præpositio, sic. Propter quod: dicimus enim etiam, Propterea, & Iccirco, & alia.

Et omnino quæ aliquam caussam apponunt ad intellectum: Efficientem sic, Quia iubes, faciam: tu enim moues me ad faciendum. Finalem sic, *Do*, vt des. est enim Vti, ὅτι. Possunt autem & hæ, & aliæ trāsponi: Quia dabis, do. Has antiqui Perfectiuas, & Absolutiuas nominabant: inter quas etiam Quatenus recensuere, & Quo. Cùm autem addunt prohibentem particulam Ne, ludūt operam: Aduerbium enim est.

CAPVT CLXIX.

Resolutio in Copulatiuas.

RESoluuntur autem in Copulatiuas omnes hæ, propterea quòd caussa cum effectu suapte natura coniuncta est: itaque dicemus, Et do, & dabis: Et dies est, & lux est. Sic loquuti sunt prisci, Audieras, & fama fuit: quia fuit fama. Habes igitur caussam huius quoque loquutionis. Cùm autem Copulatiua duplex sit, Affirmans, & Negans: Negatiua in Affirmatiuam resoluetur, Cæsar neque timidus, neque auarus fuit: subest enim habitus contrarius, Et fortis, & liberalis. Disiungit autem negatiua propter negationem, non propter se: vt Vis vincere, nec pugnare: est enim, Et non pugnare Hoc autem percipitur ex integra: Nec, mutila est: Neque, integra. est autem Neque, & Non.

CAPVT CLXX.

Disiunctiuæ, & Subdisiunctiuæ.

QVæ igitur non necessariò, Copulatiuæ: quæ necessariò, Caussatiuæ: quarum species duæ: aut ex hypothesi, aut absolutæ. Quæ autem necessariò non coniungunt, Disiunctiuæ dictæ sunt: Aut, Vel, Siue. à quibus differre fecerunt Subdisiunctiuas, propterea quòd hæ vtranque ponerent partem ad electionem: Disiunctiuæ autem alteram tantùm. Sicut Continuatiuę alteri incertæ, alteram positam continuabant: Subcontinuatiuæ vtranque positam, alteram alteri subcontinuabant. Et sanè nomen Subdisiunctiuarum rectè acceptum est: neque enim tam plenè disiungit,

git, quàm Disiunctiuæ: Nam Disiunctiuæ sunt in contrariis, aut Positiuè, vt, Aut sanus est, aut æger: aut Priuatiuè, Aut dies est, aut nox: aut Relatiuè, Aut pater est, aut filius. Subdisiunctiuæ autē etiā in nō contrariis, sed diuersis tantùm: vt, Alexander, siue paris. Differunt igitur inter se secū-dum contextum orationis: propterea quòd disiū-ctiuarum partes nūquam cohærent, sed sub contradictione positæ sunt; at Subdisiunctiuæ non item. caussa est, quia Subdisiunctiuæ ortæ sunt à Conditionali, quæ etiam impossibile admittit sic, Si tu homo sis, si, ve Equus, si, ve lapis: necesse est corpore præditus fueris: sic. n. vsus est Terentius.

Quas autem vocant Dubitatiuas, eæ ad Disiū-ctiuas rectà accedunt: ac magnum sanè ambitum nactæ sunt, quippe ex omni oratione potest oriri dubitatio: adeo vt Sceptici etiā τὰ ἀξιώματα ponerēt in disceptationem. Post dubitationem fiet quæstió per interrogationem. quare modus quidam est orationis, non species, vt cùm dicam, Eloquar, an sileam? intelligo mihi aut loquendum, aut silendum.

Quoniam verò alterum capimus pro certo in disiūctione: iccirco vsus rapuit *Vel*, ad vtriusque partis affirmationem, vt & separata intelligas natura, & vtraque posita, veluti alterum tantùm ponebatur à Subcontinuatiuis: exemplum hoc esto, Vel quia es homo, vel quia nobilis, vel quia Romanus, noli pati seruitutem. vnam ex his capere possis caussam, at tres ipsas omnes afferre queas. Terentius etiam solam posuit semel: Vel Rex mihi gratias agere. subintelligas, vel alij:

ſed potiorẽ partem ſatis habuit ponere. ἐπιλεκτικάς Græci vocant, nos Electiuas. huius eæ quoque generis ſunt: vt, Malo Cæſarem, quàm Catonem. Nam etſi alterutrum non capiunt, ſed deſignatum tantùm ſumunt, latiore tamen diſiungẽdi voce ſubijciuntur, quemadmodum dicebamus de Vel, apud Terentium. Commoda vel mulum, vel equum. malis tamen Equum: neque enim copulatiuæ ſint, abijcitur enim alterũ mẽbrum diſiunctum. Quid ſi Aduerbia hæc ſint Comparationis? nam dicimus, Tam volo Cæſarem, quàm Catonem: quia Nomina ſic iubẽt, Tãtus Cæſar eſt, quantus Cato. Vſus poſtea inæquali Comparatione etiã retinuit, vt ſicut erat Tam, quàm: ſic ſit, Magis, quàm.

Aduerſatiuæ quoque ad Diſiunctiuarum naturam accedunt: propoſitæ enim rei aduerſantur: diſiungunt igitur neceſſariò: Quanquam Cæſar nobiliſſimis auis ortus eſt, tamen deterioris imperio paret. ſeruitus enim aduerſatur nobilitati. Huius notæ ſunt, Quin, Imo, Atque, At: vt apud Liuium in Tertio, Si plebeiæ leges diſplicerent: at illi communiter legumlatores & ex plebe, & ex patribus ſinerent creari. In eandem ſententiam admittitur etiam Saltem, ſic, Saltem me interfice, ſi liberare nõ vis. idẽ eſt, Aut libera, aut interfice, Sic, Quanquam potes liberare, tamen morte hoc ſi facias, gratum erit. Diminutiuas appellant has Latini, Græci ἐλαττωτικάς.

CAPVT CLXXI.

Completiuæ.

Com-

COmpletiuæ autem etsi ornatus magis causſa, quàm rerum neceſſitate inuentæ videntur:tamen augent ſenſum orationis:atque ita augent, vt pene cùm Subdiſiunctiuis ineant ſocietatem: Ego quidem ſcribo, tu verò legis.diſiungit enim ſenſum appoſitæ orationis, ab intellectu propoſitæ.

CAPVT CLXXII.

Summa.

HÆc igitur ſic ſe habent certis concepta generibus, quæ ab antiquis & fuſè,& confusè prodita fuerant:iungunt enim aut verba tantùm, aut etiam ſenſum: quare tribus claſſibus diſpoſitæ ſunt:aut enim iungunt neceſſariò: aut non neceſſariò,aut neceſſariò non. Neceſſitas autem,aut eſt propoſitione priore ſubſiſtente, aut ex hypotheſi.

CAPVT CLXXIII.

Cauſſa efficiens, & materialis.

ESſentiam finémque Coniunctionum ſatis aptè explicatam puto:nunc earum originem, materiámque videamus. Neque verò ſigillatim percurrere omnes in animo eſt. In primis nãque libris Originum exactiſſimè poſita ea opera à nobis fuit: ſed vt vniuerſalis natura plenius declaretur. Quædam igitur à Græcis ductæ ſunt integræ, quædam interpolatæ. Integra eſt *Ne.* νέποδες enim dicti ſunt à Græcis piſces, vt apud Oppianum: vnde etiam noſtra Nepa, pedibus enim minimè valet: niſi mauis eſſe vocabulum Punicum, nam à barbaris ita dicta fuit. Vti, eſt

mutata, ὅτι: ſicut ἔτι, *Et:* ſicut Que, καὶ, abiecto diphthongi ſono, quemadmodũ δὲ, δαὶ. Multæ cum Aduerbijs communem ſonum habent: *Vt*, Quãquam: atque etiam naturam, eſt enim Vt, Aduerbium ſimilitudinis, & eſt cauſſæ finalis indicatiua Cõiunctio: nihil enim ſimile magis rei motæ, quàm finis. Sic aduerſatiua Quanquam, Aduerbij veſtigia refert in comparatione: Quanquam es nobilis, tamen es prauus. idem eſt, tam es prauus, quàm es nobilis. Sic Aut, fuit Haud: eadem enim vis occulta, Aut da, aut accipe. negat enim omnis diſiunctio, quoniam ſemel ponebant, Da, aut accipe. fuit enim ſic, Da, non accipe: &, Accipe, non da. poſtea miſcuere, Aut da, aut accipe. Ita Ve, & Vel, proximæ ſunt. Si, fuit εἰ, addito ſibilo: à qua ducta eſt Sic: fuit enim Sice, ſicuti Nece, Nec. Sic, eſt Aduerbium ſimilitudinis. Conditionalis autẽ Si affert ſimilitudinẽ inter cauſſam, & effectum. At, fuit Ad, acceſſionem enim dicit.

CAPVT CLXXIIII.

Affectus.

COmponuntur inter ſe, *Etſi*, *Atque*: cùm Aduerbijs, Etiam: fuit enim Et, Iam: & triſyllabum Etiam, quia Iam, biſyllabum, vt freguenter apud Comicos. Quædam compoſitæ nũquam componuntur in oratione: vt, Nequidem: ſemper enim per τμῆσιν, quanquam alicubi aliter legitur: ſed putant doctiores mendum eſſe. Cum Præpoſitionibus, Abſque Cum Verbis, Quãuis. Quædam ſemper præponuntur, Quanquam: quædam ſubeunt ſemper, Que, Ve, Ne: quædam vtrunque patiuntur, Igitur, Nanque. Cum Pronomi-

nomine,Ideo.Cum Nomine,Quare.

Proprium autẽ,vt diximus,ab Aduerbijs multum naturæ mutuari, adeo vt Aduerbio pro ipſis vtamur: Quando, pro Quoniam: nec immeritò, nam Quoniã, Aduerbium eſt, Quom, Iam. cauſſa tranſlationis fuit temporis efficacia, eſt enim menſura rerum naturalium. Et abundare, Et etiam,Atque etiam.

Ἀντιμεία ad hũc modum in Cõiunctionibus obſeruata fuit: Commutantur inter ſe: vt, Item, pro ſic, apud Ciceronem: Vel, pro Etiam. Pro Nomine ponitur, Illius ergo venimus: ſed ſanè nomen fuit ipſum, ἔργον. Pro Pronomine, Propterea quod: id eſt, propter id,quod. ſed potius eſt numerus pro numero, ſicut cùm dicimus Ad hæc,& Ad hoc.

CAPVT CLXXV.

Epilogus vniuerſalis.

EX his ſatis conſtat, non plures eſſe parteis, quemadmodùm aut rudiores, aut acutiores arbitrati ſunt: nõ igitur rectè additum, Vocabulum,ad ſignificandũ ea, quæ ſub ſenſum caderẽt: vt Paries,& Lapis,eſſent Vocabula: Virtus autem & Anima,eſſent Nomina:propterea quòd intellectu tantum caperentur.Patet enim,Vocabulum eſſe genus ad omnia:nã etiam Amo,cùm pronũciatur, Vocabulum eſt:vt Stabulũ,vbi ſtatur:Pabulum,vbi paſcitur:Tintinnabulum,quod ſonat: Vocabulum, quod in voce eſt. Eiuſdem ſuperſtitionis, & pluſquàm Græcè in minima diuidere,quæ vnius corporis ſunt:vt in Aſſeuerationem ea,quæ eſſent Interiectionis,cuiuſmodi putarunt

Heu. Et Attractionem ea, quæ ad Aduerbium attinebant, quale est Fasceatim: quæ enim Attractio sit, Viritim consulere, quos non trahis, sed adis? Quæ omnia iure optimo à doctissimis ante nos explosa sunt.

IVLII CAESARIS SCALIGERI DE CAVSIS LINGVÆ LATINÆ, LIBER DVODECIMVS.

CAPVT CLXXVI.

Consilium operæ amplioris, & de Figura.

IAM satis videbatur elaboratum vel mihi, qui fortasse etiam quę nusquam essēt, excussissem: vel aliis, qui coacti sunt aut aliter sentire, quàm essent hactenus professi: aut irridere curiosam nostram diligentiam. Verùm interest accurati procuratoris, non solùm eorum tenere rationem, quæ in familia sunt: sed etiam agere, vt siquid surreptum, aut extortum, aut alio quo modo debitum sit, eo recuperato census augeatur. Itaque cùm veterum leges, eorúmque consilia à nobis hactenus explicata sint: superesse videtur, vt siquid extra easdem leges receptum sit, more nostro & recen-

sea-

ſcamus,& eius inſtituti reddamus rationem.Igitur loquendi modos quoſdam Figuras priſci malè nominarunt: omnis enim oratio figurata eſt: eſt enim Figura qualitas extremitatum in corpore: Oratio in voce eſt, vox in aëre,aër corpus: ergo quaſi lineamenta ſunt quædam huius corporis,vocum elationes,depreſſiones,productiones,correptiones,aſpirationes,attenuationes,inceptiones,terminationes. Quare quocunque loquaris modo,non aberit Figura. veteribus tamen ita libitum fuit, vt non quæuis loquutio Figura præſcriberetur: ſed aut in materia ipſa aliquid quaſi peregrinum,aut in forma quod eſſet, Figura diceretur. Ac Quintilianus quidem quemadmodum & ſenſerit,& ſcripſerit de his, palam eſt. τρόπους enim, & σχήματα,vti fierent,docuit: ſed adeo ipſe perplexus fuit, vt cùm diſtingueret, eadem diſtincta non agnoſceret. præſtat autem ſic intelligere, quæ ad formam pertinerent orationis,id eſt ad ſententiam, ea eſſe διανοίας & tropos dici: quæ autem ad materiam, ea eſſe λέξεως, & ſchemeta: nam σχῆμα corporis eſt: τρόπος, animi. quare eos,quaſi mores,modóſque orationis,quibus ipſa quaſi & animatur, & mouetur ſimul, ac mouet,oratori relinquemus. Quæ autem verborum lineamenta ſunt, ea aut ſunt vſitata, & ad numeros pertinent, vt Similiter cadens, & eiuſmodi: aut ad ſtructuræ variationem. Illa igitur ad politiorem ſpectabunt ſcripturam,hęc ad ſcribendi, loquendíue leges: vtraque autem Figura continebuntur. Quare illas oratori, hiſtorico, poëtæ deſtinabimus: harum nos cauſſas præſen-

ti opera inueſtigandas curabimus.

CAPVT CLXXVII.

Appoſitio.

CAuſſa, propter quam duo Subſtantiua, non ponũtur ſine Copula, è Philoſophia petenda eſt: neque enim duo ſubſtantialiter vnum eſſe poſſunt, ſicut Subſtantia & Accidens: itaque non dicas, Cæſar Cato pugnat. Si igitur aliqua Subſtantia eiuſmodi eſt, vt ex ea, & alia, vnũ intelligi queat, earum duarum Subſtantiarum totidem notæ, id eſt nomina, in oratione ſine Coniunctione cohærere poterunt. Quare propoſitum nomen amplioris intellectus, ſubeuntis nominis præſcriptione moderabimur, ſic, Vrbs Roma: poſita enim Vrbis vox, deducet meum intellectum per omnes vrbes, donec addito Romæ nomine caſtigabitur. Eſt autem amplitudo huius intellectionis duplex: aut enim eſt Vniuoca, vt Vrbs, Arbor: aut Æquiuoca, vt Lepus, Lupus, Turtur: ſignificant enim & piſcem, & alia animalia generis diuerſi: itaque in præſentia ſunt maioris ſignificatus, quàm Piſcis: quod tamen eſt nomen latiſſimi generis: Complectitur enim plura Piſcis, quàm Lepus. Sed iccirco fit hoc loco, quia Æquiuocum nullo certo genere ponitur: eſt enim Lupus, & in Piſcibus, & in Terreſtribus, quæ duo ſumma genera ſunt. Eſt & alius modus moderationis à denominatione: nam ſi dicas Cæſar, multas virtutes aut vitia poſſis attribuere. Itaque temperabis eum curſum tam vagum, appoſitis nominibus, Imperator, Dictator. Et alio flexu ſic, Catilina peſtis rerum Romanarum:

manarum: Procas Romanæ gloria gentis. Fit etiam quarto modo, cùm transfertur figuratè denominatio in primitiuum. Zoilus vitium, pro vitioso. Caussa autem huiusce loquutionis fuit articul⁹ Græcus. λαγὼς ὁ ἰχθῦς, Καῖσαρ ὁ αὐτοκράτωρ. Euenit autem aliquo modo, vt vtrunque altero maius sit. quare sine vllo discrimine commutare sedes inter se queunt. Exempli gratia, Lepus piscis:&, Piscis lepus. est enim lepus sub pisce, tãquam sub genere. Iccirco pessimè errarunt, cùm putarent sic dicendum, Fratres gemini: non sic, Gemini fratres. Etenim fratres esse possunt, nec gemini:&, gemini, nec fratres. vt omittam, non esse appositionem hîc ex Substantiuo & Adiectiuo. Sic dicas, Flumen Renus: quia alia quoque flumina sunt: &, Renus flumen: propterea quòd nihil interest, aliquid ita sit, an ita esse putetur. itaque etsi Renus, non est æquiuocum, tamen nescienti quid Renus sit, æquiuocum esse potest, quemadmodum sanè est: nam etiam Bononiensis fluuius Renus est. Sed par sit aliorum quoque ratio: nam Taxus æquiuocum non est, & tamen ad explicandam eius naturam, additur Arbor: possim enim herbam, aut etiam montem intelligere. Hoc per initia ita factum est, ac postea etiam non necessaria tenuit consuetudo: sic enim fit in vsu ciuili quoque, & militari, vt Cristas etiam in pace gestemus. Vergilius autem commutauit sedes ob carmen, Castaneásque nuces-omnis enim Castanea nux est. Nam posita specie, genus non debet apponi, vt diximus, nisi ad explicationem: quod si

apponitur, decet ipsum coarctari ad angustiora: vt cùm dicas, Cæsar homo imperterritus: est enim Homo genus: at cùm addis Imperterritum, cogis in arctiorem significatum: quia possit esse, & non esse Imperterritus. An verò sit Appositio ab Adiectiuis?

Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis.

Non ita est, sed Tropus ἀσυνδετον: & repetitur intellectione, tectum. Hinc patent nugæ Grammaticorum, qui negant rectè dici à Vergilio, Vrbem Pataui: cùm tamen omnes ita sint locuti: In oppido Cumarum, Palladius: In oppido Antiochiæ, Cicero: & eodem filo Liuius, Vrbs Romana: est enim in illis casus Possessiuus, in hoc nomen ipsum. ac quanquam possidens & possessum diuersa esse debent: tamen hæc duo, quæ vnum sunt, Vrbs, & Roma, duo esse aliquo modo intelligentur: quasi vrbem Patauinorum dicas, & Romanorum. Et sanè duo sunt: nam Vrbs, est appellatiuum: Patauium, proprium: quasi proprium possideat appellatiuum. sicuti dicimus, Vrbs nominis inclyti: sic, Vrbs nominis Pataui.

CAPVT CLXXVIII.

Euocatio.

EVocationem dixerunt, cùm tertia persona euadit prima, aut secunda, quasi hæ euocent illam de sua statione, aut ex hybernis: vocabulum enim est militare. apponunt exemplum, Ego Cæsar scribo: Tu Cato legis. verùm hoc à nobis iam improbatum est: Omne enim nomen cuiusuis per-

personæ est, sed non variatæ: sicuti Felix, cuiusuis generis eadem voce: ridiculum enim est. Cæsarem in me esse personę Tertię: nunquam enim loquens, aut scribens de me, essem personę primæ. Neque possem dicere, Ego sum Cæsar. Nam si esset personæ Tertiæ: possem item dicere, Ego sum ille: &, Ego sum persona tertia.

CAPVT CLXXIX.

Conceptio.

QVemadmodum vna fieret oratio, in superiore libro, & alibi dictũ est. Coniunctione enim fit vna: Cæsar, & Cato equitant. Equitatio hîc vna est in duobus. Itaque aliquando subiecta intelligis: quæ quia sunt plura, pluralem numerum appones. Aliquando prædicati vnitatem communem vtrique accipies: quare numerum attribues vnitatis, Cæsar, & Cato equitat. Maluerunt igitur illam esse figuram in plurali, quàm hanc in singulari. Et ratio est, quia Cõiunctio repetit numerum singularem: ostẽdimus enim duas esse orationes potestate, quare vtraque erit singularis. Neque verò sola Copulatiua hoc aget, sed & Disiunctiua, sic, Aut tu, aut Cæsar date mihi facultatem scribẽdi. Paulo figuratius eadem oratio in obliquis versatur, sic, Cæsar cum Catone disputant. Cuius loquutionis necessitas euenit ad euitandam ambiguitatem. si diceres, Cæsar cum Catone disputat: non vnionem, sed controuersiam posses accipere. Sed illa longè figuratior apud Ouidum.

Ilia cum Lauso de Numitore nati.

Neque enim Ilia erat nati, sed nata cum Lauso.

Ec

Itaque ante quàm reddas Verbum Recto, Rectus cum Obliquo ita ſunt coniungendi, vt vnum ſit è pluribus, quibus pluribus Verbi numerus reſpondeat. Rectè verò putarunt illam eſſe figuram apud Poëtam,

Cana fides, & Veſta, Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt.

Sed nos etiam vtroque modo figuram intelligimus. Fides, & Veſta iura dabunt: & alteram in obliquo, Quirinus cum Remo.

Fit autem hæc vnio non ſolùm in Numero, ſed etiam in Perſona: vt reddatur verbum primæ, & ſecundæ, non ſine cauſſa: Nobiliori enim debetur. Quæ loquitur, nobiliſſima eſt: facit enim orationem: & ſibijpſi, vt ita dicam, proxima eſt: mox ſecunda. Itaque cùm ſe ipſa poſuit, non poteſt ad aliam transferre verbum: ſic enim definiebatur, Quæ de ſe ipſa loquitur: ita igitur loquemur, Ego & tu ſcribimus: Tu & Cato pugnatis. Eadem nobilitatis ratione in genere fit Figura, vt Maſculino reddatur, aut Fœminino. Cùm ergo & in Numero, & in Perſona, & in Genere fiat Cõceptio: illud habet propriũ ſibi, vt in Numero ſolo poſſit fieri. Cùm autem ſit in Perſona, aut in Genere ſemper etiam Figura numeri adſit. Ego & Lucina læti viuimus: Tu cum matre lauti cœnatis. Atque iccirco dicta cõceptio eſt duabus de cauſſis: aut quia minus à maiore: aut quia minus nobile à nobiliori continebatur. Quemadmodum verò autores ea vſi ſint, ad Grammaticum eum ſpectat, qui docet componere orationem.

CAPVT.

CAPVT CLXXX.

Iugatio.

PRoxima huic Iugatio eſt, quàm Zeugma Græco vocabulo maluerunt appellare, cum tamen Latini alijs vterentur. Nam quemadmodum in Conceptione quod vnius erat, commune euadebat: ſic in Iugatione, quod vnius eſt, ita ad eum pertinet, vt eius ſignificatui adiũgat alterũ. Per Conceptionem ſic loquare, Tu & Lucina mihi cari eſtis: per Iugationem ſic, Tu mihi carus es, & Lucina. Non igitur hic cõcipit, ſed permittit tãtundem. Eſt itaque cõceptionis vis dimidio maior. Iugum igitur quoddã quaſi eſt Adiectiuũ quo in vnum coëunt ſignificatum extrema duo: quare medio in loco ſedẽ ſibi iure vindicat. Verùm vſu extortum eſt, vt vocum ſtationes commutarentur. Itaque tribus modis excogitarunt: Primo loco, ſic, Carus mihi es tu, & Lucina. Medio, ſic, Tu mihi carus es, & Lucina. In poſtremo, Tu mihi: & Lucina cara eſt. Græca Latinè ad hunc modum interpretere, πρόζευγμα, μεσόζευγμα, ὑπόζευγμα: Præiugatio, Interiugatio, Adiugatio. Fit autem, quemadmodum & Conceptio per Numerum, Perſonam, & Genus: Tu, & mulieres bonæ ſunt. per Conceptionem diceres, Boni eſtis, Quare peſſimè aggreſſi ſunt emendare Virgilij carmen illud:

-Nihil hic, niſi carmina deſunt: & malè in ſingulari, deeſt: Sic enim dicas, Nõ quicquã, ſed carmina deſunt: idem nanque. Si non deſunt carmina, nihil deeſt: veriſſimum hypozeugma eſt.

CAPVT CLXXXI.

Anticipatio.

ANticipationem triplicem accepimus, Poëticam, Oratoriam, Literariam. Poëta antecc pit ex sua persona intellectionem cõmunem auditoris: vt,

--Portúsque require Velinos. Hic enim de sua persona occupat personam Palinuri poëta: neque enim tunc Velini portus dicebãtur, cùm Palinurus loquebatur, sic: Lauinia litora, dixit. Oratoria, est cum antecapimus locum in animis iudicũ, respõdentes tacitis obiectionibus. Literaria est, cùm præcipimus toto partes, sic, Ciues nati ad interitum Reipublicæ, Põpeius superbia Cæsar magnanimitate. Est autem maximè coniuncta figura hæc cum Cõceptione, quatenus totum concipit partes suas: neque ab ea differt, nisi distributione: & est contraria ordinatione vocũ Appositioni: Pastores compulerant gregem, Thyrsis oues, Coridon capellas: distributio est per anticipationem, conuerte sic, Thyrsis, & Corydõ pastores: appositio est. hanc Prolepsin Græcè appellarunt, quasi præceptionem.

CAPVT CLXXXII.

Compositio.

QVid esset Componere, satis superioribus libris declaratum est: quod siquis aut meminerit, aut animaduertat, intelliget non conuenire huic loquendi modo, quem sic nominarũt: Est enim hæc loquutio, cum significatum voci contrariũ, voce ipsa ducimus potiorẽ. Populus vnum significat è multis confectum, multa igitur significat per se, vnum per accidens: quare si verbum plurali numero attribuatur significatũ respiciet,

non

non vocem. Figura igitur ſanè eſt non longè à Cõceptione: Idem enim eſt Populus, & hic ciuis, & hic, & ille. Veteres autem compoſitionẽ nulla vera ratione dicere potuere. nihil enim cõponitur, ſed transfertur. Ita cum dicis, Fœtũ pecus cõponis genus cum genere, & trãsfers ſignificatum. Nã pecus genere neutro cum Mares, & Fœmellas comprehendat, affectum fœmellarum tranſtulit ad fœmellas comprehenſas. Eſt igitur potius Tranſlatio, aut Conceptio, quàm Compoſitio. Sic variatur Genus etiam: vt, Pars per agros dilapſi: quia Pars, ſit idem, quod Milites. Sic eſt apud Homerum, τέκνον φίλε. Sic eſt, Triſte lupus ſtabulis: vt illud, In Eunuchum ſuam: quoniam Eunuchus ſit comœdia: Lupus autem res: vt ſit, Triſte, Triſtis res.

CAPVT CLXXXIII.

Comprehenſio.

HVic non abſimilis Comprehenſio. Græci συνεκδοχὴν vocãt, cum ex toto excipit affectum partis, cui toto eum affectum attribuamus: Elephas curuus dentes. Hæc tota figura conſiſtit in denominatione totius à parte. Nam verum eſt, Dens eſt pars Elephanti curua: ergo Elephantus eſt curuus κατὰ τοὺς ὀδόντας. In priore figura ſignificatus concipiebat vocem, in hac pars totũ in ſignificatu. in voce è contrario Totũ concipit partem. Igitur Græcum nomen multæ efficaciæ eſt: nam σὺν, ſignificat totũ & partẽ ſimul eſſe: ἐκ, ſignificat exceptã qualitatẽ, aut aliud à parte, & tòti attributũ. δέχεσθαι, ſignificat ipſum motũ tranſlationis.

CAPVT CLXXXIIII.

Antiptoſis.

NOn possumus vnico verbo Latinè Græcum exprimere, ἀντίπτωσιν. quæ Figura multis modis fit, cùm Casum pro casu ponimus: ac fit quidem veterũ autoritate: careo pecunia & pecuniã. Sed sane hîc Figura nulla est: vsus enim extorsit postea, quo antea placitũ erat. Alius modus est, ísque multiplex, & Attici longè diuerso more vtuntur, cùm relatiui casum eundem faciunt cum antecedente, περὶ λόγων, ὧν ἔλεξα. quo modo etiam Gellius aliquando vsus est: Latini cæteri vix vtuntur. Mollissimum fuit genus illud, Quam vrbẽ statuo, accipite: at duriusculum, Vrbem, quam statuo vestra est. Iccirco non ineptè nobis pueris præceptores nostri sic interpretabantur, Vultis his regnis cònsistere: vultis vrbem quam statuo? vestra est. Verùm hic ita sit, sed profectò veteres nimis multa licere sibi voluere, velut Plautus, Aulularia, *Pici diuitijs, qui aureos montes colunt, ego solus supero.* Caussa huius orationis fuit, aliorsum intẽtus animus, deinde deflexus filus loquutionis: id quod patet ex eodẽ Plauto in Captiuis *Hos quos videtis stare hic captiuos duos, illi qui stãt, hi stant hic ambo, non sedẽt.* Dicturus. n. aliud videbatur alio verbo, cum subiũxit festiuè cõtrarium.

Hæ sunt caussæ extortæ orationis: non quẽadmodum solutè prodidere sine vlla ratione. Modos autem ampliores non est præsentis instituti contemplari: sed pertinet ad construendi leges, & obseruationes autorum reducũtúrque ad hos, quos descripsimus: veluti cum ex Affirmatiua facias aut Negatiuam, aut Dubitatiuam: aliâque eiusmodi.

IVLII

IVLII CAESARIS SCALIGERI DE CAVSIS LINGVÆ LATINÆ, LIBER XIII.

CAPVT CLXXXV.

Vocum caussas duplices esse Essentiales, & Accidentales.

HACTENVS singularum partium Formam Efficientem, Finem, Materiam, Affectus declarauimus: quíque Affectus essent ab ipsa Essentia profecti, superioribus libris dicti sunt: quíve vsu extorti, hoc postremo. Nunc autem communem omnium vocum naturam videamus, ex instituto sic repetentes: Vocũ & Materia, & Forma est, & Origo: quam pro efficiente accepimus semper: igitur caussas quoque duplices habuere: alteras Essentiæ alteras Materiæ & Accidentium. Essentiales Etymologias Græci vocant. Nam quamobrem, Amo, dicitur? quia ἅμα, & ἅμμα. & ἅπτω. Essentialis est. Quare Amo, Amas, Amat? Quia Canto, Cantas, Cantat, Materialis, & Accidentalis est. Quas caussas propterea quòd veterũ aliqui aut reiecerunt, aut negauerũt, in præsentia à nobis verioribus argumentis agendum est, vt

merito & receptæ, & probatæ videãtur. Id quod operis initio non fecimus eo consilio, quod suprà narrabamus: quum enim subiectum suum esse nullus artifex probet argumentis, neque τοῦ διότι, at ne τοῦ ὅτι, quidem: sed tantummodo redarguẽdo pertinaces: iccirco in hunc postremum librum hæc opera destinanda fuisse visa est.

CAPVT CLXXXVI.

Veterum argumenta.

ETymologiam Græci vocarunt, caussam vnde voces ductæ sunt: veriloquiũ Latinis placuit interpretari, sed quàm frigidè videamus: Nã veritas in oratione est, non in verbis priuis. Præterea λόγος in hac voce, significat rationem, non autem loquutionem, vt vera ratio potius dicenda sit: quare nos, Vocis rationem, transferre maluimus. caussam autem accidentalem ijdẽ, ἀναλογίαν eodem consilio nominarũt, id est, rationem proportionis. Eas sic destruere nonnulli instituere. Nominum, inquiunt, naturæ, nisi per nomina demonstrari nequeunt: nomina enim rerum sunt notæ. Intelligunt autem nunc per nomina, voces omnes: sicut per Tignum immittendum Iurecõsultus etiam lapidem. Quodcunque igitur declaratur, per notiorem quãpiam rem notũ fit. Ergo illa nomina, per quæ nomẽ illud definitur, nomine ipso notiora erunt. Ea porrò nomina, aut nota habebimus, aut non: at absurdum est ea ignorari, per quæ aliud notum facimus: itaque nota sunt: & si nota, per aliud sanè nota, per aliud igitur nomen. Quare vsque in infinitum: hoc autem absurdum est: non est igitur verum nomi-

nominum vllam esse caussam. Præterea Nomina esse infinita, aut omnino, aut propemodum, atq; iccirco ignota: infiniti autem finita natura nostra capax non est. Ad hæc, quæ vsu mutantur assiduo, partímque interiere, partim quotidie subnascuntur, ea ignorari necesse est: quũ æternarum tantùm rerum sciẽtia sit: est enim Sciẽtia habitus animæ certus: at corruptibilia incerta sunt. Postrema ratio hæc summos adduxit viros, vt integris contenderent libris: Quæ nullis, inquiunt, certis inter se cohærent legibus, ea nullo modo sub certas venire leges: Eiusmodi verò esse nomina. Quum enim duæ, vt diximus, caussæ sint, Etymologiam ignotam esse, vel ex eo constare, quòd super eodem vocabulo diuersa senserint autores: analogiam autem, quam æqualitatem vocant, omnino extare nullã. Quare ipsa quoque nomina per caussas nunquam nota erunt.

CAPVT CLXXXVII.

Argumenta dissoluuntur.

VT primam rationem dissoluamus, ita accipiendum est. Intellectionem nostram esse duplicem, Rectam, & Reflexam: igitur nomẽ obuium excipimus recto actu intellectus, simpliciq. fini destinatum ad significandum. Exempli gratia, Lancea, atque ibi pro nota, aut signo rei, vti dicebamus, habetur nobis. Reflectimus deinde animi cursum ab ipsa re super nomen, ipsúmque tanquam rem quandam contemplamur. Quærimus igitur tum eius caussam, inter ea quæ iam nota habemus. Quemadmodũ autem duæ essent

nominum caussæ, dictũ iam est á nobis libro tertio: quædam enim erant Deducta, quædam Primogenia. Deductorum igitur caussas esse Primogenia: Primogeniorum autem caussas cognoscere easdem non est necesse: sed Casum, aut Arbitrium inuentoris pro caussa habere satis est. Est enim duplex cognitio nostra: aut Positiua, quum cognoscimus, hoc esse: aut Priuatiua: quum cognoscimus illud non esse: hoc enim est esse illius, quia non est. Altera verò, ac tertia ratio simul, sic diluuntur: Scientia specierum est: & singularium, vt sub speciebus continentur. Ea igitur, in quæ conueniunt omnia singularia, Dictiones appellauimus. Earum essentiæ, atque affectus neque corrumpuntur, neque mutãtur: puta Species, Genera, Casus: semper nanque Casus, Casus est, semper Modus, Modus. Quæ autem singula sunt, aut non corrumpũtur, sed perstant: quare nihil faciũt dispẽdij: multæ enim voces sunt, quas nullus vnquam aut distorsit vsus, aut aboleuit. Aut si corrumpuntur, æquè scire interest nostra, ea corrumpi. Quamobrem & Corruptibilium, & Incorruptibilium scientes sumus. Corruptibilium autem rerum corruptionem non sequitur corruptio sciẽtiæ nostræ: hoc enim scimus nos, Corruptibilia esse. Idipsum igitur, quod est Corrumpi posse, nõ interit, sed semper eiusdem naturæ est: semper enim hoc habet, vt corrumpi queat.

CAPVT CLXXXVIII.

Quarti argumenti superioris probationes ab aduersarijs.

Hæc

HÆc ſic expediuimus, vt exactius quartam rationem, qua & Analogiam,& Etymologiam tollunt, perpẽdamus: quare videndũ prius eſt, quibus vtantur rationibus ad cõfirmandum, Quum Analogia,inquiunt ſit æqualitas quædam, ſecundum quàm ſimilia ducimus è ſimilibus: vt, à Fructu Fructuoſus: ſic, à Geſtu Geſtuoſus:primùm oſtendere nituntur, quòd non ſit neceſſaria: deinde quòd nullo modo ſit. Vtilitatis cauſſa inuentus eſt Sermo: magis igitur refert, vt breuis,& rectus, & ſimplex ſit, quàm longus, & varius, at æqualitas deducẽdi variat multa,non igitur admittenda. præterea Ab eodem rerum vſu reijcitur æqualitas eo nanque conſilio muliebris mundus à virili ornatu differt.itémq.in ædificiis Corinthia ſtructura à Dorica, & Thuſcanica, & Ionica lõgè alia eſt. Neque verò id ex artibus ſolùm cõiectari, ſed ipſa quoque natura latè cõſpici poteſt.Etenim membrorum compagem aliam atque aliam eſſe vſui fuit. Æqualitas igitur non ſolùm nõ neceſſaria eſt, ſed etiã officit. Quòd ſiquis ita dicat:non Vſum ſolùm quæri,ſed Elegãtiam quoque: is adhuc intelligat, magis reijciendam etiamnum Similitudinem: nihil enim propius faſtidio,nihil elegantius varietate. Ad hæc, aut Artem ſequemur,aut Conſuetudinẽ: ſi hanc, nihil opus eſt æqualitate. ſed quæcũque vſu ſuggerẽtur,ea nobis erunt ſatis. Si verò Artẽ,ac præcepta, vt æqualiter omnia ducamus, pro inſanis habeamur:neque enim id fiat,vt quemadmodum Lupus, ſic Lepus flectatur. ſed hoc Leporis, illud Lupi faciet. Non eſt ergo neceſſaria Analogia.

Quòd autem nulla ſit, ſic conantur: Abeſt ab omnibus orationis partibus: igitur nuſquam eſt. Ac ſanè in Generibus non eſt: quædam nanque trium vocum ſunt, Humanus, Humana, Humanum: quædam duarum, Ceruus, Cerua: quædam ſingulis contenta Aper. Neque ipſa Genera ſimilitudine vocum afficiuntur: nam Martia, & Siſenna, diuerſo ſexu, eadem vocis forma ſunt. Item eadem Genera vnica voce confuſa, atque ignota: vt Paſſer, Aquila: quum tamen & ibi fœmina, & hic etiam mas ſit. At ne numerus quidem agnouit Analogiam: nam quamobrem non dicimus Cicera, ſicuti Farra? neque Olea, ſicuti Vina? Nõ enim rectè reſponderũt antiqui, ob generum diuerſitatem in vino multitudinis numerum receptum eſſe: quia aliud eſſet Chium, aliud Lesbium, aliud Falernum: nam Ciceris quoque valde ſunt diuerſæ ſpecies, Folio, Siliqua, Semine. In Temporibus item deſideratur: quippe à Fleo, Fleui: à Sero, Seui: à Fero, Tuli: vbi à diſſimilib⁹ ſimilia, à ſimilibus diſſimilia orta ſunt. Item à Paſco, Paui: ab Amaſco non eſt. Modi quoque Analogiæ immunes ſunt: multi enim carent, vt Forem. Nec Figuræ dicuntur Analogia: nam quare dico Ænobarbum, non Ænibarbum? aut quare Magniloquum, nõ Magnoloquum? Quinetiam in deriuando ipſas ſpecies, æqualitatis nullam curam habemus. ſiquidem à Boue, Bouile: ab Oue Ouile: à Sue nihil ducitur. Et Bubulam dicimus: at ob Oue, Ouillam. à Scribo, Scriptor: à Bibo nihil tale: ſed contrà, à Bibo, Bibacem: à Scribo nullũ ſimile. Item in Comparatiuis, & Superlatiuis: Clarus, Cla-

Clarior, Clarissimus: Similis, Simillimus: à Bono, Melior, Optimus. Sic neque in Diminutiuis: Anus, Anicula: Manus, Manuscula: à Pusione, Pusillus: à Morione nihil. Quid quod ne Accentus quidem ratio vlla est similis? Etenim Héctorem, & prætórem eiusdem formę nomina alia & quantitate, & soni qualitate pronunciamus. Sed & eadem nomina variis quãtitatibus alias, atque alias proles generant: à Luceo Luxlonga, Lucerna breuis. Immò etiam eadem incõstantia in eadem voce deprehendetur: neque id apud poëtas solùm, Pharsalia, Italia, Sicania: sed etiam communi vsu. Nam in lege fundi venditionis, Ruta cæsa ita pronunciabant prisci, vt prima vocalis produceretur, alibi semper correpta esset.

Quod si nõ est necessaria: neque est in accidẽtibus partium: quippe non in Primariis, non in Deriuatis, non in Declinatis; immò in vno eodémque inæqualitas: Analogia nulla erit.

CAPVT CLXXXIX.

Argumentorum dissolutiones.

HI, qui sese literaturæ hostes profiterentur, potuissent à nobis ferri sanè, nisi pessimum facinus ausi essent. Neque enim solùm caussas, rationésque porportionis tollere in re literaria, séd etiam totam naturam ipsam demoliri videntur mihi. Diruunt enim Æqualitatem, & Similitudinem, omniáque casui subiiciunt: contrà quàm faciebat Plato, qui etiam Nominum ac Verborum statum, flexúmque naturæ certis legibus constare, atque duci arbitrabatur. Nos igitur vtrunque

extremum tanquam vitioſum reiiciamus. Ac decem quidem principes rationes, quibus alię quoque annectuntur, ſcio à veteribus obſcurè ſimul, & pluribus verbis inculcatas: quæ hîc tam clarè patent, támque ordine digeſtæ ſunt: vt quod illi orationis fuco, nec ſatis apta copia quæſiuere, id hac nos ſerie, vt quàm efficaciſſimæ appareant, conſecuti videamur. Quibus vt reſpondeamus, paulò altius ordiendum eſt.

Naturam rerum omnium autorem, quæcũque agat, propter finem agere receptum eſt: quare neceſſariò fit, vt certum quiddam agat: vnde mẽbrorum, quæ in animalibus ſunt, cauſſæ, officia, opera, luculentiſſimis libris à nobis ſunt explicata. Propterea verò quòd interdum aliis, atque aliis circumuenitur impedimentis ita, vt aberrare cogatur: quibuſdam præuenta anguſtiis non id agit, quod intendebat. Itaque Homini aut addit ſextum digitum, aut tollit manum, aut decurtat crus, aut aliud quippiam eiuſdem modi monſtroſum parit. Cæterùm quia maxima ex parte rectè opus ſuum peragit, nequaquã ei deeſſe operi, quod proponit, dicimus: neque iccirco naturam negare debemus. Verùm nonnulla rectê, atque ordine in lucem prolata, deprauat Cõſuetudo: quales ſunt ij, quos vſus adegit, vti Valgii eſſent, aut Vari, aut Compernes. etiam Caſus multum potuit, quo aliquis Claudicaret, aut Luſcus eſſet, aut Strabo. Ætas quoque, atque imitatio detorſit priſtinum quorundam inſtitutum, quò detracti à natura ſua degenerarent. Quemadmodum igitur vel caſu, vel vſu, natura aut peruertitur,

uertitur,aut immutatur, neque propterea tamen naturæ opera neganda ſunt:ita non continuò Analogia, quæ natura quædam vocum eſt, ſicubi deſit, ab omnibus tollenda ſit. Eſt ante oculos Phalaris, Dionyſius, Nero, alia monſtra: in his Iuſtitiam, atque Animi moderationem deſideres: igitur nuſquam hæc erunt? Alexander raucius loquebatur, obſtipa ceruice erat, non à primordiis natalium ſuorum: ſed pædagogi nequitia diſtractus fuit à ſimplici illa regia indole. Hominis igitur fuerat integritas, Cõſuetudinis prauitas. Species enim per ſingula corpora propagantur, inter quæ nullum formæ diſcrimen inuenitur:ita etiã in verbis fit. Sicut ergo in natura deductio triplex: ſic & in vocibus. Triplex autem ad modum hunc: propterea quòd ea quæ deducuntur tribus diuerſa ſunt differentiis: nam aliquid dicitur eſſe diuerſum ab alio Forma, vt equus ab homine. Aliud Materia, vt hic homo, ab hoc homine. Aliud Accidente, vt hic homo ſedens, ab ſeipſo ſtante. Quare in vocibus quoque, aliud erit nomen hoc, Homo, à verbo hoc, Pugno: forma enim diſtant. Secundo modo aliud nomen hoc homo à nomine hoc Equus. Tertio, aliud nomen hoc Homo, à nomine hoc Hominis. Poſſunt autem ea, quæ vel forma, vel materia ſola diſtant. etiam accidente differre:vt Homo niger, ab Equo, & Homine albo: ſic nomen hoc Homo, & à verbo hoc Sequor, & à nomine hoc Equus diſtabit accidente quoque, id eſt lineamentis elementorum. Itaque etiam inflexione diſtare poterunt. Ac quemadmodum

eiuſdem nationis viri duo, etiã fratres, etiam gemini, etiam pares facie, etiam colore, tamen manuum aut crurum flexu diſſimiles eſſe poterunt: neque tamen auferetur, quin duo peregrini inter ſe ſimiles ſint: hoc enim accidens eſt. Ita in vocibus: Equus & Lupus conuenient accidente, Lepus non cõueniet: ſed Analogia erit inter Lupũ, & Equum: quia cum Lepus non eſt. Non ergo tolletur propterea quòd inter Lepus non eſt: ſed ponetur, quoniam inter Lupus eſt, & Equus. Sed habet ſuam cauſam Lepus, qua deſciſcat, ſequatúrque aliam porportionem, vt faciat Leporis, propterea quòd Græci Dorienſes ita & appellabant, & flectebant: quare generis quoque Analogiam ſequutus eſt Lepus Græcam, non Latinam Equi, ὁ καὶ ἡ λέποϱις: neque ſolùm Genus inde, ſed vocis in recto caſu lineamenta Latina ſibi aſſumpſit, vt eſſet Lepus, ſicut Equus. Quare hoc etiam intererit Analogiæ, vt aliis atque aliis cauſſis partim talia, partim alia ſint. Neque enim quemuis hominem decet Robur, aut Celeritas: quare Robuſtum, & Celerem non ſequetur eadem membrorum Analogia: at omnes Robuſtos eadem, eadémque alia ſeorſum Veloces omnes. Si quem autem membrorum proportione præditum inueniamus, officio autem illi inutilem: hunc caſu, aut alio quo fato ſeparatum ab ea proportione iudicabimus, non propter vnum tollentes cætera omnia. Itaque ſic eſt acutiſſimè contra aduerſarios concludendum: Non poſſe eos inficiari Analogiam, niſi in quibuſdam ponãt: eſt enim Habitus prior Priuatione non tempore,

pore, ſed cognitione: ſicut Affirmatio Negatione. In paucis non eſſe caſu; in cæteris omnibus conſilio ſimilitudinis. Euenit autem interdum vt deficiãtur nomina proportione illa, propterea quòd res ipſæ deficiuntur: nam ſexus & principiis quibuſdam, & officiis diſcreti ſunt: itaque alteri quod deſignes nomen, alteri non conueniat. Proprium fœmellæ Nubere eſt: iccirco non tranſibis à fœmina ad marem ipſo Participio, vt tantummodo *Nuptam*, dicas: vbi non tolletur Analogia quia *Doctum* & *Doctam* dicas: ſed ponetur icciṛcò, quia Analogiæ pars eſt, ſequi ſignificatum, alia quoque pars eius eſt, ſequi concinnitatem: ſicuti *hominis officium ſeruare decorum.* Ergo ſiquid ſcabrum erit in deducto, maluit ars abſtinere: quum tamen natura non repugnaret. Græci *συμφωνίαν* nominant finem hunc, nos etiam *Habilitatem* poſſumus, non ſolùm *Concinnitatem.* Sic reiecta ſunt multa. *For*, *Faux*, *Prex*, *Meturus*, *Nutritrix*, atque eiuſmodi vt, ſuppreſſæ potius ab vſu, quàm negatæ à natura vocum ſint.

His legibus diruuntur argumenta omnia: Nam friuola ſatis ſunt, quæ negant neceſſariam. Ac primum quidem admodum ridiculum, quòd breuitatis ratione tollendas curat inflexiones, quum tamen per inflexiones tollatur ambiguitas. Aliæ quoque rationes nullæ ſunt. Varietas enim, quam aſſerunt, nequaquam reiicit æqualitatem. Eſt enim æqualitas interdum inter duo, propterea quòd ipſa ſunt aliis inæqualia. ita diſtant æqualiter duo Triangula, ab vno Quadrato: quia inter

ſe æqualia ſunt: Ac ſatis eſt, vt varietas ſit inter ſpecies, non diuerſitas in ſpeciebus.

CAPVT CXC.

Aſſertio Etymologiæ.

ATque Analogię quidem ratio ac natura ſic cõſtat. Etymologia verò etſi in multis obſcura eſt, ſupérque eadem voce alia alij viſa: tantum tamen abeſt vt tollenda ſit, vt tam maximè ſit inueſtiganda, quàm maximè latet. Quid enim occultiùs veritate? at multis in rebus ea imprimis deſideratur: neque tamen quiſquam tam ſit impudens, qui eam neget. Nam qui ſemper dubitabant Pyrrhonij, vel propter hoc id agebant, ne à veritate, quæ in altera parte contradictionis latitabat, aberrarent. Ita materiæ primæ natura præterierat veteres omnes Philoſophos, donec à Platone inuenta, ab Ariſtotele omnium ſapientum principe eruta eſt in lucem. Quare omni opeatque conſilio nitendum eſt, vt ne plus illa operæ latendo exigere, quàm nos inueſtigando ponere videamur.

CAPVT CXCI.

Quid deinceps agendum, quóque ordine.

VOcum Principia, Cauſſas, Elementa, Affectiones quẽadmodum vniuerſa natura cõprehẽderentur, hactenus declarauimus: deinceps ad ipſas voces priuas curſus flectendus eſt. Sic enim Philoſophus Naturalia corpora ſub motu accepta deducit communi intellexione ad hiſtoriam ſingularium: cuius exemplo nobis quoque ſtatuen-

ſtatuendum eſt, quo vſu Pruiæ voces apud autores circunferantur. Quum igitur quidam per ordinem Elementorum hoc profeſſi fuerint, alii ſumpto autore interpretandi munus magnis digreſſionibus contaminarint, vnus Varro mihi videtur conſultius feciſſe, vt verborum connexum certa ſerie explicaret. alioqui diuerſis locis eadē ſæpe repetas neceſſe eſt. Verùm enimuero ipſe quoque M. Varro ſuorum librorum initium auſpicatus eſt à Temporis, Locique diuiſione quadam, perinde quaſi ſub vtroque, alterutróve omnia continerentur: ac non infinita penè ſint, quæ in eam partitionem vel reluctantia ſint arceſſenda, vt omittam particulas minores, cuiuſmodi ſunt *Præpoſitiones*, *Coniunctiones*, *Interiectiones*, quæ nullam habent cum Nominibus affinitatem. Quare longè præſtiterit à primariis vocibus initium ſumere, atque ab his deducere cæteras, quæ ab illis ortæ ſunt. verùm inter eaſce primarias quum quædam ſteriles ſint, vt *Interiectiones*, *& Præpoſitionum, ac Coniunctionum maxima* pars: quædam ſint genitrices, quæ alias ex ſeſe pariāt: primo quoque loco tractare ſteriles decet, quæ nullam cum cæteris habent coniunctionem. Et quoniam non omnes voces Elementorum ſimilitudine, aut ſignificati cohærent affinitate, nequaquam abſurdum fuerit, ſi interdum in contrarium tranſeamus. Neque enim qui de *Motu* dixerit, de *Quiete* quoque non poſſit loqui.

CAPVT CXCII.

Ad vnum ſignificatum cætera reducenda.

VNum verò imprimis obseruãdum est, propterea quòd significatorum similitudo vni eidémque voci attributa sæpius est, aut scribentium autoritate, aut prodentium curioso iudicio: principem omnium significatum indagari oportere censeo, ad quem tanquam ad tesseram, signáque cæteras reducere legiones: sed propositis semper caussis, sine quibus tam stultè credimus, quàm arroganter profitemur. Nã quum hoc interpretandi munus Vsu, *Autoritate*, *Ratione* constare dixerint: sanè intelligendũ est, *vsum* sine ratione non semper moueri, veluti si aspirat *Trophæum*, & *Anchoram*, quæ leniter à Græcis aliis proferuntur, Atheniensium exemplo sciamus factum esse. Autoritas verò quid aliud, quàm Vsus est? Nam quod autore M. Tullio dicimus, ex eius vsu id habemus. At si ab vsu recedat, tũ verò autoritas nulla est. Quare etiam Cæcilium reprehendit Cicero, etiam M. Antonium, qui tum aliter, quàm ex vsu loquerentur. Ad rationem igitur, quoad fieri potuit, erunt hęc reducenda.

CAPVT CXCIII.

Non rectè vni voci significatorum multitudinem à veteribus assignatam.

FVerunt autem doctissimi, multarúmque literarum viri, qui propterea quòd nimis multa variis obseruationibus comperta sciuissẽt, multa item significatorum monstra vni eidémque voci designarunt. Quorum opera tantùm abest vt cõmoda sit, vt maximè etiã libri aduersetur inscriptioni. Nã specioso titulo de sermonis ꝓprietate edi-

edidiſſent, nihil minus quàm quod profitebantur, effecere. vnius nanque vocis vna tantùm ſit ſignificatio propria, ac princeps. cęteræ aut communes, aut acceſſoriæ, aut etiam ſpuriæ. Non enim ab re idem Verbum adiecit vſus Nominibus diuerſorum ſignificatorum: ſed quia eorum natura conueniebat: ſic dicimus *Scindere vallum: Scindere adamantem* non dicimus: non enim natura fert. Ac verbum quidem priſtinum recipit ſignificatum, ſed non cohærent. Non igitur potuit mutari ſignificatum huius verbi, in ea verba quæ cum adamente conuenire poſſunt, puta *Tundere*. Nam dicimus, *Scindere in luctu togam:* ergo erit hoc loco idem *Scindere* quod *Lugere*. & *Scindere vallum*, erit, *Caſtra occupare?* Itaque malè plurima ſic ab illis diſtorta ſunt, quæ à nobis in libris Originum certis appoſitis cauſſis correcta fuere. Nam quis putarit verbum hoc *Potiri*, idem eſſe quod *Condi*? propterea quòd poëtæ verſus eſt, --*Potiuntur Tibridis alueo.* ſic *Subigere*, *Acuere*: & *Stringere*, *Percutere*: & *Spectare*, *Dirigere*: & *Ventus*, *Odor*: & alia innumera, quæ omnia longè accuratius ad ſua quæque principia reducenda fuere. Eſt autem viri & boni & ſapientis non ſolùm alienos errores detegere, atque arguere, ſed etiam rationes ſuas, atque conſilia aperire. Quare quo ſit indagandum modo, ſic inſtituamus: Si *Condi*, ſignificat *Potiri*, loco verbi *Potiri* ponatur verbum *Condi*: ſi patitur ſedes, benè eſt: ſi non patitur, non ſignificat. Quis igitur dicat, *Conditus ſum libro?* &, *Conditus ſum Turdo?* &, *Conditus ſum Enſe?* Item

ſi *Premere*, *Defodere* eſt: dicamus igitur *Foſſam premere*. Sic, *Premere*, *Tegere* ſignificat: igitur, Cœlo premi, dicamus nos, quos non attingit tamen. Nolo nunc duci per omnia, quæ ſuo loco in Originibus exactiſſimè perſequuti ſumus: ſed ſatis ſit ieciſſe fundamenta ſcientiæ tibi, more principis noſtri Ariſtotelis, cuius ſapientiæ luce Grammaticorum tenebræ diſcutiantur.

***

EPILO-